

✠
Doctor D. Cesáreo Rodrigo,
Presbítero.

1159
(v.3-

7
1

11

10/10/10



LECTIONES PHILOSOPHIÆ,

QUAS

IN COLLEGIO VALLISOLETANO ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI

PROVINCIE SS. N. JESU INSULARUM PHILIPPINARUM

TRADEBAT ET EXPLICAT

P. LECT. FR. JOACHIM ALVAREZ Á JESU

ejusdem familiæ alumnus.

Deus semper idem, noverim me,
noverim te.

S. P. AUG. SOLILOQ. lib. 2. c. 1.

AD EJUSDEM COLLEGII USUM EDITÆ.

VOLUMINIS TERTII PARS PRIMA.

DISPUTATIONES DYNAMILOGIÆ ET ANTHROPOLOGIÆ COMPLECTENS.



VALLISOLETI.—APUD GARRIDO.

1869.

R 40.213



LECTIONES PHILOSOPHICAE

IN COLLEGIO CALISTANO SOCIETATIS ORDINIS ERMITARUM S. M. ANTONII

PROFESSORUM S. M. ANTONII SOCIETATIS ORDINIS ERMITARUM

SCRIPTA ET EDITA

Ecce, amantissime Jesu, ante tuæ infinitæ Majestatis et Misericordiæ
tronum iterum provolutus offero hoc secundum Philosophiæ volumen,
accipe et dá quod petis.

Fr. Joachim Alvarez
à JESU.

AD USUM COLLEGII SOCIETATIS

ORDINIS ERMITARUM S. M. ANTONII

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE ET MATHEMATICAE COMPLETAE



FR. CÆLESTINUS MAYORDOMO LECTOR ET EX-PROVINCIALIS

PROVINCIAE SSMI. N. JESU EREMITARUM S. P. N. AUGUSTINI INSULARUM PHILIPPINARUM, COMMISSARIUS GENERALIS EJUSDEMQUE PROVINCIÆ PROCURATOR, NEC NON VICARIUS PROVINCIALIS AC EJUS IN PÆNINSULA COLLEGIORUM VISITATOR, etc.

Quum recognita ac examinata fuerit à RR. PP. F. Joachimo Garcia, Lect. jub. et Stud. Reg. et F. Thirso Lopez Lect. prov. in Collegio S. Mariæ de la Vid, quibus hoc munus commisimus, Lectionum philosophiæ voluminis tertii prima pars complectens *Disputationes Dynamilogiæ et Anthropologiæ*, quas in nostro Vallisoletano Missionum Collegio dictavit et explicat R. P. Lect. F. Joachim à Jesu Alvarez earumdem Missionum alumnus; cumque iidem RR. PP. nihil in eis invenerint Sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium, quinimo ob earum disputationum doctrinæ pondus, sermonis perspicuitatem et eximium opinionum delectum, ut in lucem edi possent perutile esse probaverint, facultatem damus, ut eædem Disputationes typis mandentur, si iis, ad quos de jure pertinet, ita videbitur. In cujus rei fidem has litteras manu nostra subscriptas dedimus.

Matri in nostra Commissariæ domo die Festo S. Matris Monicae 4 Majii an. D. N. Jesu Christi 1869.

Fr. Celestinus Mayordomo.

**JOANNES IGNATIUS, MISERATIONE DIVINA SANCTÆ ROMANÆ
ECCLESIE PRESBYTER CARDINALIS MORENO, ARCHIEPISCOPUS VALLISO-
LETANUS, JUNCARIE DE AMBIA PRIOR ET DOMINUS, REGALIS AC PRÆ-
CLARI ORDINIS HISPANICI CAROLI III MAGNÆ CRUCIS EQVES, etc. etc.**

Quum operis cui titulus: *Lectiones Philosophiæ, quas in Collegio Vallisoletano ordinis Eremitarum S. Augustini, provinciæ SSmi. Nominis Jesu insularum Philippinarum, tradebat R. P. Lector Fr. Joachim à Jesu Alvarez ejusdem familiæ alumnus*, voluminis tertii prima pars *Disputationes Dynamilogiæ et Anthropologiæ* complectens, jussu nostro examinata, nihil contineat, juxta censuram, Ecclesiæ doctrinæ contrarium, quinimo studiosæ juventuti utilis sit; licentiam, ut typis mandetur atque in lucem edatur, quod ad Nos attinet, impertimur. In cujus fidem præsentis litteras expedire decrevimus Vallisoleti 15 Maji 1869.

**Joannes Ignatius Cardinalis Moreno
Archiepiscopus Vallisoletanus.**

L. † S.

De mandato Emmi. ac Rmi. Domini mei Cardinalis Archiepiscopi,
DR. D. CÆSARIUS RODRIGO,
Canonicus Srios.

METAPHYSICÆ SPECIALIS PARS SECUNDA,

SEU

PSYCHOLOGIA.

DISPUTATIO 1.^a—PROŒMIALIS. PSYCHOLOGIÆ UTILITAS, DIFFICULTAS ET DIVISIO. ORDO ET METHODUS SEQUENDA.

1. Aggredimur nunc illam Metaphysicæ specialis partem, quam usitato nomine *Psychologium* appellant (1) estque illa philosophiæ pars, quæ disserit de natura et proprietatibus animæ humanæ, id est, illius principii, quod in nobis percipit, iudicat, ratiocinatur, bonum amore prosequitur, varias rerum sensibilibus impressiones experitur, absentia revocat ac recognoscit, futura prævidet, et alias hujus generis operationes exercet.

Hanc vero scientiam esse nobilissimam nemo negabit, cum noscere seipsum non tantum in sensu morali, verum etiam in sensu metaphysico dignissimum exhibeat hominis negotium. Etenim quid nobis prodesset populorum annales pervolvere, gesta Principum ac Imperiorum vicissitudines noscere, aut ingentem cœlestium corporum molem,

(1) A duobus græcis *Psyche*—idem ac anima, spiritus; et *Logos*—ratio, tractatus.

miram dispositionem ac inexplicabilem celeritatem intueri, omniaque naturæ physicæ arcana perscrutari? si interim penitus ignari essemus quænam sit natura animæ nostræ, quæ conditio, quid valeat, unde veniat, quo tendat, et utrum post mortem sit necne in perpetuum duratura? Ad hujus itaque scientiæ studium omni conatu peragendum vos, si opus fuerit, hortarer verbis Alcherii Clarevallensis (1), cujus hæc sunt: «quoniam dictum est mihi, ut me »ipsum cognoscerem, sustinere non possum ut me habeam »incognitum. Magna namque est negligentia nescire quid »illud sit, quo cœlestia tam profunde cogitamus, quo naturalia tam subtili indagatione investigamus, et de ipso »quoque Creatore nostro tam sublimia scire desideramus. »Non est res peregrina, nec longe quærandam a nobis: Animus est, quo ista sapimus. Sed est semper nobiscum, »adest, tractat, loquitur, et intus versatur. Datum est illi »tam ingentium rerum secreta scire, et *se ipsum cognoscere non posse*... Fieri autem non potest quædam divinâ providentiâ, ut inveniendi facultas desit religiosis animis »seipsos et Deum suum pie, caste ac diligenter quærentibus; idcirco reddam me mihi, imo Deo meo, cui maxime »me debeo, et videbo *quid sit animus, et quæ sit patria ejus*. Anima est SUBSTANTIA quædam rationis particeps» physice corpori unita.

Anima ab Aristotele definitur: *actus primus* (id est, forma substantialis, quæ determinat materiam et ei dat esse specificum et individuale) *corporis physici organici, potentiâ vitam habentis*; quam proinde vitam organicum corpus ab ipsa anima recipit; nam *anima vita est, et vita*

(1) Seu B. Isaac Abbatis de stella, vel alius auctoris, quicumque ille sit, libri de *Spiritu et anima*, magni pretii semper habiti. Inter opp. S. P. Ang., Tom. 6. edit. Maur. Append. pag. 35. c. 1. Transcripta autem verba desumpta fuere ab ignoto auctore ex L. S. P. de *Quantitate animæ caps. 13. 14. et 28.*

sui conscia, ait S. P. Augustinus (1); *primum principium vitæ* à S. Thoma definitur (2).

2. Ex dictis jam habemus: 1. Summam utilitatem et necessitatem hujusce scientiæ. Et profecto ex ignorantia naturæ animæ, et ex Psychologicis erroribus provenit turpis sordidusque materialismus, qui omnia tum religiosa, tum civilia ac politica, etiamque ipsa domestica jura dirumpit atque evertit, ac ipsam hominis dignitatem indecorè foedeque deprimit in brutorum animalium conditionem (3).

2. Habemus difficultatem hujusmodi sui ipsius studii, adeo ut illud Apollinis effatum *nosce te ipsum* (4), non solum in ordine pratico, sed etiam speculativo difficillimum homini esse, omnes fateantur; merito ajebat igitur ille: *nosce te ipsum de cælo descendit*. Hujusce difficultatis ratio multiplex assignari potest: potissima est, quod cognitionis hujus fundamentum, atque adeo instrumentum est *subjectiva*, seu *psychologica reflexio*: hæc autem speculandi ratio impeditissima est, tum quia in hujusmodi reflexione difficulter diu inhærere possumus, tum quia dum ejus fructus colligimus, difficulter errores vitamus. Deinde altera præcipua difficultas exurgit ex eo, quod anima et corpus, licet substantiæ sint adeo dissimiles et oppositæ, tamen nexu physico et substantiali ita inter se conjunguntur, ut unam naturam, unum multarum

(1) S. P. *Tract.* 19. in *Joan* c. 5. n. 12.; et *Serm.* 161. de *verb. Apost.* 1.^o *Corint.* c. 5. n. 6.

(2) *Sum. th.*, 1. P. Q. 75. a. 1.

(3) Præ oculis habeo discursum à Sainte-Beuve in deliberativo Galliarum senatu profertum, quo, inter alia indecora absurda, ait ipse; «*Utilitas debet esse ratio; et causa legum; quod ad me attinet sufficit theoria Bentham, et morum regula Horatii: Epicuri dicere debebat.*»

(4) Gñothi-Seanton, *nosce te ipsum*; verba scripta in Apollinis templo Delphi.

operationum principium constituunt; ex quo fit, ut nisi magnas curas multumque studium adhibeamus, utriusque naturæ conditio, limites, proprietates, munia, aliaque, non satis ut oportet secernantur. Tertio quia homo non existit spectator evolutionum suarum facultatum, sed cum eas contempletur, jam plus minusve evolutas reperit. Denique non paucas difficultates et incommoda accedunt ex neotericorum theoriis et methodo, quibus soluta ab antiquis neglexerunt ac involucris verbis et inepte proposita pessime solvunt; quamvis tamen utilitates nonnullas huic scientiæ ab ipsis allatas fuisse, libenter fatemur.

3. Cum anima sit substantia ex natura sua ordinata ad vitam corpori communicandam per physicam ac substantialem unionem cum ipso, cum ipsoque unam compositam substantiam, unam naturam, unum plurium operationum principium constituat, sequitur, non adeo commode hunc tractatum in *Anthropologiam*, ac *Dynamilogiam* dispesci posse, ut hodie mos est; nam *Dynamilogia* (1) in *Anthropologia* continetur, *Anthropologiæ* vero nomen non tantum complectitur partem nobiliorem hominis, i. e., animum, sed totum hominem, id est, substantiam ex anima corporeque consurgentem. Attamen nec ab usu præcellentium Philosophorum recedamus hunc tractatum ita distribuemus:

Primo disseremus de animæ facultatibus ac viribus: hæc Sectio *Dynamilogia* audiet, quæque in generalem et specialem distribuemus, huic inseremus idearum tractatum, i. e. *Idealogiam*.

Secundo disseremus de animæ humanæ origine, natura, ejus cum corpore conjunctione, destinatione, et immortalitate: hæc erunt objectum *Anthropologiæ*. Quibus omnibus præcedent duæ Disputationes; prima de vitæ conceptu et gradibus, altera de anima brutorum.

4.° Ex hac divisione jam patet methodus, quæ nobis

(1) *Dynamilogia* idem est ac *virium tractatus*, *virium ratio*.

omnino sequenda est; devitanda igitur extrema, seu methodos exclusivas, sive *empiricorum*, quam vehementer inculcavit Thomas Reidius, quæ cum in sola phænomenorum observatione innitatur, facultatum descriptiones, nunquam vero earum cognitionem scientificam, vel per causas parere potest; sive methodum *idealistarum*, seu transcendentalium post Neoplatonicos ab istis sequutam, quæ solummodo scientiam abstractam ac subjectivam, nunquam vero realem, objectivam et veram animæ scientiam elargiri nobis potest, sed hypotheticam tantum; nam ratio destituta observationis præsidio veras leges, quibus res fiunt, earumque veras causas detegere nequit, quippe quod cum ipsa á priori, seu ex quadam hypothesi existentiam rerum admittat, leges et causæ phænomenorum, quas statuit, nonnisi hypotheticæ esse possunt (1). Itaque nos methodo *analytico-synthetica* utemur, quâ sola veram scientiam objectivam animæ comparare nobis datur.

Hæc methodus ab observatione animæ actionum, quæ internâ experientiâ innotescunt, ad facultates, seu operationum immediata principia, atque ab utrisque ad essentiam animæ, ab hac autem ad ejus in ævum durationem mens consurgit; deinde ex essentiæ notione ad considerationem facultatum, quæ ejus effectus sunt, regreditur mens, penitentioremque ipsarum notitiam tutioremque acquirit.

4. Illam Psychologiæ divisionem, in *empiricam* scilicet

(1) Cons. Cajet Sansev. *Philosoph. Christ. cum ant. etc. Dynamil.* vol 1.^o *prolegomena*; quæ ita ipse claudit: "quæ si colligamus, concludere nobis licet: 1.^o veram methodum facultates animæ, atque animum in universum cognoscendi priscos et mediæ ætatis philosophos non latuisse: 2.^o illam methodum esse *Analytico-Syntheticam*: 3.^o *analysisim*, quæ circa phænomena animæ instituitur, é cognitione phænomenorum corporis adjuvari: 4.^o immo aliquam etiam cognitionem illorum entium, cum quibus anima aliquam affinitatem habet, animæ scientiæ esse utilem."

et *rationalem*, quam ab Wolfio inventam Kantius ejusque discipuli religiose sequuntur, nos ut falsam et incongruam habemus, veræque philosophandi methodo credimus adversari. Nam Psychologia, quæcumque illa sit, nec scientiæ est, nec scientiæ nomen meretur, nisi in quantum animæ naturam, proprietates, facultates et operationes perscrutatur, ac supremas rationes earum investigat et demonstrat; jam vero hæ supremæ rationes inveniri non possunt, nisi in ipsa animæ essentia, quæ radix est ac fundamentum proprietatum, facultatum ac operationum; ad essentiæ autem animæ cognitionem pervenire non possumus, sine accurata observatione internorum factorum, comparatione et ratiocinio; igitur nec sola ratio, nec sola observatio sufficit, sed ex utraque unam, non duas Psychologias existere posse manifestum est.

Dicetis, nonne nos dividimus Psychologiam (1) in Dynamilogiam et Anthropologiam? Respondeo: 1.º Nos utraque methodo mixta, seu analytico-synthetica utimur: 2.º Dynamilogiam non ut completum tractatum consideramus, sed uti quamdam partem subjectivam, et introductionem ad Anthropologiam.

5. Duo hîc, ad hujus Disputationis conclusionem animadvertam: 1.º Cum homo sit non anima tantummodo, nec corpus, sed substantia illa composita, quæ ex horum conjunctione resultat, cumque homo de omni creatura aliquid habeat (habet enim commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis (2) omnis igitur creatura quodammodo homo est, quare appellatus est homo *microscomo*, id est, *parvus mundus*, summa, compendiumque omnium creaturarum rerum,) non solum omnes naturales scientiæ animæ

(1) Hac voce primus qui usus est videtur fuisse Goclenius in opere cui titulus; *Psychologia, idest, de hominis perfectione, anima, ortu etc.*

(2) S. Gregor. Mag. *Homil. 29. in Evang.*

scientiæ utiles sunt et magnum ei adjuvmentum præstant, verum etiam id, quod per revelationem de Angelis scimus; nam homo, ait S. Thomas (1), *attingit ad cognoscendam intelligibilem veritatem, quam Angeli cognoscunt, sed imperfecte. Et ideo vis cognoscitiva Angelorum non est alterius generis à vi cognoscitiva rationis, sed comparatur ad ipsam ut perfectum ad imperfectum.*

Scientiæ naturales, quæ ea, quæ ad hominis corpus speciatim spectant, considerant, sunt Anatomia maxime et Physiologia, quarum prima partium humani corporis descriptionem sectatur, altera earundem usum à natura institutum actionesque, quas in statu sanitatis eliciunt, contemplatur; earum vero alterationes, quæ statum infirmitatis constituunt, Pathologia persequitur.

6. Alterum, de quo vos admonitos volui, est, quod veram Psychologicam scientiam non à neotericis communiter quæeratis, sed à Patribus præsertim, inter quos thesaurum omnium scientiarum et clavem haud dubie invenietis (2).

DISPUTATIO 2.^a—DE VITÆ CONCEPTU ET GRADIBUS.

7. Homo itaque in se uno et materialem et spiritualem naturam mirabili nexu conjungit, omniumque viventium vitam ipse participat. « Omnis vita, ait S. P. Augustinus (3), *vel quæ nutrit, et continet, qualis est in arboribus; vel quæ et hoc habet, et sentit, qualis est in pecoribus; vel quæ et hæc habet, et intelligit, qualis est in hominibus; vel quæ nutritorio subsidio non indi-*

(1) Sum. th. 1. p. q. 79.a. 8. ad 3.

(2) Cons. S. P. August., *Libros confs.*; de *Libero arbitrio*; De *Trinitate*; de *Genesi ad litt.* Gregor. Nisenum, De *anima*; S. Basilium, in *variis tracta. cont. Arianos.* Nemesium, de *natura hominis.* S. Thom. plurib. in locis. etc. etc.

(3) De *Civit Dei*, Lib. 8. c. 6., ante med.

»get, sed tamen continet, sentit et intelligit, qualis est in »Angelis: nisi ab illo esse non potest, qui simpliciter est *Deo*;» omnis igitur vita á Deo est, qui est ipsa essentialis vita; quid autem sit hæc vita participata, quâ cætera vivencia vivunt, non est facile determinare.

Vivencia ea dicuntur, quæ motum exercent suapte vi, non impulsu alieno, sed quæ in se ipsis operantur virtute propria. Cum enim duplex actio considerari possit: altera quæ in subjecto quidem recipitur, at non ab ipso procedit, sed ab exteriori causa, ut jactus lapidis, aquæ calefactio, machinæ motus; altera quæ sic subjectum afficit, ut intrinsecus á principio in eo insito et existente proficiscatur, ut plantæ vegetatio, animalis motus, actus intelligendi et volendi; entia, quæ primum tantum operationum genus participant, non vivencia, quæ vero secundo gaudent, vivencia nominantur.

8. Si verum est, animal vivere quando incipit ex se motum habere, et tamdiu judicatur animal vivere, quamdiu talis motus in eo apparet, quando vero jam non ex se habet aliquem motum, sed movetur tantum ab alio tunc dicitur animal mortuum per defectum vitæ (1); habebimus ergo ex his, quæ tam ipsa experientia, quam communis loquendi usus nos docent, veram vitæ definitionem.

9. Omissis igitur obscuris, falsis et etiam ridiculis vitæ definitionibus á celebrioribus physiologis traditis (2), nos

(1) S. Thomas, Sum. th. 1. p. q. 18. a. 1.

(2) Georgius Ern. Stahl. ait: *Vita nihil est aliud formaliter, quam conservatio corporis, in sua mixtione corruptibili, sine omni corruptionis istiusmodi actuali eventu.* In theoria medica vera. Hæc definitio aptari potest cuique chimico composito dissolubili, sed actu indissoluto; deinde solum attingit effectum, et hunc in sola vita vegetali. Similis est illa Bichartii: *Complexio functionum, quæ morti resistunt.* Recherch. physiol. p. 1. Omitto cætera non minus ridicula.

juxta SS. Patrum et Scholasticorum mentem ita ipsam definimus.

Vita, etymologice sumpta, *dicta est propter vigorem, vel eo quod vi teneat* (1): definitur autem: *Activitas, qua ens seipsum movet ac perficit*. Hic motus non est necesse, ut sit translatus, sed sufficit ut sit intensus, quo ens se ipsum quocumque modo immutat, et ad operationem se agat.

Definitio hæc vel ex eo se probat, quod ea omnia, quæ ex se motum aliquem habent, viventia nuncupari solent, ea vero, quæ ex se ad aliquam operationem agere nequeunt, vel vita carere, vel vitam amisisse dicuntur. Ita plantas vivere dicimus, quia se nutriunt et augent; et animalia, quia sentiunt et appetunt, membraque contrahunt ac se urgent ad motum; mentem denique, quia se immutat cogitando, vel volendo. Quinimo eas quoque res, quæ se ipsas non movent, sed ab exteriori principio moventur, si tamen lateat id, à quo motum accipiunt, *translata* appellatione viventes appellamus, quia se ipsas movere videntur; ita fluentes aquas dicimus vivas.

10. Animadvertite. 1.º Hæc definitio vitæ est secundum quod vita consideratur in se ipsa, in actu primo, quæ est vita substantialis, et ipsum esse viventis: vita autem in actu secundo est omnis actio vitalis, id est, omnis actio quatenus à vita procedit, quæ est vita accidentalis, et ab *esse viventis finiti* distinguitur.

2.º Hæc definitio non complectitur proprie Dei vitam: vita Dei est ipsum esse Dei, quod cum sit actus purissimus, nulla mutatio in eo esse potest; est autem actus et activitas infinita et à se, est igitur vita essentialis, fons et origo omnis vitæ. «Vivit caro de anima tua, vivit anima tua de Deo tuo... Deus est animæ vita (2),» in ipso omnia vita

(1) S. Antonius de Padua, Serm. Domi. 21. post Trinit.

(2) S. P. Aug. *Lib. de verb. Apost. Serm.* 13. ant. med.



sunt (1). Est igitur vita Dei sola vera vita in actu secundo.

11. Hinc ex data definitione infertur: 1.º omnium actionum vitalium tum principium, tum terminum esse ipsum vivens, id est, *id ipsum, quo vivens vivit, est id ipsum, quo vivens agit, et in quo actio recipitur*; igitur 2.º omnis actio vitalis est actio immanens et vice versa; propterea 3.º omnes actus vitales perficere ipsum subjectum, á quo dimanant, ideoque activitatem, quâ vita continetur, jugiter tendere ad viventis subjecti perfectionem.

12. Tres sunt vitæ creatæ gradus; scilicet, *vita vegetativa, vita sensitiva, et vita intellectiva.*

Hoc deducitur ex consideratione diversorum viventium, et functionum, quas exercent, id est: tum ex *fine*, qui movet agentem: tum ex *forma*, per quam agens agit, seu *determinatione* agentis, quæ sit in illo principium actionis: tum denique ex *exsecutione* actionis. Quanto vivens hæc tria cumulatus et simplicius habeat, tanto perfectiore vitâ vivit: itaque planta, quæ solum habet *exsecutionem*, nam tum forma, tum finis determinantur ei á natura, habet infimum vitæ gradum; animal, quod habet *exsecutionem* et *formam* per sensus acceptam, habet secundum vitæ gradum, finis enim præstituitur ei á natura, et inter ipsa animalia quanto perfectiores sensus et motus habent, tanto sunt perfectiora, ut patet; supra hos gradus vitæ habent illa entia, quæ etiam sibi præstituunt *finem*, quod quidem non fit nisi per rationem et intellectum, cujus est cognoscere proportionem finis, et ejus, quod est ad finem et unum ordinare ad alterum (2). Hic est tertius vitæ gradus, seu vita intellectualis. Supra hos omnes est vita Dei.

13. Corpora viventia defferunt á non viventibus, quæ *mi-*

(1) «Deus vera et summa vita, in quo, et á quo, et per quem vivunt, quæ vere summeque vivunt omnia.» S. P. Aug. Lib. 1. Soliloq. cap. 1.

(2) Cons S. Thom. Sum. th. 1. p. q. 18. a. 3.

neralia appellántur: 1.º *Organizsatione*; 2.º *forma*; 3.º *Chimica constitutione*; 4.º *Ortu et interitu*; 5.º *Incremento*; 6.º *Duratione*.

14. Vitæ vegetativæ functiones sunt: 1.º *nutritio*, quæ fit per *absortionem*, *circulationem*, *respirationem*, et *secretionem*: his vivens se conservat, deperdita reparando nocivaque expellendo; 2.º *augmentatio*, quæ fit per *assimilationem* et *incorporationem* aliarum substantiarum, ad quod plures alias functiones concurrunt, præcipua est sanguinis et humorum circulatio: augmentatione vivens in se novas format partes, vel formatas amplificat; 3.º *generatio*, quæ fit per *disseminationem*; ad semen formandum plures præcedunt functiones: generatione vivens sibi simile procreat. Hujusmodi vitâ vivunt planta, bruta et homines.

Vitæ sensitivæ functiones, quas dicunt *relationis*, reducuntur ad *facultatem sentiendi* et *appetendi* et ad *contractilitatem*; vita hæc est brutis hominibusque communis.

Vitæ intellectivæ functiones intellectûs ac voluntatis actibus continentur. Vita hæc solius hominis, inter res sensibiles, propria est.

15. Vitæ principium est *id, quo vivens vivit*, id nempe, *cujus ratione vim ad vitales functiones exercendas idoneam possidet vivens*.

Notandum est, quod quanto imperfectior est vita, tanto magis ignoratur in quo consistat ejus principium.

Vita vegetativa in specie definiri potest; *principium, quo substantia materialis, seu corpus organicum sese nutrit, auget et propagat*.

16. In plantis, quæ vitâ vivunt pure vegetali, formale vitæ principium, non in mirabili tantum earum organizatione et combinatione virium chemicarum et physicarum, ut placuit Tongiorgi (1) aliisque atomismi chimici assertoribus, quærere oportet, sed in aliquo principio simplici,

(1) *Instit. phil. etc. Psychol.*, L. 1. c. 2. art. 3.

quod in vivente inesse debet, quodque viribus naturæ mortuæ propriis longe antecellit, et informans materiam est fons illius virtutis, viresque inferioris ordinis sibi subicit et ad vitæ functiones adhibet; hoc igitur principium ad essentiam ipsam corporis viventis pertineat necessum est, et cujus defectu corpus vivens vivere desinat, quamvis ejus materia, seu elementa conserventur in minerali regno. «Revera, ut inquit Berzelius (2) elementa naturæ organicæ sunt indestructibilia; sed existentia proprie dicta corporum organicorum destruitur sine reditu. Individuum, quod moritur, quodque sua elementa restituit naturæ inorganicæ, non redit unquam. Hinc sequitur, essentiam corporis viventis non fundari in suis elementis inorganicis, sed in quodam alio principio, quod elementa omnibus corporibus viventibus communia ad productionem effectûs peculiaris determinati et pro quavis specie differentis adjuvandam disponit. Hoc principium, quod nos distinguimus nomine *vis vitalis* aut *assimilatricis*, non est inhærens elementis inorganicis....»

Hoc principium videtur non aliud esse, quam forma substantialis ejusmodi, quæ corpori organico tribuat non modo ut sit vivens, sed etiam ut sit actu, et ut sit corpus organicum. Et sane forma substantialis est principium, quod non solum essentiam corporis constituit, sed quod est fons et subjectum operationum ejus. Hæc est sententia præstantissimorum scientiarum naturalium cultorum.

17. His delibatis aliud extremum sedulo devitare debemus, est *vitalistarum*, qui plantis non solum vitam, verum etiam sensum et appetitus attribuunt; hic error perantiqus est (1); notare vero in præsens sufficit, ne longius abea-

(1) *Traité de chim., chim. org.* Tom. 2. p. 207.

(2) Empedocles apud Sextum emp., *adv. Log.*, lib. 8.; Democritus, apud Gassend. *Philosoph.*, Sect. 3. L. 2. c. 1.; Celsus, *Cons. Tertull. de anima* c. 34.; Stoici. etc.

mus, verba Alberti Mag. (1). «Sensus autem in plantis non
»invenitur, ait ipse, Natura enim non deficit in necessariis;
»si autem daret sensum, et non daret membra et organa
»sentiendi, sicut oculos et aures et hujusmodi, ipsa pro-
»culdubio in necessariis deficeret. Cum igitur in plantis
»nihil horum sensus membrorum sive organorum invenia-
»mus, constat quod plantis nullus omnino inest sensus.»

Insuper nec functiones, nec finis plantarum sensum et appetitum expostulant, frustra igitur eis darentur.

18. Ad hoc, quod nonnulli opponunt desumptum á *Retimusca* et *Æschynomene* ex genere plantarum, quas *vulgariter* sermone *sensitivas* appellamus, eo quod á manu ipsas attractante aufugiunt, qua de causa etiam *castæ* vocantur; et alia, quæ versus solem vertitur, quæ ideo vocatur *Heliotropium*, dicimus: has nullum indicium sensationis præferre, sed ex principio vitali repetendos esse earum motus, quod principium varias leges, proprietatesque in variis corporibus subit (2).

19. In brutis autem, quæ præter vegetalem vitam, vitâ gaudent sensitivâ, vitæ principium alterius ordinis est, quod ut investigemus sit

DISPUTATIO 3.^a—DE PRINCIPIO VITÆ SENSITIVÆ IN BRUTIS ANIMALIBUS.

20. Ex præcedentis Disputationis ultimis verbis persentiscere vobis datum est, nos, bruta animalia sentiendi facultatem habere, certos esse. Tamen non defuere vel á remota antiquitate philosophi, qui autumarent, bellua nihil aliud esse, nisi machinas affabre constructas, ideoque

(1) *Parva naturalia, de veget.* L. 1. tract. 1. c. 3.

(2) Cons. Sansev. *Philo. Christ. Elem.* vol. 2. *cosmol. cap.* 3.; Antonio Ulloa, *Relacion del viaje al Perú*, tom. 1. *part.* 1. *pag.* 70.; M. Sturm. *Reflexiones sobre la natural.*, tom. 2. mes de Marzo, dia 14.

ipsa nec sentiendi facultatem, nec alias quascumque, nec vitæ principium á materia distinctum habere asseverati sunt (1).

Hoc paradoxon sæculo xvi instauravit ac evulgavit quidam medicus hispanus nomine Gomez Pereira in opere, cui titulus: *Margarita Antoniana* (2), eumque propugnarunt deinde Cartesius (3) ejusque asseclæ, qui obganiant, bellua esse mera *automata*, seu machinas affabre constructas, v. gr. horologia, ita ut omnes earum operationes non aliud sint, nisi motus, qui legibus mechanicis fiunt.

21. Attamen si hoc paradoxon in unum peccat extremum est et aliud, qui periculosius peccat in oppositum; non enim defuerunt bestiarum admiratores et patroni, quibus ipsas intellectu et ratione præditas esse asseverare non puduit, tales fuerunt Empedocles, Democritus, Anaxagoras, Pythagoras, Porphyrius, Celsus, Manihæi, aliique ejusdem furfuris: væ brutis animalibus, quæ tales habent patronos!

Nos hos oppositos errores devitemus; sequamur igitur eos, qui tuentur brutis inesse animam sentientem quidem, sed intellectu et ratione omnino expertem, quam sententiam sequuti sunt Scholastici, utpote Sacris Litteris consentaneam, sanctisque Patribus communem, atque unicam rationabilem. Videamus possibili brevitate, etenim ad cognoscendam hominis dignitatem et excellentiam supra bruta animalia, quibus ipse astringitur ad Deum aman-

(1) Cons. S. P. Aug. *De Genes. ad litt.* L. 3. c. 8. in princ. Cujus rei illud argumento esse potest, quod Aristoteles hanc absurdam opinionem non semel exposuit et confutavit. *De animal motione*, et *De generat. anim.* L. 2. c. 1.

(2) A Patris et Matris nomine ita illud inscripsit. Matrity edit. an. 1749.

(3) *Discours de la methode*, part. 5. c. 9.

dum, non est necesse, ut multum temporis teramus in *bestiis contemplandis*, sufficit nobis vulgaris fides, quæ est sensûs naturæ communis.

Probabimus igitur, bruta non esse mera automata, sed animâ sentienti prædita esse; indicabimus deinde probabilior sententiam circa hujusmodi animæ naturam, originem et interitum, atque postremo statuemus ejus essentielles differentias ab hominis anima.

§. I.

22. PROPOSITIO I. *Bruta animalia non mera automata sunt, sed vitâ, immo et sentiendi facultate gaudent.* (1).

Prob. 1.^a pars. *Bruta animalia non sunt mera auto-*

(1) Præmonere oportet, contrariam sententiam ad materialismum et scepticismum recta ducere. Etenim, (ut observat Caj. Sansev. *Elem. philo* etc. Cosmol. Cap. 4. art. 1. pag. 346.) si operationes belluarum per solas leges mechanicas explicari posse dicantur, incredulis datur ansa explicandi iisdem legibus actiones hominis, nec aliud discrimen statuendi inter hominem et belluam, quam quod inter automatam minus perfectum et automatam magis perfectum intercedit, quod infinita sapientia efficere posset. Revera, Lamettrius in impio suo opere, *Homo-machina*, argumentis, quæ Cartesius ad automatismum belluarum statuendum attulit, usus est, ut demonstraret, hominem non esse aliud, nisi quamdam machinam perfectiorem (*L' Homme-Machine*, Leyde 1748).

Ducit hæc sententia ad scepticismum; si enim opinio de anima belluarum, quæ argumentis adeo claris patescit, tantaque hominum consensione obfirmatur, erroris redarguitur, nulla superest veritas, quæ in dubitationem adduci nequeat. Hinc Bayleus, cum, scepticismi insinuandi gratia, valida declarasset argumenta Cartesii, nulli veritati in posterum fidendum esse inde conclusit. *Dictionar. histor. crit. art. anim.*

mata (1). Puræ machinæ non aliter moventur, quam secundum leges communicationis motûs, ut Cartesiani fantentur; jam vero præcipua motûs lex est hæc: *Corpus in motu positum perseverat eadem velocitate, atque in eadem directione, nisi ab aliqua externa causa aut cohibeatur, aut in alias partes determinetur.* Atqui in brutis animalibus omnia contraria accidunt, ut quotidianâ constat experientiâ; ipsa enim vel solo sibilo, voce, illiciis, minis, nutu assurgunt, vel sistunt; viam arripiunt, directionem mutant, vel solâ umbrâ repente consistunt, aut de via deflectunt; sponte sua quærunthinc inde pascua salutaria, fugiunt nociva etc.. Ostende, ait Genuensis, jacenti cani corpus pani simile; surget, accedet, oculisque, naribus, aut etiam gustu imposturam deteget: itaque recumbet

(1) Nostram propositionem possemus ex multis Sac. Scripturæ locis, Patrumque unanimi consensione demonstrare; tamen cum hæc non sit nostra provincia unum, vel alterum solum adducemus; certi semper ac securi nos sumus, philosophis nunquam sine magno piaculo atque impietate licere Scripturas divinitus inspiratas, aut quidquam in eis contentum despiciere. Genes. c. 1. v. 20. dixit Deus: *producant aquæ reptile animæ viventis.* Et ib. v. 21: *creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem.* Et v. 24. *Dixit quoque Deus: producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias terræ;* quem locum S. P. Augustinus ita intelligit, *Lib. 3. sup. Gen. 12.* De animalibus dictum est: *producat terra animam viventem.* Et S. Fulgentius *Lib. de fid. ad Petrum, part. 2. c. 24* ait: *firmissime tene... solos spiritus Angelicos, et humanos intelligendi facultatem divinitus accepisse: cæteros vero spiritus brutorum animalium, rationalem intelligentiam non accepisse; et idem August. Lib. 1. de libero arb. inquit: irrationabilia animalia vivere, et sentire nemo ambigit.* Cons. si placet ipsum S. Patrem *lib. 2. cont. adver, legis c. 6.. Conf. 1. 10. c. 17., Lib. 1. Musicæ c. 4., De quant. animæ c. 28. De Morib. Manichæor. 1. 2. c. 17. et alibi passim.* Cons. etiam S. Basilium, qui *Hom. 7. et 8. Hexaem. opportunas observationes ipse habet. S. Ambros. Lib. 5. Hexaem.; S. Gregorium Nacianz. Orat. 34.*

iterum. Tu ei recumbenti iterum ostende, fortassis et secunda ac vice surget. At, detecta fraude, si centies ostendes, ne aures quidem quatiet; oculos etiam avertet; dormitavit postremo (1). Voco ego canem, qui est in horto jacens, et ne attendere dignatur; vocat famulus, qui ei cibos deportat, et confestin lætatus atque obsequiosus accurrit. Item canes, si dominum venientem é fenestra prospiciunt, non se præcipites dant, ut recta ad illum ferantur, sed ad scalas pergunt, quæ ad januam ducunt. Quis non videt hæc omnia et millena alia, quæ á brutis fieri conspiciamus, plane pugnare cum mechanicis legibus?

23. Prob. 2.^a pars. *Bruta animalia vitâ gaudent*. Actiones brutorum sunt spontaneæ, nempe á principio activo intrinseco oriuntur. Atqui hujusmodi actiones sunt vitales (9). Ergo agnoscendum est in brutis principium vitale (2).

(1) *Dissert. De Anima brutorum*, §. 4., *Elem. metaph.* t. 3. p. 317 edit. Bassani 1779, pergit ipse, et ait: Sæpe cum fele, quam domi habeo, ludere soleo. Sunt feles oris tactu delicatissimæ: itaque cibos vel mediocriter calidos declinant. Huic igitur feli frustulum assi piscis, cujus sunt illæ gulosissimæ, sed pene urens ostendo; ea accedit, os admovet: murmurans, saltitansque domum circumcursat. Voco parum post, efficio idem; illa eadem. Ergo recta in coquinam. Ego vehementius illam, blandidiusque revoco; ea graviter, seroque ad conclavis ostium se confert, ostendo piscem; lente intuetur, moratur parumper: hinc oculos avertit, caputque: in coquinam redit. Quis hæc et similia, quæ quotidie in brutis videmus, fieri posse per sola effluvia dicet, aut per solas leges mechanicas? Merito igitur Vallesius opinionem de automatismo animali non longe abesse á delirio arbitratus est. *De sacra philosoph.* Cap. 55.

(2) S. P. Aug. *de duabus animab. contr. Manichæ.* «Atque hic si forte turbati á me quærent, ait ipse, num etiam muscæ animam huic luci præstare censerem: responderem, *Etiam*; nec me terreret musca quod parva est, sed quod viva firmaret. Quæritur enim, quid illa membra tam exigua vegetet, quid huc atque illuc pro naturali

Major externâ experientiâ et observatione patet. Omnes vitales functiones in brutis et à brutis fieri continuo perspicimus, *nutritionem, augmentationem, generationem*. Insuper in belluis motiones conspicimus illis omnino similes, quæ in nobis fiunt. V. gr. eædem in ipsis, ac in nobis, sunt capitis commotiones, eædem oculorum conversiones, eædem, ne cuncta persequamur, pedum elevationes, tensiones, et contractiones, atque hæ easdem ob causas in nobis, ac in ipsis fiunt. Atqui hujusmodi motiones in nobis esse spontaneas indubium est. Ratum igitur indubiumque sit oportet, illas in in brutis spontaneas quoque esse (1). Ergo agnoscendum est etc.

24. *Prob. 3.^a pars. Anima brutorum sentiendi facultate gaudet.* Ex hujusce partis demonstratione præcedentes magis magisque confirmantur.

1.^o Sunt in brutis organa simillima iis, quibus homo instructus est ad sensationes excipiendas; est in iis cerebrum, est systema nerveum, saltem in perfectioribus, ut simplici observatione patet, et Anatomia nos docet esse in iisdem non solum externa organa, sed et omnia interna, quæ sensationibus inserviunt. Ergo bruta sentiendi vi gaudent.

Consequentiâ ita demonstratur: 1.^o argumento analogiæ: etenim *res similes similes fines habent: quod in uno similitium valet, valet in cæteris*. 2.^o *Organa*, ut advertit S. Tho-

«appetitu tantillum corpusculum ducat, quid currentis pedes in numerum moveat, quid volantis pennulas moderetur ac vibret...» Et idem S. P. *Enarr. 2.^a in Ps. XXIX. num. 2.* inquit: «Anima humana habet aliquid quod non habet anima pecorum. Nam et pecora *animam habent*, et animalia vocantur. Non enim vocarentur animalia nisi ab *anima*; et videmus quia ipsa *vivunt*».

(1) Cons. Caj. Sans. *Comp. phil. Cosm. c. 5. art. 1.*; Genuens. *Dissert. de anima brut. Elem. Metaph. Tom. 3. Bassan: edit.*

mas (1), *sunt propter potentias*; nam Deus, qui corpus vivum condidit, nihil frustra in eo moliri potuit; et ideo instituit diversitatem in organis, ut congruerent diversitati potentiarum: si autem bruta non sentirent, miranda illa tot organa sensoria exquisitissimi artificii frustanea prorsus essent atque inutilia; quod cum Dei Sapientia repugnat.

2.° Nemo dubitare potest, nam vel ipsa quotidiana experientia nos docet, bruta animalia percipere ac discernere colorum differentias, saporum, odorum, sonorum, frigida á calidis, dura á mollibus etc.; famem, sitim, dolorem, voluptatem; jam vero hujusmodi effectuum solummodo sensationes ratio esse possunt; nisi dicere velimus, Deum hæc omnia simulare ad inutilem lusum, nostramque deceptionem, quod dicere nefas est.

Insuper bruta animalia ita comparata sunt, ut patet, ut alimentum sibi quærere debeant ac seligere, ad quem effectum aptissimis instrumentis prædita sunt ac mediis, si in ipsis sensationes agnoscantur, sin autem ipsis hæc negantur, omnia inexplicabilia evadunt.

3.° Postremo idipsum confirmatur validissimo argumento, quod suppeditat communis hominum sensus, isque adeo communis ac firmus, ut difficile sit credere, adversarios serio dubitasse de animalium sensationibus (2).

(1) Sum. th. 1. p. q. 78. a 3. in corp.

(2) Argumento ab analogia desumpto addere possumus hoc alterum S. P. Augustini, «Cujusque pecoris anima, ait ipse (*Tract. in Joh. Trac. 8. n. 2.*), quomodo regit molem suam; sensus omnes exerit, oculos ad videndum, aures ad audiendum, nares ad percipiendum odorem, oris judicium ad sapores discernendos, membra denique ipsa ad peragenda officia sua: Nunquid hæc corpus et non anima, id est, habitatrix corporis agit? Nec tamen videtur oculis, et ex his quæ agit admirationem movet.» Et idem, *de Civ. Dei, lib. 8. c. 15.* animadvertit, nonnulla bruta in aliquo genere operationum, quas sensitivas dicimus, exercendo hominibus longe excellere, ait ipse, *n. 1.* «quæ (bestiæ) nos et acrimoniâ sen-

25. Quantum attinet ad ceteras belluarum facultates, hæc brevissimis accipite verbis:

1.^o Belluæ habent *sensum internum*, videlicet, *virtutem*, cui redduntur omnia sensata, et in qua omnes sensus conjunguntur. Ratio potissima desumitur ex ipso fine sensitivæ facultatis, quæ ordinatur ad corporis sustentationem; ad hoc autem necesse est, ut belluæ vitent nociva, et conquirant necessaria et utilia, discernant diversa objecta, et eorum differentias discriminent etc.; quod quidem ipsas facere observatio quotidiana nos docet. Jam vero hæc sine sensu interno, ad quem variæ sensuum impressiones terminantur impossibilia sunt (1).

2.^o Habent *appetitum sensitivum*, nempe potentiam, quæ ab objecto apprehenso movetur, secundum quod hoc animali conveniens est; quippe quod animal in id, quod sibi utile apprehendit, inclinatur, et ab eo, quod noxium sibi cognoscit, naturaliter declinat: id patet 1.^o ex fine sensitivæ facultatis, 2.^o ex observatione; nam bruta animalia videmus æstu quodam quærere ea, quæ ad sui, vel speciei conservationem necessaria sunt.

3.^o Habent bruta animalia *phantasiam*, quâ imagines sensibiles sive sensibus externis, sive internis receptas retinent ac repræsentant. Observatione hoc patet. Nam, inquit S. P. Augustinus (2), «et per loca nota sine errore

sum, et motu facillimo atque celerrimo, et valentiâ virium, et annosissima firmitate corporum vincunt. Quis hominum videndo æquabitur aquilis et vulturibus? Quis odorando canibus? Quis velocitate leporibus, cervis, avibus omnibus? Quis multum valendo leonibus et elephantis? Quis diu vivendo serpentibus, qui etiam deposita tunica senectutem deponere atque in juventam redire perhibentur. Sed sicut his omnibus ratiocinando, et intelligendo meliores sumus....»

(1) Cons. S. Thom. Sum. Th. 1. p. q. 78. a. 1. et 4; 2.^a 2. q. 167. a. 2.

(2) Contra Epist. Fundam. c. 17.

»jumenta pergunt, et cubilia sua bestiae repetunt, et canes
»dominorum suorum corpora recognoscunt, et dormientes
»plerumque immurmurant, et in latratum aliquando erum-
»punt.» Insuper cum sine phantasia nulla possit esse sive
memoria, sive aestimatio, iterum infertur, bestias habere
phantasiam; quia

4.° Bruta animalia habent *memoriam sensitivam*, id est, vim reproducendi praeterita sensata, ex hisque se ad agendum movere. «Puto te, inquit S. P. Augustinus (1), »negare non posse bestias habere memoriam. Nam et ni- »dos post annum revisunt hirundines, et de capellis ve- »rissime dictum est: *atque ipsae memores redeunt in tecta »capellae*. Et canis heroem dominum jam suis hominibus »oblitum recognovisse praedicatur. Et innumerabilia, si »velimus, animadvertere possumus, quibus id, quod dico, »manifestum est.» Et alibi ait idem S. P. (2) «Habent »memoriam et pecora, et aves, alioquin non cubilia, ni- »dosve repeterent, non alia multa, quibus assuescunt, »neque enim et assuescere valerent ullis rebus, nisi per »memoriam.» Eadem habet S. Basilius, ait enim (3): Novit »assimus familiarem et consuetam vocem, iter, quod sae- »pius ambulavit, cognovit; imo vero nonnumquam dux »fuit homini aberranti.» Sed anivadvertite cum S. P. Au- gustino (4), nullo modo inesse brutis memoriam intellecti- vam. «Memoriam, ait ipse, non rerum intelligibilium, sed harum corporearum, et bestiae habere sentiuntur.»

(1) Cons. S. P. *De Musica*.. lib. 1. c. 4. n. 8.; *De quantit. animae*, cap. 26.; *De Genesi ad litt.* lib. 3. c. 8.

(2) Confes. Lib. 10. c. 17. n. 2.

(3) S. Basil. *Hexaem.* Homil. 8. n. 1.

(4) *Contra Epis. fund.* c. 17. Tunc praecurrit (L. Tobiae c. 11. v. 9.) canis, qui simul fuerat in via, et quasi nuntius adveniens, blandimento suae caudae gaudebat.

5.° Habent denique *æstimativam*, id est, virtutem apprehendentem de sensato, quod non est sensatum. Observatione hoc patet. Et alia ratio est, quia necessarium est animali, ut quærat aliqua vel fugiat, non solum quia sunt convenientia vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates et utilitates, sive nocumenta; sicut ovis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris, vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ. Et similiter avis colligit paleam, non quia delectet sensum, sed quia est utilis ad nidificandum, ita S. Thomas (1). Necessarium est igitur animali, quod percipiat hujusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior (2).

26. Hæc paucis complectitur S. P. Augustinus «Deus, »ait ipse, unus omnipotens, creator et factor omnium animarum »atque omnium corporum... qui bonis et malis (hominibus) »essentiam etiam cum lapidibus, vitam seminalem etiam »cum arboribus, vitam sensualem etiam cum pecoribus, »vitam intellectualem cum solis angelis dedit... a quo est »omnis modus, omnis species, omnis ordo... qui et animarum »irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum; rationali »autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem (3).»

27. Hæc quinque attributa, quæ in brutis invenimus

(1) Sum. Th. I. p. q. 78. a. 4.

(2) Internoscunt, ait Genuensis (*Dissert. cit. l. c.*), bellua inter utilia et noxia, amica et infesta. Ex voce, sibilo, strepitu, odore objecta discernunt; ab incessu quandoque judicant, in eoque homine ipso sunt sagatoria. Canes, atque elephantum voces internoscunt; iis auditis, de objectis, quæ nondum videre, præjudicant, ea esse amica, aut inimica præsciunt. Nam, si amica fuerint, toti se comparant, ut blande, amiceque excipiant; contra vero si inimica præsagiant, exasperantur, seque ad prælium veluti accingunt, in aciem, si res ferat, prodituri.

(3) De Civit. Dei. Lib. 5. cap. XI.

magis magisque demonstrant quam absurdum sit animalium *automatismum* (1).

Habemus igitur, principium viæ tum vegetativæ, tum sensitivæ esse in animalibus brutis, et quia impossibile est, ut materia sentivâ facultate donetur, hoc principium necessario erit aliqua substantia simplex, quam *animam* omnes vocant, nec *bruta ipsa animalia vocarentur nisi ab anima* (2). Ergo etc.

28. *Opp.* Nulla est in brutis anima præter sanguinem, qui circuens per eorum organa, facit illa vivere (3); constat hoc ex Sacra Scriptura, Deuter. c. 12. v. 23 dicitur: *Sanguis enim eorum pro anima est, et idcirco non debes animam comedere cum carnibus.* Ita Malebranchius.

R. *Nego assert.* Ad testum S. Scripturæ respondet S. P. Augustinus; «Sic dictum est, ait ipse (4), anima omnis »carnis sanguis est, quomodo dictum est *petra erat Christus*, non quia hoc erat, sed quia hinc significabatur. Non

(1) Ex adductis S. P. Augustini testimoniis, et ex pluribus aliis, quæ omissimus, ne sermonem longiorem juxta faciamus, patet quantum á vero aberraverint nonnulli cartesiani, et Tissotius, qui asserere non dubitarunt, S. Patrem doctrinæ Cartesianæ verum stitisse præcurso-rem; Tissot, *La vie dans l' homme*, P. art. 2. l. 2. c. 6.: Poujoulat, *Hist. de S. Agust.*; Madrid. 1853. c. 5. pag. 93. Conseundem auctor. *Introduccion*. p. 31. Loca S. P. á Tissotio adducta ex libris: *De cognitione vitæ*, et *De Spiritu et anima* nihil ad præbandum valent; etenim hos duos libros eruditi S. P. Augustino jamdiu abjudicarunt (Cons. *Appendicem. ad Opp. S. P. Aug. Tom. 6., edit. pp. Maur. Parisiis* 1685. *Adnonit. pags. 34 et 167.*)

(2) Enarr. II. in psal. 29. n. 2.

(3) Hoc affirmaverat Crytias referente Aristotele. Cons. S. Thom. 1. de anima Lect. 5. Tales sunt Cartesianorum progenitores.

(4) *Contr. adversar. Legis*, l. 2. c. 6.

»autem frustra lex animam voluit significari per sanguinem, rem scilicet invisibilem, per rem visibilem.» Et S. Thomas inquit: «Ideo dicitur quod anima est in sanguine, »ad designandum propriam dispositionem corporis, in quantum est materia perfecta per animam (1).»

Opp. iterum. Hypothesis de automatismo animalium nihil incommodi habet, quia Deus potuit automata condere illis motionibus efficiendis idonea, quas in belluis conspiciamus; contraria autem opinio viam sternit materialismo: ergo etc.

Resp. Hypothesis etc. *nihil incommodi habet. Nego.* Nam 1.° opponitur veritatibus completâ analogiâ, perfectâque observatione demonstratis, ideoque scepticismo viam aperit: 2.° opponitur sensui naturæ communi: 3.° recta ducit ad materialismum.

Quia Deus potuit etc. *Resp.* 1.° *Transeat:* non loquimur de potentia Dei absoluta, sed de eo quod fecit, seu de ordinaria.

Resp. 2.° *Nego.* Nam id, quod repugnat, non potest esse objectum Divinæ Omnipotentiae; jam vero naturæ rerum mutari non possunt, quin destruantur, quia quælibet res per suam essentiam, seu naturam constituitur. Atqui commentum automatismi animalium inducit mutationem essentiae, seu naturæ rerum. Nam natura cujuslibet rei fons est, et principium operationum ejus; operationes autem, quas in belluis observamus, ejusmodi sunt, ut naturæ automati Cartesiani omnino repugnent. Ergo animalium automaton est quid repugnans, quod non potest esse terminus actionis Divinæ.

Contraria autem opinio etc. *Nego.* Non modica sufficit ignorantia, ut præconcepta opinio ad talia affirmanda impellat.

Materialista (ut indicavimus 22 in nota) ita argumentari

(1) Q. 3 de pec. a. 9. ad 8.

potest. Non repugnat, Deum efficere machinas tam miro artificio perfectas, ut efficiant omnes operationes, quas in brutis miramur: jam vero cum Dei potentia nullis coarctetur limitibus, et rerum perfectiones semper magis, magisque augeri possint, minime dici potest repugnare Deum construere machinas, quibus omnes efficiantur motus, quos in hominibus animadvertimus. Ergo, saltem sine temeritatis nota, non licet negare homines esse puras machinas. Reliquos enim homines, à nobis distinctos, spiritu et animâ vivere solum colligimus ex motibus oris, linguæ, et cæterorum membrorum atque operationum, quibus mentis notiones, et animi affectus exprimunt. Videant ergo cartesiani quid huic respondeant, ipsi qui tanta levitate sua decantant paradoxa.

Cæteræ difficultates, quæ ab observatione et experimentis adducuntur, aliæ sunt falsæ et puræ fabellæ, aliæ nihil probant, præter ignorantiam in scientiis naturalibus. Non vacat eas persequi.

§. II.

29. Nunc jam quærendum est, quæ sit hujusmodi animalium animæ natura; quæstio est hæc admodum difficilis, et si veritas dicenda, quid ipsa non sit dicere valemus, quid vero sit credo neminem adhuc satis enucleare valuisse (1). Pauca dicam; dicam tamen

30. Ac primo tenendum est, unicum esse principium, quod in brutis vegetat et sentit; id patet:

(1) Quamtumvis plurimi philosophi juxta suum præconceptum systema, quæstionem hanc de natura animæ brutorum solutam credant, falluntur tamen: undique difficultates, undique incommoda. Non autem ex hinc, ut aliqui fecerunt, sequitur, animam brutorum esse denegandam: si ita argumentari liceret, quamplurima facta evidentissima negari deberent; undique enim tenemur mysteriis.

1.° Ex eo, quod principium, quod in brutis vegetat et sentit, eorum forma substantialis esse debeat, quia est illud, ex quo bruta in sua specie constituuntur, et ex quo effectus sibi proprios producunt. Jam vero hæc forma substantialis, seu illud per quod res quælibet in suo *esse* constituitur, et ex quo operatur, unum tantum esse potest, alioquin nec unum esset *esse* rei, nec res haberent unum principium *quod* operationum, quod plane repugnat. Ergo vel admittendum est, unum idemque esse principium quod in brutis vegetat ac sentit; vel admittenda duo valde absurda: nempe 1.° quod brutum non est unum, sed plurimum viventium coacervatio, 2.° quod vis vegetandi, vel vis sentiendi, non vero utraque ad bruti essentiam pertinet (1).

Quoniam vero bellua naturam suam specificam sumit non ex eo quod vegetet, sed ex eo quod sentit, consequens est, illud unicum principium, quod forma substantialis dici potest, esse principium sentiens, seu anima sensitiva.

2.° Hoc ipsum patet ex multiplicibus relationibus, quæ organicam inter animaleque vitam existunt; ut sunt:

1) Relationes *perfectiōnis*. Nam quo perfectiores sunt in animalibus sensitivæ facultates, eo exquisitiori artificio vitæ organicæ apparatus digesti sunt ac distincti, eorumque functiones perfectius exercentur.

2) Relationes *durationis*. Tamdiu enim vita organica protrahitur, quandiu viget sensitiva, et vice versa cum illa abrumpitur, hæc quoque perimitur. Quod certe non contingeret, saltem adeo constanter, si vita organica à principio vitæ sensitivæ esset independens.

3) Relationes *subordinationis*. Vitæ namque vegetativæ functiones organa ipsa sensitivis facultatibus attributa,

(1) Cons. S. Thom. Sum. *Th.* 1. p. q. 76. a. 3. Tres ab ipso ibi positæ rationes hic applicari possunt.

quæ certe anima ut sibi propria possidet et informat, perpetuo nutriunt et augent (1).

4) Relationes *influxûs ac mutue dependentiæ inter functiones pure vitales, et functiones sensitivas*. Hoc per se patet.

5.) Denique *ipsa sensationis natura hoc confirmat*; nam nec solius animæ propria est, nec corporis, sed propria totius compositi, quod ex corpore organico animâque ipsi in unitatem naturæ conjunctâ exurgit.

31. Quænam sit natura hujus principii, quod vegetat et sentit, inter philosophos non convenit.

Omissis paradoxis tum assertorum automatismi, qui existimarunt, nonnisi aliquid extensum et corporeum esse posse principium, ex quo bruta operantur (2), tum pythagoreorum, qui *metempsychosis* doctrinam tenentes autumarunt, animas humanas, quæ in vita male se gesserunt, dissoluto corpore, in corpora belluarum migrare, ideoque pugnarunt animas belluinas esse *proprie spirituales* et immortales (3), nos duas præcipuas recensemus opiniones.

(1) Salv. Ton. *Inst. Phil. tom. 3. Psych. l. 1. c. 3.*

(2) Cons. Le Grand, *Disser. de carentia sensus, et cognit. in brutis* §. 17. seqq.

(3) Diximus *proprie spirituales* et immortales; nam lato sensu animæ brutorum dici possunt spirituales; Hinc Honorius Augustodunensis in libro: *De cognitione veræ vitæ* cap. 4 inter opp. S. P. Aug. Tom. 6. edit. PP. Maurin. ait.: «Sex modis in Scripturis spiritum substantialiter dici non nescio á vobis sciri. Primo summus omnium Deus »spiritus appellatur.... Secundo angeli.... Tertio animæ.... Quarto anima brutorum animalium spiritus vocatur, ut ibi: *quis scit si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Quinto venti, ut ibi: *Spiritus procellarum*; Sexto aer, ut ibi: *os meum aperui, et attarsi spiritum*. Cons. S. Thom. *Sum. Cont. Gent. l. 4. c. 23.*; S. P. Aug. l. 15. *de Trinit. c. 16.*; S. Gregor. Mag., *Dialog. L. 4. c. 3.*, ait; «tres quippe vitales spiritus »creavit omnipotens Deus; unum, qui carne non tegitur; alium, qui

32. Prima, quæ post Wolfium longe propagata á quampluribus amplexata est, tenet: 1.º Animas brutorum esse simplices, utpote sensitivæ, sed non spirituales (1); id est, in suis operationibus dependere ab organorum meterialium concursu, ideoque corpore indigere, ut agant, igitur nec ratione, nec libertate præditas esse: 2.º Quoniam simplices, inextensæ et indivisibiles non possunt nec alias ab aliis traduci, nec per generationem gigni, nec ex materiæ potentia educi, nec, corrupto corpore, corrumpi, sive in partes dissolvi; quapropter non aliter ipsas posse oriri, quam per creationem, nec aliter perire, quam per annihilationem (2). 3.º Esse dependentes á corpore quoad omnes suas operationes, non tamen quoad ipsum esse. Ratio primi est, quia omnes bruti facultates intra sensitivum ordinem continentur. Actus autem facultatum sensitivarum sine corpore exerceri nequeunt; eorum enim subjectum neque anima est, neque corpus, sed compositum ex utroque. Igitur nullum actum anima sensitiva exercere potest independentem á corpore. Ratio secundi est, quia utpote sensitiva, cæterisque facultatibus, quas supra me-

»carne tegitur, sed non cum carne moritur; tertium, qui carne tegitur, et cum carne moritur. Spiritus namque est, qui carne non tegitur, angelorum; spiritus, qui carne tegitur, sed cum carne non moritur, hominum; spiritus, qui carne tegitur et cum carne moritur, jumentorum, omniumque brutorum animalium. Homo itaque sicut in medio creatus est, ut esset inferior angelo, superior jumento.»

(1) Nulli dubium esse potest dari posse substantiam, quæ media sit inter spiritum et materiam, substantia scilicet simplex et indivisibilis omnium sensibilium operationum capax, quæ ideo á materia dependeat in suis operationibus, rationis et libertatis experts.

(2) Animæ brutorum annihilatio nullum inconueniens præ se fert; nam primo nullum alium finem ex se exigunt: secundo annihilatio non est actio Dei, sed pura subtractio actionis conservatricis, quæ quidem subtractio rationem habet sufficientem.

moravimus (25—1.° seqq.), præditæ, sunt simplices et indivisibiles, ideoque nec accidens corporis sunt, nec formæ materiales dici possunt, hæ enim sunt compositæ et divisibiles. Ergo sunt per se animæ brutorum; ergo sunt substantiæ; ergo non inhærent alteri tamquam subjecto, quamtumvis sint in altero tamquam in toto, cum quo suppositum, seu naturam animalem et principium operationum constituunt. 4.° Non esse immortales, quia immortalitas propria est substantiæ spiritualis, ideoque á corpore solutæ et vivere, et esse desinunt; non quidem corruptione sui, sed annihilatione naturæ earum debita (1). Ad hæc capita reducitur theoria de animæ brutorum natura, ortu et interitu, quam major pars, vel fere omnes recentes philosophi tuentur; præsertim hi, qui systema peripateticum de compositis naturalibus rejiciunt (2). Verum enimvero optime possumus admittere systema peripateticum circa composita naturalia, quin inde necesse sit admittere, animam brutorum esse id, quod ipsi dicunt. Dicunt enim:

33. 1.° Animas brutorum esse formas substantiales corporis animalis sentientis, quatenus sentientis; ac proin-

(1) Animas brutorum annihilari posse, nemo, qui sapiat, negabit, *vid. præced. not.*; primo quidem, quia bruti anima corpore exuta non est amplius vitæ capax (*vid. in corp. 3.°*) Deinde quia belluinæ animæ finis est tantummodo informatio corporis, non verò perfecta felicitas in creatoris sui cognitione et amore constituta, ad quam quidem assequendam immortalitas necessaria est.

Demum quia anima ejusmodi nec meriti, nec demeriti capax est, ex quo nulla ipsi præmia, pœnæve ullæ debentur; ergo absoluto animalis fine, ejus conservatio non habet objectum, atque eo ipso anima ad nihilum redigitur. Tamen

Doctrina *metempsychosis*, si belluinis animabus tantummodo applicetur, nullum inconveniens præ se fert; impossibile fore, neminem credo probare posse. Consul. Balmesium. *phil. fund.* l. 2. c. 2.

(2) Cons. Salv. Tong. *Instit. philo., tom. 3. Psych. lib. 1. c. 3. art. IV.*

de esse substantias incompletas, quæ per se non subsistunt, sed quarum esse sit per hoc, quod insit materiæ, ideoque habent esse concretum in materia, ita ut á materia in *esse*, et *operari* pendeant.

2.º Ajunt, animas brutorum non esse materiales eo modo, quo materiale est corpus. Etenim corpus, uti substantia completa *actu* constituta, extensione, divisibilitate, aliisque proprietatibus pollet, quæ substantiis incompletis competere nequeunt.

3.º Animas brutorum, uti formæ substantiales et incompletæ, quæ conjunctæ corpori organico ipsi tribuunt *esse animale*, et *operari ut tale*, ad genus formarum materialium pertinere, ita tamen, ut ad immaterialitatem proxime accedant: accedunt ad *genus formarum materialium*; et ratio est, quia omnes earum operationes nec sensibilia, seu materialia supergrediuntur, nec exerceri possunt, nisi in corpore et per corpus; ergo, cum natura uniuscujusque rei ex ejus operationibus ostendatur, animas belluinas etiam in suo esse á corpore dependent. «Atqui forma, quæ á materia dependet, non est forma *subsistens*, sed est forma, quæ *esse* suum concretum in materia habet; igitur non supergreditur genus formarum materialium: *accedunt tamen proxime ad immaterialitatem*; et ratio est, quia, quantumvis earum operationes, seu cognitiones sensibilia, et individualia non prætergrediantur, tamen eas *sine materia* accipiunt (1).

(1) Est ergo (ait. S. Thom. sum. Th. 1. p. q. 78. a. 1.,) quædam operatio animæ, quæ in tantum excedit naturam corpoream, quod neque etiam exercetur per organum corporale, et talis est operatio animæ rationalis. Est autem alia operatio animæ infra istam, quæ quidem fit per organum corporale, non tamen per aliquam corpoream qualitatem; et talis est operatio animæ sensibilis; quia etsi calidum, et frigidum, et humidum, et siccum, et aliæ hujusmodi qualitates corporeæ requirantur ad operationem sensus, *non tamen ita quod mediante virtute ta-*

4.° Ipsi statuunt inter corpus et spiritum (propria significatione sumptum) nihil medium (1) esse posse; quod quidem quomodo probari possit non apparet. Nam ex eo quod contrariæ opinionis fautores affirmant, animas brutorum à corpore non dependere quoad ipsum esse, ideoque esse substantias; cum tamen affirmant etiam, ipsas nullam facultatem habere ab organo corporeo independentem, sed omnes earum facultates, quæ quidem ordinem sensibilem non prætergrediuntur, esse per resultantiam, ut ita dicam, ex physica conjunctione cum organo corporeo, satis hoc superque est, ut minime inferatur ipsas esse substantias spirituales.

5.° Dicunt, animas brutorum, si abstracte considerantur, et dumtaxat prout sunt formæ, non nisi ut prorsus indivisibiles cogitari posse; si autem considerentur ut *actu* corpus informantes, possunt concipi divisibiles, non quidem per se, sed per accidens, id est, ratione corporis, quod informant. Verumtamen sedulo notandum est, esse quædam animalia perfecta, quorum corpora pluribus prorsusque diversis organis coalescunt, ita ut eorum ratio in nulla parte per se spectata inveniatur, sed in toto et in indivisibili continetur, adeo ut quæcumque pars essentialis ab ipso separetur totum animal perit; sunt vero alia animalia imperfectiora et annulosa, in quorum qualibet vel parva parte invenitur ratio completa exigui numeri organorum, quibus coalescunt, ut in polypis fluviatilibus (*hydras*), lumbricis terrestribus. Jam vero in primis, seu animalibus perfectis animæ nec per accidens quidem divisibiles sunt; in iis autem imperfectioribus, quamvis *actu* anima unica sit, si dividantur tamen tot pergunt esse

lium qualitatum operatio animæ sensibilis procedat, sed requiruntur solum ad debitam dispositionem organi: quæ cognitio sensitiva supergreditur operationes vegetalium quæ fiunt virtute corporeæ qualitatis.

(1) Intellige *ens subsistens*, seu substantiam proprie sumptam.

animalia, quot partes annulosæ, in quas dividantur, unde dicitur, horum animas esse divisibiles per accidens. Unde in animalibus imperfectis anima est *actu* una, plures vero in *potentiâ* materiæ. Nam

6.º Juxta ipsos animæ brutorum, cum non sint formæ subsistentes, in *esse* non producentur, nisi quatenus producit corpus, cujus formæ sunt, unde sicut producit corpus per actum naturæ generantis, ita et formæ prædictæ producentur per virtutem, seu *actionem formativam* seminis, seu *nixum*, ut loquuntur moderni (1). Itaque anima generati causatur ab anima generantis, vel á virtute derivativa ab ipsa, quæ est in semine; non quia anima sensibilis sit actu in semine secundum propriam speciem, sed sicut in virtute activa, sicut domus in actu est in mente artificis, ut in virtute activa (2). Hinc sequitur denique

(1) Cons. S. Thom. QQ. Disp., de pot. q. 3. art. 11. ad 16. et art. 12. ad 5. et 11.

(2) Virtus itaque seminis disponit materiam, virtus autem animæ dat formam materiæ in generatione animalis, ita S. Thom. Sum. Th. 1. p. q. 118. a. 2. ad 3.; et S. Bonavent. in 2. l. Sent. Dist. 15, a. 1. q. 1. ad arg. ait: «est quædam potentia spiritualis indita á creatore ipsi materiæ corporali, et ei innitens, et ab ea dependens, et per eam anima sensibilis in brutis generatur per transmutationem corporalis naturæ.»

Hic quæri potest: An aliqua sine semine (*ovo*) et ex corruptione materiæ inorganicæ gigni, seu oriri possint? (quam generationem, seu ortum vocabant veteres *generationem ex putredine*; hodierni vero *generationem spontaneam*) nam juxta theoriam Scholasticorum supra expositam videtur non repugnari talis generatio.

Respondeo, si hæc generatio entium viventium, seu *heterogenea* viribus mechanicis, seu physicis et chemicis solum tribuitur, plane absurdum est, et materialistarum commentum: sin autem dicatur, quod Deus in creatione mundi addidit materiæ inorganicæ quamdam virtutem, seu vim, per quam ipsa in quibusdam circumstantiis posita,

7. Animas brutorum, cum ipsis non competat esse, sicut non competit operari, nisi in corpore et per corpus, corrupto corpore, et ipsas quoque corrumpi et interire, non quidem per se, sed per accidens, quatenus deficit id, cujus formæ substantiales sunt et quocum unum esse accipiunt, et unum operari.

34. Hæcce sunt præcipua capita in quæ recidit theoria peripatetico-scholastica de anima brutorum.

Si à me quæritis: quam cui præferendam existimem: ingenue dicam (nam non systematis studium aut partium, sed veritatis amor movet), *nescio*. Nihilominus innuere audeam, salvâ tantorum DD. reverentiâ, primam videri rationi et experientiæ magis consentaneam. Non placet rationes, aut incommoda singillatim persequi (1). Quod utique apud omnes verum esse debet, in commendationem omniscientiæ rationis humanæ, animas *brutorum* nostram debellare arrogantiam.

atque actione causarum exteriorum adjuta animalia quædam imperfecta producat, nullum erit inconueniens; hocce in sensu intelligi debet sententia SS. PP, et Scholasticorum asserentium generationem animalium heterogeneam, seu ex putredine, quæ quidem aliunde non pugnat cum SS. Scriptura. Cons. S. P. Aug., De Civ. Dei L. 16, c. 7. ubi adducit illa verba Genes. c. 1. v. 24. *Producat terra animam viventem*. Cons. S. Basil. Homil. 9. Hex. n. 2.; id. S. P. Aug. De Genes. ad litt. l. 3. c. 14; De Trinit. l. 3. c. 8. n. 15; S. Thom. in 7. Metaph. lect. 6. et 8. et sum. Th. l. p. q. 71. a. unie. in c. Historiam hujus quæstionis reperietis apud Pouchet, *Hétérogenie, ou traité de la génération spontanée* c. 1. Parissi 1859.

(1) Quoad primam cons. Wolfium; *Physi. ration. sect. IV.*; Calmet Dictionnaire de la S. Bible, art. *âme*; Genuens. *Dissert. de anima brut. Elem. Metaph. Tom. 3. edit. Bassan.*; Salv. Tong. *Inst. phil. tom. 3. Psych. l. 1. c. 3. à pag. 30 prop. 2.* Pro peripatetico-scholastica sunt fere omnes mediæ ætatis philosophi cum S. Thoma, cons. Caj. Sansev. *Elem. philos. Christ. etc. volum. 2. Cosmol. c. 4. art. 3. pag. 358. edit. Neapoli.*

Cæterum quæcumque ex his duabus opinionibus præligatur (32.—33) pro certo tenendum est, animas brutorum destructo corpore destrui sive annihilatione, ut vult prima; sive corruptione accidentali, id est, quatenus corrumpitur corpus, cujus forma est, ut vult altera theoria peripatetico-Scholastica (1).

III.

35. Nunc jam statuendum est essenziale discrimen et infinitum intervallum, ut ita dicam, quod est inter hominum animas et animas pecorum, contra nonnullos ethnicos philosophos priscae antiquitatis et recentis, quos inter Lockius, Condillachus, et omnes materialistæ.

(1) Quæretis fortassis in quas præcipue species animalium genus dividatur? R. Animal vitæ solummodo sensitiva præditum (nam hominem, utpote intellectivum, specialem ordinem constituentem hinc non comprehendimus) dividitur in *perfectum*, seu cui quinque sunt sensus externi, et in *imperfectum*, cui aliquis deficit. Rursus in *exsangue* et *sanguine* præditum. Deinde ratione morum: *fera* alia vocantur, alia *mansueta*, *solitaria*, *gregaria*, *domestica*, *selvatica*, *stolida*, *solertia*, *muta*, *canora*. Ratione cibi, quo nutriuntur, alia sunt animalia *granivora*, alia *herbivora*, alia *carnivora*. Ratione motûs, quo gradiuntur, alia sunt *volatilia*, alia *reptilia*, alia *gressilia*. Ratione loci, quem incolunt, alia sunt *aerea*, alia *terrestria*, alia *aquatilia*, et alia *amphibia*. *Aerea*, seu *volatilia* alia sunt *implumia*, ut *locustæ* et *vespertiliones*, alia *plumata*, quæ *aves* dici solent. *Terrestria* alia sunt *quadrupedia*, alia *multipedia*, alia *sine pedibus*; si pedis ungula continua est, ut in equo, asino etc., dicuntur *solipeda*; si divisa, ut in bove, ovi *bisulca*; si est in digitis discretus pes dicuntur *multifida*. Inter terrestres numerantur *insecta*, seu animalcula variis incisuris prædita, alias *annulosa*; et *vermes*, qui sanguine proprie dicto carent. Piscium innumeræ sunt species: sunt *exsanges*, et *sanguinei*; ex variis aquis, quas incolunt, dividuntur in *marinos*, *fluviatiles*, et *lacustres*; ex marinis sunt alii *littorales*, alii *sacatiles*, alii *pelagii*, eo quod hanc potius, quam illam maris partem ament: alii etiam sunt *squammosi*, alii *crustacei*, alii *cartilaginei*; quæ marino-

36. Hocce igitur essentielle discrimen, quin opus sit multa persequi, evidenter apparet:

1.º) Ex eo, quod notat S. P. Augustinus *lib. QQ. LXXXIII. quæst. 13.*, quodque omnibus, ut ipse ait, *manifestum est, scilicet, bestias ab hominibus domari et mansuefieri posse, hominem á bestiis nullo modo.*

2.º) Nullum in brutis deprehenditur aut rationis, aut libertatis, aut perfectibilitatis indicium; semper enim operantur idem, semperque simili modo, cum autem rationis objectum non sit aliquid particulare et determinatum, sed universale, si bruta rationem haberent, non determinarentur constanter ad idem, sed pro libitu variarent opera saltem ætatis processu. Nunquam tamen vel minimum ea profuisse in suis industriis deprehensum est; nulla ab ipsis ars excogitata; nihil perfectior evadit ipsorummet brutorum societas; nec perfectior unquam est eorum natura, nec depravata, ut sæpe fit in hominibus; quæ forte aliqua ratione educantur ab hominibus, suam deinde nesciunt prolem in hoc instituere; ita si quas

rum divisio fluvialibus etiam, atque lacustribus piscibus aptari facile poterit. Atque ad hanc etiam marinorum speciem revocari posse videntur *conchilia, ostræ, et alectorides*, aliæque plurimæ marinorum corporum species, quæ in *bivalvias* atque *totivalvias*, quæ rariores tamen sunt, distinguuntur. De his accuratissime scripsit Ulyssis Aldrovan-
dus XII libros Bononiæ editos, aliique plurimi scripserunt.

Præcipuæ corporis animalium partes sunt aliæ *similares, dissimilares* aliæ; similes præcipue sunt quindecim: *os, cartilago, tendo, ligamen, fibra, membrana, vena, arteria, nervus, caro, adeps, glandula, medulla, humor et animalis spiritus*. Dissimilares dividuntur in *caput*, ubi est sensûs præcipua pars et sedes: *thoracem*, ubi est cor, passionum seu appetitûs sensibilis principium: *ventrem*, in quo vegetandi operationes perficiuntur; et *artus*, seu immediata motus localis organa. Alia plurima omittimus. Cons. S. Basil., in *Hexæameron, div. opof. Homil. 7. á princ.*

voces discant, ne una quidem voce suum lexicon au-
gent (1).

3.º) In brutis nullum deprehenditur idearum universa-
lium, aut moralium indicium; nulla futuri propria cog-
nitio, nullaque ex apparitione phantasmatum, aut ex præ-
sentibus affectionibus conjectatio ad futurum; quæ enim
apparet in ipsis futurorum spectatio eventuum, non aliud
est, quam opus sensibilitatis, vel fortasse memoriæ et
imaginationis. Nunquam in ipsis detecta est vel minima
proclivitas ad discendum; nunquam manifestata est volup-
tas in aliquo vero cognoscendo, nec indicium ullum, quod
præsenti bono renuntiaverint ex aviditate cognoscendi
præterita vel futura, quemadmodum accidit hominibus,
quos vel adhuc infantes tam vehementer objectorum no-
vitas admiratione percellit, et curiositatis stimuli in-
cessanter pungunt. Præterea notionibus honestatis et jus-
titiæ, virtutis et vitii prorsus carent, moralemque impu-
tabilitatem aut obligationem non agnoscunt; sensibilia so-
lummodo bona et ad animale vitam pertinentia inquirunt,
et corporeæ solum voluptatis desiderio, aut præsentis dor-
loris timore moventur; ipsamque mortem subeunt, quin
agnoscant ipsa mori. Ex quibus omnibus aperte liquet,
bruta animantia, quacumque instinctûs sagacitate prædi-
ta, nullum idearum nexum componere, qui á reflexione

(1) Bruta habent judicium ad aliquid opus determinatum, et non
ad omnia, sicut apes non habent industriam ad faciendum aliquid aliud
opus, nisi favos mellis, et similiter de aliis animalibus. S. Thom. *qq.*
Disput. de vero. q. 24. a. 1.; *id. cont. Gent. l. 2. cap. 66.*; *Idem in*
l. 2. sent. dist. 25. q. 1. a. 2. ad. 7. ait: Ex determinatione naturæ
actus suos (bruta) exercent, non autem est propria determinatione
agentis, unde omnia ejusdem speciei similes operationes faciunt, si-
cut omnis aranea similiter facit telam, quod non esset, si ex seipsis per
artem operantes sua opera disponent, et propter hoc non est in eis
liberum arbitrium.

dependeat et á facultate ratiocinandi profluat; hæc enim facultas cum ideas abstractas expostulet, quibus evidenter constat bruta carere, ipsis plane deneganda est. Omnis igitur brutorum sagacitas in finibus sensibilibus contineri deprehenditur: neque in illis numerorum cognitio, neque ordinis, aut pulchritudinis ulla perceptio, aut sensus ullus, neque ulla intelligibilium quorumcumque objectorum notio, neque ulla veritatis inquirendæ cupido, neque ullus moralitatis sensus cultusque Divinitatis (1).

4.º) Denique, lingua brutorum nihil exhibet artificiale, sed opus mere naturale; ipsorum voces ita invariabiles, sicut instinctus ipsorum constans est; quin antea de earum significatione, quam plane ignorant, edoceantur, eas efformant á præsentibus objectis determinata, juxta constitutionem organorum. Contrà homines, in quibus organum vocis intelligentiæ voluntatisque subditur imperio, ea varietate sonos articulant, ut quidquid ipsis libuerit omnino, continuoque exprimant. Hominis itaque intelligentia, non per gradus tantum perfectionis instinctum brutorum supereminet, sed in alio omnino ordine, seu genere eam esse, seu essentialiter differre dicendum est: frustra enim omnino Deus potioribus facultatibus bruta instruxisset, quando nullius usûs essent, ac perpetuo et constanter inactivæ et consepultæ permanere debuissent (2).

36. *Obj. et Resp.* Nec dicatur, observatum esse, quod ab insectis vilioribus ad simiam usque sese evolvat sagacitas prout organica partium structura perfectior explicatur; ac proinde quod possit concludi, majorem intelligentiam in homine, á perfectiore tantum partium organicarum structura

(1) Cons. Feller, *Catecismo filosofico*, lib. 2. c. 1. Digresion sobre el alma de los brutos, pag. 75. edic. Madrid, Aguado, 1827.; S. P. Aug. *De Doctri. Christ.* l. 2. c. 2.; *De Trinit.* l. 10 cap. 4. et aliis multis in locis.

(2) Cons. Bossuetum, *De cognit. Dei et sui ipsius* c. 5.

repetendam esse (1). Nam prætermisso diligentiori, quod institui posset, examine in objectam observationem, negatur omnino consequentia. Licet enim majorem activitatem, extensionem et varietatem ex perfectiori *organizzazione* brutorum sagacitas acquirat; in qualibet tamen specie intra fines sensibilium objectorum tantummodo continetur. Si accurate brutorum seriem ab imperfectiori ad perfectiorem *organizzazione* prosequamur, ne levem quidem intelligentiæ adumbrationem offendemus, quâ ad veritatum abstractarum cognitionem ascendant, aliasve operationes intellectuales exercent. Perfici ergo intelligatur quantumlibet brutorum sagacitas ex perfectiori adhuc partium organicarum structura, neque infimum humanæ intelligentiæ gradum unquam attinget. Ex quo plane constat, intelligentiam in homine à sola partium organicarum structura nequam pendere; etsi concedamus in singulis individuis *organizzazione* in eam influere extrinsece, et pro præsentī statu physicæ conjunctionis animæ cum corpore. Cætera omittimus, nam plus justo hanc protraximus Disputationem (2).

(1) Robinet, Bauman, Helvetius, in lib. *de spiritu*.

(2) Cons. SS. Basilium, *Homil.* 8. et 9. in *Hexaem.*; Greg. Nyss., *De opificio hominis cap.* 30.; S. P. Aug. *De Trinit. Lib.* 10. c. 4. et *De Civit. Dei* lib. 5. c. 9. et l. 8. c. 15; et *De Genes. ad litt.* lib. 11. c. 2.; Bossuet. l. c.; Hervas, *El hombre fisico*, tom. 1. trat. 3., Madrid 1800; Tongiorgi l. c. pag. 38., Caj. Sansev. *Elem. etc.* vol. 2. pag. 348. n. 227. seqq.

PSYCHOLOGIÆ SECTIO PRIMA.

DYNAMIOLOGIA GENERALIS.

DISPUTATIO 4.^a—DE ANIMÆ HUMANÆ ATTRIBUTIS ESSENTIALIBUS. RATIO IPSIUS MULTIPLICIUM FACULTATUM. UTRUM ANIMÆ FACULTATES DISTINGUANTUR AB ESSENTIA ET INTER SE, ET QUOMODO.

37. Animæ humanæ, seu illius principii, quod in nobis sentit, cogitat et vult, essentialia attributa, seu proprietates sunt *unitas* metaphysica, *identitas* ac *activitas*.

1.^o Animam nostram gaudere *unitate* metaphysica ex ipso conscientiæ testimonio evidenter constat. Nam quid clarius nobis conscientia testatur, quam hoc, scilicet, principium, quod in nobis sentit, cogitat ac vult, unum idemque esse? Ipsumque principium esse, quod varias, contrariasque affectiones experitur gratas vel ingratas? Unum idemque esse, quod in oculo videt, in aure audit, etc., atque hæc omnia inter se comparat ac differentias percipit et judicat, multiplicitatemque per unitatem cognoscit? Jam nisi anima metaphysicâ unitate gauderet, hæc omnia non solum impossibilia, sed maxime absurda forent. Hæc unitas est unitas personalis, absolute indivisibilis ac simplex, sive brachium amputetur, sive pes etc. unitas hujuscemodi principii semper eadem permanet.

2.^o Animam gaudere *identitate* metaphysica, præterquam quod consequitur ex ejus unitate, constat ex conscientiæ testimonio, quo intime persuasum habemus, ac certi sumus, illud ipsum principium, quod nunc lætatur, esse illud ipsum, quod heri timebat et tristabatur; jam corrigit errores in quos olim inciderat, et pœnitet delictorum juventutis; jam gratulatur de bene gestis.

Hinc apud omnes gentes et populos præmia et pœnas servantur iis, quibus ab ipsis gesta bona, vel mala imputata fuerint, quod utique minime locum habere posset, nisi apud omnes in comperto esset identitas personæ, ac ejus operationum principii.

3.º Ipsam animam gaudere *activitate*, seu potius ipsam esse activitatem et *vitam sui consciam*, ita ut ipsa se ipsam moveat; patet tum ex conscientiæ testimonio, tum ex ipsius spiritualitate, seu metaphysica unitate et identitate, tum ex his omnibus, quibus ejus libertas demonstratur (1). Tametsi respectu objectorum externorum indigeat ad suam exerendam activitatem, ut ab ipsis veluti alliciatur, ac etiam ad quosdam actus determinetur.

38. Anima autem hanc vim agendi, seu activitatem, quâ varios distinctosque actus, motus effectusque generat, ac producit, et quibus distincta variaque objecta ipsa attingit, multiplici operationum genere exserit ac prodit, ut experientia et ratio ipsa docent. Experientia; nam alius est v. gr. actus audiendi, alius intelligendi aut volendi, etc.. Ratio; quia cum ejusmodi activa animæ virtus infinita non sit, sed intra arctos limites contineatur, non potest simul uno actu complecti objecta omnia, ad quæ tamen complectenda sese porrigere potest. Unde necessario consequitur, ut quando in unum objectum intenditur hujusmodi virtus, non intendatur ad alterum, ad quod tamen intendi potest. Propterea hæc virtus modo est actus respectu certi cujuscumque objecti, modo est dumtaxat agendi *potentia*.

Deinde cum anima humana sit in confinio spiritualium et corporalium creaturarum, in ipsa concurrunt virtutes utrarumque creaturarum (2). Agnoscendæ igitur sunt in

(1) Plato animam vocat: *motum, qui se ipsum movet*. Cons. præcl. nostr. Balm. Filosof. fund. lib. 9. cap. 6.-7.-9.

(2) Cons. S. Thom. Sum. Th. 1. p. q. 77. a. 2.

anima diversæ vires seu *potentiæ*, in quas ipsa *quasi* dividitur.

39. Hæ diversæ animæ vires, facultates, seu potentiæ aliæ sunt in sola anima tamquam in subjecto, ut v. gr. intellectus et voluntas, quarum actus exercentur independenter ab organo corporeo. Aliæ sunt in anima tamquam in radice et principio, sed ratione conjunctionis cum corpore suntque in conjuncto tamquam in subjecto, ideoque non sunt propriæ animæ, sed animalis, ut v. gr. sensus, imaginatio, quæ exerceri non possunt independenter ab organo corporeo. Aliæ vires sunt in homine ratione corporis tantum, et quæ in corpore sunt tanquam in subjecto, ut vis resistendi, gravitas, etc.

40. Hujusmodi potentiæ, seu facultates quamvis primo momento, dum objectum ipsis sistitur, passivæ sint, omnes tamen activæ sunt: exercentur enim modificationibus vitalibus, quæ non nisi in actione consistere queunt, quandoquidem in illis sita est animæ vita, quæ sine actione intelligi non potest; aliæ nihilominus sunt magis activæ, quam passivæ, ut voluntas; aliæ vice versa, ut sensus. Omnes autem, quarum actiones ab ipsis elicite in se ipsis recipiuntur, hoc tertio momento passivæ sunt (1).

41. Plures esse hominis facultates seu potentias patet ex pluribus actibus specie diversis, quos efficere homo valet; potentias enim distinguimus et cognoscimus ex actibus; actus vero ex adæquatis objectis; omnes tamen ad quinque genera reduci facile possunt. Etenim, cum potentiæ seu facultates agendi distinguantur per actus et objecta ad quæ ordi-

(1) Confundenda non est cum potentiis passivis *potentia obedientialis*, sic dicta illa animæ aptitudo à primo agente supernaturali, Deo, recipiendi potentiam seu facultatem eliciendi actus, qui exuperant ejus naturalem virtutem, ut sunt v. gr. omnes actus meritorii in ordinem ad vitam æternam. Cons. S. P. Aug., De Gen. ad litt. l. 9. c. 17. et 18. n. 32. et 33.

nantur, et hæc ad quinque classes aptissime reduci possint, ad quinque etiam classes licet reducere eorum proxima agendi principia, seu potentias. Et profecto omnes animæ humanæ actus effectum edunt vel intra, vel extra animam ipsam; et priores quidem ad facultates immanentes pertinent, posteriores ad transeuntes.

Jam vero ut actus immanentis facultatis anima edat, necesse est, ut aliquod ipsi offeratur et quasi sistatur objectum, hoc autem fit per facultatem *apprehensivam* seu cognoscitivam: deinde semel ac objectum aliquod cognoscit, vel amore prosequitur, vel odio aversatur intra se, hocque fit per facultatem *appetitivam*, seu appetendi. Verum enimvero objectum apprehensum vel est concretum et singulare, quod per sensus apprehendi queat, et apprehenditur, vel est abstractum et universale, quodque per solum intellectum apprehendi possit; hinc duplex cognoscitivæ facultatis ordo. Alia enim est cognitio *sensitiva* nobis brutisque communis, alia *intellectiva*, hominis propria. Huic duplici apprehensioni, seu cognitioni duplex respondet ordo appetitivæ facultatis; appetitus videlicet *sensitivus*, et *intellectualis*, qui tamen sub appetendi facultate comprehenduntur.

Effectus, quos anima extra sese producit per transeuntes facultates, in motu consistunt, sed hic motus vel ordinatur ad nutritionem, augmentationem et generationem, et tunc est vis, seu facultas *vegetativa*, vel ordinatur ad adsequenda, aut fugienda sensibilia, et tunc est actus facultatis locomotivæ, seu *exsequendi*.

Igitur, si cuncta summatim complectamur, in anima invenimus quinque facultatum, seu potentiarum classes, videlicet, facultatem *sentiendi*, *intelligendi*, *appetendi*, *vegetandi* et *exsequendi* (1).

(1) Ad facultatem sentiendi, seu apprehendendi per sensus reducuntur *sensus intimus*, *sensus externi*, et *æstimativa*, seu cogitativa, eo

42. De his inter Philosophos nulla alicujus momenti quæstio versatur, sed dissensio maxima inter eos extitit circa facultatum distinctionem tum ab essentia animæ, tum inter se. Quæstio est *de potentiis operativis* animæ, minime vero versatur circa quamcumque animæ *aptitudinem*, seu capacitatem, hoc esset ponere processum in infinitum. Jam quoad quæstionem: utrum animæ potentiæ operativæ distinguantur inter se: animadvertendum est, ipsam versari debere circa distinctionem formalem et specificam atque intrinsecam; nam si versari intelligatur circa materialem et numericam desumptam ab adæquata diversitate objectorum et actuum, nemo unquam erit, qui realem *inter ipsas potentias* distinctionem neget. Cæterum hæc quæstio intellecta ut intelligi debet, videtur non habere locum. Nam ipsa est corollarium primæ; planum est etenim quod si aliqua distinctio admittatur inter animæ essentiam et potentias; eandem admittere necesse est inter ipsas potentias; atque si nulla admittitur inter potentias et essentiam, nulla etiam erit inter ipsas, nisi materialis et numerica desumpta ex adæquatis objectis et actibus, quæ ideo extrinseca est, non intrinseca et specifica.

Ita oportet determinare quæstionis terminos.

43. Circa distinctionem inter operativas animæ potentias et ejusdem essentiam variæ sunt opiniones. Prima

quod in homine per quamdam apprehensorum collationem exercetur, atque etiam facultates *conservativæ*: ut sunt *phantasia*, et *reminiscentia*. Ad intellectivam facultatem, seu apprehendendi per intellectum reducuntur facultates *expressivæ*, et *conservativæ*: primæ sunt *perceptio*, *judicium*, et *ratiocinium*: ad perceptionem reducuntur *attentio*, *abstractio*, *reflexio* et *comparatio*, de quibus omnibus aliquid in Logica egimus (Lect. 6.^a n. 43). Facultas conservativa, quæ ad intellectivas pertinet, est *memoria intellectiva*. Cons. S. P. Aug. *De Trinit.* L. 9. C. 7. et L. 11. passim; *De Genes. ad litt.* L. 12. et alibi passim.

opinio defendit, nullo modo distingui potentias ab anima, sed ipsam esse suum intellectum, suum sensum, suum appetendi immediatum principium, etc. Ita Greg. Ariminensis (1), Gabriel (2), Ocham (3), Marsil. (4), Saxonia (5), Burid. (6), et fere omnes moderni philosophi (7). Secunda opinio tenet, potentias animæ ab ejus essentia distingui, non realiter, sed tantummodo formaliter (8). Ita Scotus (9) et ejus schola, Thomas de Garbo (10). Tertia opinio ait, potentias animæ vegetantis ab ea non distingui, maxime vero sensitivas atque intellectivas. Sic S. Bonaventura (11), Durandus (12). Quarta opinio tenet universim potentias animæ realiter distingui ab ipsa. Ita D. Thomas (13) Ægidius Romanus (14), Thomas de Argentina (15), et communiter qui D. Thomæ doctrinam se sequi gloriantur (16).

44. Ex his jam apparet, in hac questione, *quin pantheis-*

(1) In 1. 2. Set. dist. 16.

(2) Art. 2. part. 2.

(3) In 2. quæst. 24.

(4) Quæst. 22. art. 2. not. 5. id q. 16. a. 3 supp. 4.

(5) Lib. 2. de Anima.

(6) Quæst. 6.

(7) Nescio qua de causa hæc opinio á quibusdam pantheismi nota inuritur, nisi forte ad fucum imperitis faciendum.

(8) Cum hæc formalis distinctio á quamplurimis ad distinctionem logicam reducatur, juxta hosce Scotistarum opinio in primam redit.

(9) In 1. 2. Sent. dist. 16. et in 4. dist. 12. quæs. 3. et dist. 16.

(10) In summ. Tract. 5. Quæst. 2. art. 3.

(11) In lib. 1. Sent. dist. 3. 2. p. distinctionis.

(12) In 1. 1. dist. 2. q. 2.

(13) Sum. th. 1. p. q. 77. a. 1.

(14) Quodlib. 3. quæst. 10.

(15) In lib. 2. Sent. dist. 3.

(16) Cl. Rosmini, *Psychol.* Part. 2. l. 1. cap. 21. Tom. 1., distinctionem realem admittit inter potentias et animæ essentiam, sed longe diversam á distinctione thomistarum.

mus profiteatur, amplam libertatem concedi. Aliquam distinctionem inter animæ essentiam et potentias admittere necesse est, sed qualis ea sit difficultater determinari potest (1).

Dico, si per distinctionem realem intelligatur, quod communiter intelligitur, videlicet: *carentia unitatis inter plura objecta*, et supponatur adæquata, seu *secundum totum esse*, talem distinctionem nullo pacto admitti posse inter animæ essentiam et facultates ejus seu potentias. Etenim anima, seu illa ipsa activitas prædita metaphysica unitate, quæ aliquod objectum ut sibi conveniens cognoscit, est ea ipsa, quæ ipsum appetit ac quærit: ea ipsa, quæ aliquid gratum vel ingratum experitur, est ea ipsa, quæ ipsum adsequi cupit vel aversatur. Jam vero si appetitus intellectivus, seu voluntas et intellectus *realiter adæquate* distinguerentur tum ab essentia animæ, tum inter se, hæc absurda consequerentur: 1.° animam in suis operationibus passivam se habere, etenim eduntur á principiis ab ipsa realiter distinctis: 2.° voluntatem vel ferri in id, quod ipsi plane ignotum est, vel ipsammet cognoscere, quod conveniens est. Etenim si realiter distinguitur ab essentia animæ et ab intellectu, unde accepit objecti notitiam?

Insuper, hîc non agitur de distinctionibus mentalibus, et de rebus abstractis, sed de veris realitatibus, vere physiceque existentibus. Jam vero quidquid realiter vereque existit vel est ens substantiale, vel accidentale. Igitur animæ potentiæ, si ab ipsa realiter distinguuntur, erunt vel entitates substantiales, quod et plane absurdum est, et destruit animæ metaphysicam unitatem; vel quid accidentale, et ideo anima humana unitas et identitas metaphysica, activitas essentialiter intelligens, etc. nec unitas metaphysica, nec identitas, nec essentialiter intelligens,

(1) Nonnullis facillima apparet, ipsi viderint. Cons. exim. Suar. opp. vol. 3. part. 2, de Deo Creatore, tract. 3. *de anima*, lib. 2.

etc. foret. Merito igitur concludimus cum S. P. Augustino: *mens, notitia et amor sunt substantialiter in anima, vel, ut idem dicam, essentialiter* (1). Et infra (2): *hæc tria memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita, nec tres mentes, sed una mens; consequenter utique nec tres substantiæ sunt, sed una substantia... quocirca tria hæc eo sunt unum, quo una vita, una mens, una essentia.* Hæc S. P. verba plane excludunt ab anima illam realem distinctionem; et non sufficit dicere, S. Patrem loqui de mente prout noscit et amat se; nam ipse loquitur de *anima* prout est vita, intelligentia, memoria, voluntas, substantia (3).

45. Verumtamen cum aliqua distinctio agnoscenda sit, hæc distinctio inter essentiam animæ et potentias aliâ esse non potest, nisi distinctio, quam vocant *realem inadæquatam* (Ontol. Disp. 8.^a num. 96-99. seqq.), quæ ita intelligi oportet: intellectus v. gr. est realiter ipsa animæ essentia, sed non tota animæ virtus, efficacia et energia, et ita dicendum de unaquaque potentia; ideoque unaquæque ex his potentiis á tota animæ potentia, activitate et efficacia inadæquate distinguitur. Nulla autem est ratio, cur dicamus, totam animæ potentiam et energiam ab animæ

(1) *De Trinit. L. 9. c. 3., et 4.*

(2) *Ibid. L. 10. c. 11. n. 18.*

(3) Eadem habet, ut alios omittam, Alcuinus, *de Ratio. ani.* «Secundum benignitatem Creatoris atque secundum sui operis officium variis (anima) nuncupatur nominibus. Dicitur namque anima dum vegetat, spiritus dum contemplatur, sensus dum sentit, animus dum sapit, dum intelligit mens, dum discernit ratio, dum recordatur memoria, dum consentit voluntas. Ista tamen non differunt in substantia, quemadmodum in nominibus.» Et Hugo, *Erud, didasc. L. 2. c. 5.* «Anima, una eademque substantia secundum diversas potentias diversa sortitur vocabula. Has potentias habet antequam corpori misceatur.» Similia passim reperiuntur apud SS. Patres.

substantia distingui. Hæc videtur fuisse sententia S. P. Augustini, dum ait: «si sola anima cogitetur, aliquid »ejus est mens, tanquam caput ejus, vel oculus, vel facies; »sed non hæc ut corpora cogitanda sunt. Non igitur anima, sed quod excellit in anima mens vocatur (1).» Igitur anima adest singulis partibus *secundum totam suam essentiam, sed non secundum totam virtutem*; quod ex eo oritur, quia animæ virtus virtus limitata est. Igitur potentiæ operativæ animæ distinguuntur in essentia animæ, non quidem in se et absolute spectata, sed per comparisonem ad objecta et operationes, id, quod nullo pacto nocet animæ metaphysicæ simplicitati; etenim quantitas virtualis, seu virtus operativa non dividitur in se, sed per actus, et ad id quod extra eam est.

46. Dicetis, si animæ operativæ potentiæ non distinguantur *realiter et adæquate* ab animæ essentia, cum hæc ex ipsa natura sit actus, perfectio et actualitas, potentiæ semper essent in suo actu completo, quod est falsum. P. Zephyr.

Resp. Dist. Si animæ virtus et energia infinita foret, *conc.*; si vero finita, et varie limitata, *neg.* Jam nos animæ essentiam reponimus in ejus intrinseca activitate et vitalitate: *anima est vita sui conscia* (2). Nunc vero hæc ex parte semper in actu est et actu perfecto, sed tamen cum ejus activitas et vita limitata sit, non sese porrigit actu

(1) Hanc esse mentem S. P. Augustini patet ex ipsius ibidem subnectis verbis: «Trinitas vero illa cujus imago (homo) est, nihil aliud »est tota quam Deus, nihil est aliud tota quam Trinitas. Nec aliquid »ad naturam Dei pertinet, quod ad illam non pertineat Trinitatem». Igitur animæ operativæ potentiæ nihil in re aliud sunt, quam tota anima, et tota anima nihil re vera aliud est quam tota virtus, quæ potentias complectitur. Cons. S. P. *De Trinit. lib. 15. c. 7. n. 11.*

(2) Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, et factus est homo in animam viventem. Genes. c. 2. v. 7.

ad ea omnia, ad quæ sese porrigere potest, nec actu potest complecti, quæ potentiâ complecti potest. Igitur quantumvis hujuscemodi virtus, activitas et vitalitas actu intelligens sit, et volens etc., non sequitur quod semper actu intelligat, velit, etc.

Habemus igitur principium proximum operationum animæ non esse totam animæ activitatem, vitalitatem et energiam, multo minus esse aliquid ab ipsa secundum esse distinctum, sed esse ipsam activitatem et energiam limitatam, et ideo per actus et objecta distributam et *distinctam*, quæ comparata v. gr. ad intelligibilia est facultas intelligendi, comparata ad visibilia est vis visiva, comparata ad appetibilia est facultas appetendi, et ita porro. Ergo etc.

47. Quoniam Dominus Deus omnium creator non solum in iis moliendis finem aliquem ultimum, suam scilicet Bonitatem, sibi proposuerit, quem, ut alibi probavimus, absolute intendit et efficaciter vult, verum etiam ita res omnes comparaverit, ut ad fines peculiare, bonum scilicet seu perfectionem uniuscujusque propriam, indidit ipsis naturalem proclivitatem et nisum, quibus sponte seu naturâ suâ ad illum adsequendum indeclinabiliter et suaviter ferantur; hinc etiam, ut constat vel ex ipso intimo sensu, *ille nisus*, proclivitas et inclinatio, quibus animæ activa virtus et energia naturaliter fertur ad actiones sibi consentaneas exercendas; qui nisus ab Scholasticis *intentio facultatum*, ab hodiernis *conatus* appellatur.

Quoniam vero animæ virtus et energia finita est, cum anima in aliquam operationem, aut actum vehementiori conatu intendit, fit, ut debilior, aut etiam nulla ipsi vis remaneat ad alias exerendas facultates: v. gr. si mens in aliquo objecto contemplando altè defigitur, intendere non valet ad audienda quæ dicuntur, vel videnda visibilia, et etiam ab ipsis exercendis organicis functionibus impeditur.

Dicamus nunc aliquid de enumeratis facultatibus.

DYNAMIOLOGIA SPECIALIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De facultate sentiendi.

DISPUTATIO 5.^a—DE SENSU INTERNO.

48. De iis itaque animæ facultatibus aliquid dicturi, á facultate sentiente incipiendum nobis est, tum quia magis generica est, tum etiam quia ab ejus evolutione humana cognitio initium sumit.

Jam facultas sentiendi genericè sumpta est: *Illa animæ vis, quæ omnes materiales seu conjuncti affectiones ipsa anima experitur.*

Ipsa vero vel internis organis perficitur, vel externis. Hinc duplex sentiendi facultas, interna alia, alia externa. Agemus itaque de singulis (etsi ad nostrum scopum post ea, quæ in Logica dicta sunt Lect. 39 et 41. vix aliquid remanet). Incipimus á sensu intimo, tum quia est cæterarum fundamentum et essentialis conditio, tum quia est id, quo anima de cæteris notitiam accipit et certior fit, deinde agemus de sensibilitate externa, ac postremo de eis, quæ ab his duabus dependent, imaginatione, videlicet, seu phantasia, et memoria sensitiva.

49. Jam quid nomine sensûs intimi intelligatur in Logica subindicatum est (1). Nunc vero, utrum anima non solum suas affectiones, sed etiam se ipsam suumque statum sensu hoc intimo experiatur, investigabimus.

Ratio dubitandi est, quia nonnulli antiqui, quos secuti

(1) Sensum intimum ita ibi definimus: *Est nativa quædam animi dispositio, quæ fit ut animus quicquid in se ipso accidit intime sibi præsens habeat, et experiatur ut suum; ipsum duplicis ordinis esse ibidem quoque dictum fuit. Lect. 39.^a n. 298, pag. 243.*

sunt Reiddins cum schola scotica et Rosminius, opinati sunt, sensum intimum solas animæ modificationes attingere, non autem animam ipsam, ut earum subjectum est, igitur anima, ut substantia est, solummodo cognosci posse deductione, multiplicique ratiocinio vi illius vel similis principii, scilicet: *omnis modificatio supponit subjectum, cui inhæreat*. Mittimus Kantii et Condillachii errores.

50. Quæstio hæc non est de cognitione intellectuali et reflexa, quam quidem cognitionem anima non immediatè et intuitivè acquirit, sed per ratiocinium perenni sui suorumque statuum sensu connixum, quo ad veram scientiam hanc sui ipsius cognitionem elevat, ut ex psychologica constat scientia, sed est de cognitione sensibili immediata ac per se ipsam.

51. Animadvertendum sedulo est, sensum communem, de quo, post Aristotelem et D. Thomam (1), philosophi communiter pertractant, esse ipsummet sensum intimum, *radix et principium exteriorum sensuum*, ex parte tantummodo consideratum, quatenus nempe anima sentiendo percipit suas ipsas affectiones à sensibus externis provenientes; harum autem differentiarum, aut similitudines à nulla sensibili facultate percipi, qua tales, possunt; etenim sunt quædam relationes; itaque facultas sensitiva percipere potest saporem gratum vel ingratum, audire cantilenam, sicchari dulcedinem degustare etc., ac etiam sensibili delectatione, aut dolore unam quærere, aliam fugere, attamen earum differentiarum nihil sensibile sint, eas cognoscere opus collustrantis rationis est. Igitur sensus communis non est aliqua facultas à sensu intimo distincta, sed ipsemet sensus intimus ordinis inferioris, quo scilicet continentur affectiones totius humani compositi propriæ; eoque prædita sunt quæcumque entia, quæ activitate sensitiva gaudent.

(1) *Sum. Theol.* 1. P. Q. 78. á 4 ad 2.

Vocatur *sensus* quatenus ad sensibilia, seu sensata refertur, *communis* vero (1) quatenus quidquid anima per diversos sensus experitur, ipsa per hunc sensum seu essentialem facultatem est principium et centrum commune omnium, et quidquid experitur, experitur ut suum.

Ex dicendis clarius hoc patebit. Sint itaque

52. PROPOSITIO I.^a *Admittendus est quidam sensus interior ab ipsa ratione distinctus, quo anima sentit se sentire.*

Duo complectitur nostra propositio: 1.^m hujusmodi sensus, quo anima se sentire sentit, existentiam: 2.^m ipsum esse facultatem sensitivam, non intellectivam.

Prob. 1.^o P. Sicut intimâ experientiâ unicuique plane constat sensu corporis sentire corporalia, ita plane constat, eundem sensum hoc eodem sensu non posse sentiri; nam vel sentiret eodem actu, quo rem externam sentit, vel actu diverso. At primum impossibile est; repugnat enim, ut una eademque facultas uno eodemque actu attingat objecta non solum distincta, sed plane diversa, ut sunt objecta exteriorum sensuum et sensatio ipsa. Secundum etiam impossibile est; nam actus percipiendi rem exteriorem esset objectum actus percipiendi eundem primum actum, hoc autem necessario requirit ac supponit vim quamdam convertendi se supra se, seu reflexivam; cum autem nulla sensitiva potentia hac vi donari possit, necesse est admittere aliam interiorem potentiam á sensibus externis distinctam, quâ anima sentit se sentire. Nam

Nemo in dubium revocare potest, nos non modo percipere per sensus externos res extrinsecus objectas, sed etiam percipere quod illas percipimus, et percipere nos

(1) Jam in Logica dictum fuit (298—366), sensum *naturæ communem* confundi non debere cum sensu communi, sensus *naturæ communis* sunt quaedam necessitates et leges *rationalis naturæ*.

ab ipsis diversimode affici. Jam vero, quoniam nihil sine aliqua facultate cognoscere nobis licet, necesse est animam præditam esse aliqua facultate, quâ sentiat se sentire, ac sentiat se diversimode affici. «Hæc autem facultas » non est *visus*; nam cum colorem sentimus non itidem » sensu ipso nos sentire etiam sentimus: non est *auditus*; » neque enim cum audimus sonum, nostrum etiam auditum audimus: non est *olfactus*; nam cum olfacimus rosam, nullatenus olet nobis aliquid et ipse olfactus: non » est *gustus*; neque enim quidquam gustantibus sapit in » ore ipse gustus: neque illa facultas dici potest *tactus*; » nam tangentes aliquid nullo modo ipsum tangendi sensum possumus tangere; manifestum itaque est quinque » istos sensus nullo eorum sensu posse sentiri, quamvis » eis corporalia quæque sentiantur. Quod cum ratione » comprehendamus, hoc ipsum tamen rationem vocare non » possumus, quoniam et bestiis inesse manifestum est; non » enim aliter bestia moveret se, vel appetendo aliquid, vel » fugiendo, nisi se sentire sentiret, ut patet etiam ex eo » quod cum bestia videre, vel audire etc. appetit, oculos » aperit, aures arrigit; appellamus autem illud *sensum » interiorem* (1).» Admittendus est igitur, præter sensus » externos, sensus interior, quo anima se sentire sentit.

53. *Prob. 2. p.* Natura cujuscumque cognoscitivæ facultatis dignoscitur ac judicatur ex natura actionis ejus ac objecti; siquidem actio et objectum cujuslibet facultatis hujusce facultatis naturæ necessario respondent. Atqui tum actio, tum objectum sensûs communis sensibilia sunt; actio, utpote concreta et determinata ad excipiendas affectiones sensorum, et quidem directe et per organum materiale; objectum, quippe quod est affectio sensibilis, seu organica in conjuncto recepta. Ergo etc.

Idem ex eo confirmatur, quod bruta sentiunt se sentire,

(1) S. P. Augustinus, *De libero arb.*, lib. 2. c. 3. et 4.

et sentiunt se diversimode á sensibus affici, ut exploratum apud omnes clarumque est, alioquin, ut ait S. P. (1), nec utilia sectari, nec á noxis abhorrere possent; atqui bruta intellectu carent; ergo cognoscere sensationes et sentire, eas nos diversimode afficere, proprium est sensûs, non intellectûs.

Merito igitur ait S. P. Augustinus: «aliud est quo videt »bestia, aliud quo ea, quæ videndo sentit, vel vitat, vel »appetit: ille enim sensus in oculis est, ille autem intus »in ipsa anima; quo non solum ea quæ videntur, sed »etiam quæ audiuntur, quæque cæteris capiuntur corporis »sensibus... Hic autem nec visus est, nec auditus.... hic »sensus interior inest et bestiis, quibus intellectus non »inest (2).» Ergo admittendus est, præter sensus externos, sensus interior, seu communis «ad quem referantur omnes apprehensiones sensuum, á quo etiam percipiuntur actiones sensuum, sicut cum aliquis videt se videre (3)» et ab ipsa ratione distinctus.

54. Hujusmodi sensui communi duplex objectum respondet, unum *proprium et primum*, scilicet, ut ex dictis infertur, sensationes propriæ exteriorum sensuum earumque sensiles differentiæ; alterum *indirectum et secundarium*, scilicet, ipsa objecta exteriorum sensuum. Non possumus enim sentire quod sentimus, nisi actum sentiendi sentiamus; nec diversos actus sentiendi sentire possumus, quin diversa objecta sensata sentiamus (4).

55. Sensus communis, quoniam facultas sensitiva est, organum proprium in conjuncto habeat oportet. Hoc autem organum, *sensorium commune* appellatum, S. P. Augus-

(1) *De Libero arb.*, lib. 2. c. 3.

(2) *Id. ib. n.* 8. 9.

(3) *S. Thom. Sum. Th.* 1. P. Q. 78. a. 4. ad 2.

(4) *S. P. Aug. De libero arb.* L. 2. c. 3.-4.

tinus (1), Galenus (2) S. Thomas (3), et communiter omnes Physiologi reponunt in *encephalo*, quod est systema *cerebro-spinale* ubi junguntur veluti in radice nervuli, et est centrum nervi systematis, in quo et cum quo anima vim sentiendi exercet; quapropter sensorium commune est veluti centrum sensuum exteriorum, radix ac fundamentum, eorum principium et terminus, ideoque «etsi sit» una potentia secundum essentiam, tamen aliquo modo «multiplicatur secundum esse, in quantum jungitur» diversis sensibus propriis, sicut unum centrum jungitur pluribus lineis» (4).

56. Hic occurrit difficultas, quam solvere oportet. Si sensus communis, dices, jungitur quinque sensibus externis, ipsasque eorum sensationes sentit, se supra se convertitur, est igitur facultas reflexiva.

Resp. Sensus communis, «etsi communis radix, sit et principium exteriorum sensuum (5)» est facultas ab ipsis distincta, quæ sentit directè et immediate, non actiones suas, sed actiones sensuum exteriorum, et in istis, seu mediatè, atque etiam directè sentit objecta propria uniuscujusque sensûs; non est igitur facultas reflexiva.

57. PROPOSITIO II.^a *Sensus intimus non solum subjecti affectiones, sed ipsum quoque subjectum attingit*

Prob. Quisquis se intus interrogat, invenit, omnem rem viventem fugere mortem, quæ cum sit vitæ contraria, necesse est ut vita etiam se ipsam sentiat, quæ contrarium suum fugit; jam vero vita non est ulla modificatio, seu affectio extrinsecus proveniens, sed est activitas intrinseca

(1) S. P. Aug. *De Genesi ad litte.*, L. 7. c. 17.

(2) *De decret. Hipp. et Plat.* L. 6. T. 1., P. 292; *De sect. nerv.*, ibid. P. 204-206.

(3) In *lib. V. Metaph.*, lect. 3. et alibi.

(4) S. Thom. *Quodlib.* 7. Q. 1.

(5) S. Thom. *Sum. Th.* 1. P. Q. 78. á 4 ad 1.

et essentialis viventis; ergo anima sentiens vitam suam, id est, seipsam immediate sentit; se autem ipsam immediate sentire non potest, nisi per intimum sensum; ergo *sensus intimus* etc.

Præterea, sensus intimus attingit affectiones subjecti, ut sunt in re ante quamlibet mentis operationem; repugnat enim ut mens operetur super affectionem quæ in anima non sit. Atqui ante omnem mentis operationem, affectiones sunt concretæ, non abstractæ, nec distinctæ à subjecto. Etenim absolutè impossibile est, dolorem aut cogitationem esse, sine substantia dolente aut cogitante, aut esse substantiam his determinationibus affectam et simul ab ipsis præcisam; hæc solummodo locum habere possunt in statu ideali per mentis abstractionem. Ergo sensus intimus concretum hoc ipsum, *dolens* aut *cogitans*, attingit, videlicet, modificationem una cum subjecto modificato, tanquam quid unum (1). Ergo etc.

Merito igitur ait S. P. Augustinus: «anima certe se sentire corporalia sentit, cum sentientem se novit, se utique novit. Neque enim aliquid aliud, sed se ipsam sentientem novit (2).»

58. PROPOSITIO III.^a Ergo anima per sensum intimum seipsam sentit ante quamcumque affectionem.

Prob. Nam si anima non seipsam sentiret ante omnem suam affectionem, nullam affectionem sentiret ut suam. Quare enim anima aliquam affectionem experitur ut suam? profecto quia illam experitur in se, quia sentit se per illam immutari. Quomodo vero sentire posset aliquid in se, nisi prius sentiret se? Quomodo posset sentire se mutari, nisi et cum mutatur, et antequam mutetur adesset sibi. Ergo si

(1) Salvat. Tong., *Inst. phil.*, tom. 3., *Psychol. c. 2, art. 1.*

(2) *De libero arb.*, lib. 2. c. 4.; *De Genes. ad litt.*, lib. 7. c. 21.

anima ante omnem affectionem se non sentit, á nulla affectione excitari potest ad se ipsam sentiendam. Ergo *sensus actualis suiipsius habet anima ante quamcumque* etc.

Præterea, unusquisque certissimus est de sua ipsius identitate. Atqui hoc impossibile esset inter tot successivas tamque diversas affectiones, quas experitur, nisi se ipsum sentiret ut aliquid constans et invariabile, quod his affectionibus omnibus subesset. Ergo etc.

Merito igitur concludit S. P. Augustinus: «Nihil profecto tam novit anima, quam id, quod sibi præsto est; nec animæ quicquam magis præsto est, quam ipsa sibi (1).»

59. PROPOSITIO IV.^a *Anima corporis, quod ipsa informat, jugem sensationem habet.*

Prob. Anima, ut supra probatum est, sentit se, et sentit, se sentire varias affectiones, quacumque illæ proveniant. Ergo jugiter sentit statum in quo est. Atqui anima physice ac substantialiter est corpori conjuncta, atque ita conjuncta ut unam cum ipso corpore naturam, seu operationum principium constituat. Ergo oportet animam sentire se corpori conjunctam, et unum quid cum corpore constituentem. Ergo etc.

Præterea hoc ipsum experientiâ comprobatur. Nemo enim est, qui se extensum non sentiat; nemo est, qui proprium subjectum unquam sentire potuerit partibus carens. Atqui si anima se solam sentiret, se extensam sentire non posset, utpote quæ simplex est. Ergo anima, quæ jugiter extensum sentit, non se solam, sed se in corpore et cum corpore sentit (2). Ergo etc.

60. *Nota.* Anima, ut unicuique propria experientia clare commonstrat, se et corpus non ut duo sentit, sed se

(1) *De Trinit.*, lib. 10. c. 3. n. 5.; lib. 14. c. 4. n. 7.

(2) Tongiorg. *Inst. philo.*, tom. 2., *Psychol. lib. 3. c. 2. art. 2.*

et corpus sentit ut quid unum et idem; neminem enim credimus esse inter mortales, qui solo sensu intimo possit distinguere animam á corpore. Et hujus ratio est, quia cum anima sit *per se, immediate ac substantialiter* forma corporis, ipsa et corpus in unam substantiam completam coalescunt, unum esse, unamque naturam ac operationum principium constituunt; impossibile igitur est, ut anima se ut agentem sentiat, corpus vero ut actionis subjectum, aut vice versa. Quare jure meritoque hâc unicâ voce *ego* et animam et corpus ut unicum esse designamus, de ipsoque prædicamus, quod nec uni, nec alteri competit, ut cum dicimus: *ego volo; ego intelligo; ego sentio; ego patior; ego deambulo* etc.

61. *Corollarium.* Cum anima, ex dictis, sui suorumque operationum jugem perennemque sensationem habeat, facile colligetis, ipsam capacem esse seipsam intelligendi ac cognoscendi, non quidem immediate ac per se ipsam, sed per hos suos actus quantum ad cognitionem et intellectionem *actuales*; quantum vero ad cognitionem *habitualement*, anima per essentiam suam seipsam videt; «quid enim tam in mente, quam mens est?» anima enim quoniam vitam amat, amando vitam, vitam intelligit, intelligendo vitam seipsam intelligit; cum sibi ipsi dicit: *cognosce te*, jam se habitualiter saltem intelligit (1). Rocolite dicta in Logica Lect. 39, pag. 243. seq.

(1) Cons. S. P. Aug., *De Trinit.*, lib. 10. præsertim á cap. 4; S. Thomam *QQ. disp. Q. unic. de anima.*

DISPUTATIO 6.^a—DE FACULTATE SENTIENDI PER SENSUS EXTERNOS.—QUID IPSA SIT.—QUID SIT SENSATIO.—QUID NOMINE SENSUS INTELLIGATUR.—UTRUM PRÆTER QUINQUE COMMUNISSIMOS SENSUS SIT ALIQUIS ALIUS.—QUOD SIT SUBJECTUM FACULTATIS SENTIENDI, PROPOSITIO.—DISTRIBUTIO SENSUUM UNDE REPETENDA?—NATURA ET OBJECTUM SENSATIONIS INVESTIGATUR.—DE SPECIEBUS SENSIBILIBUS.—NONNULLA SCITU DIGNA ADNOTANTUR.

62. Perpauca sunt, quæ nobis hîc tractanda supersunt, post ea, quæ in Logica (Lectioibus 41.^a et 42.^a) dicta fuerunt, ad quas nos remittimus.

Jam supra n. 48 diximus quid sit facultas sentiendi genericè sumpta, si autem illam definitionem coarctare volumus ad designandam eam facultatem sentiendi, cujus actus per organa externa perficiuntur, nullo negotio id fit, est igitur hujuscemodi facultas: *Illa animæ vis, quâ affectiones ab objectis materialibus in externa organa sensuum impressas ipsa experitur.* Hæc experientia vocatur *sensatio*; nihil enim aliud est *sensatio* etymologicè sumpta, quam *sensuum actio*. *Sensatio* igitur definiri potest: *Actus, quo animal objectum externum percipit per impressionem ab eo receptam.* Itaque sedulo distinguenda est *sensatio* ab organica impressione, nec unquam hæc confundi debent; *sensatio* enim est actus conjuncti ac *actio vitalis*, animæque operatio propria; *impressio* autem est factum pure materiale, conditio necessaria ad *sensationem*, est phænomenon pure organicum, dum illa est phænomenon pure psychologicum.

Nota. Nomine *sensûs* non semel significatur ipsa sensitiva facultas, quâ anima conceptus spirituales rerum materialium format; communiter vero significantur corporalia organa, quibus rerum materialium impressiones accipit ipsa; nos hîc postremâ significatione *sensum* sumimus. Jam vero quot sint hi *sensus*, quæ sint uniuscujusque objecta et quo-

modo, et quæ regulæ observandæ in eorum usu, in *Logica Lect.* 41.^a, pag. 256, *Lect.* 42, pag. 261. et *Lect.* 43, pag. 272, satis superque dictum fuit.

63. Nunc autem quæri potest: utrum præter quinque sensus, quos ibi numeravimus, sit aliquis alius, qui sextum occupet locum. Lockius dubitavit (1), Felic. La Mennais (2), præcl. Balmesius noster (3) aliique opinantur, fieri posse, ut temporis progressu homo novum aliquem sensum acquirat. Fautores magnetismi animalis quamplures sunt, qui ad explicandos mirabiles effectus statûs somni magnetici ad quasdam animæ latentis facultates confugiunt, quas ipsa exerit per aliquem, vel aliquos sensus ab illis quinque notissimis distinctos (4).

Nos autem firmiter tenemus, quod si agitur de *facto*, sive de existentia alicujus sensûs externi præter quinque enumeratos, non solum dubitandi locum non esse cum Lockio, sed prorsus negandum esse, hujuscemodi sensum existere contra Mesmeri discipulos. Nam si anima hujusce sensu prædita naturaliter esset, eum naturaliter exercere posset, de eoque saltem conscientiam haberet; non igitur latuisset omne genus humanum. Insuper quoniam hic sensus naturalis foret, naturale objectum á objecto cæterorum sensuum distinctum haberet; quia natura non abundat in superfluis; jam vero tale objectum non existit, neque ejus propugnatores assignant; ergo contra naturam est, hanc facultatem, seu sensum animæ tribuere; ergo magnetismi fautores ad aliam causam, seu agentem recurrere debent ad explicanda magnetismi portenta vera vel ficta.

(1) *De intell. hum.*, lib. 2. c. 2. §. 3.

(2) *Essai sur l'indiffer.*, etc. tom. 2. c. 13.; edit. Parisiis 1822.

(3) *Filosofia fundam.*, Lib. 2. c. 17. et 18.; edic. terc., Barcel. 1860, pag. 73.

(4) Lafontaine, in op. *L'art, de magnétiser*, ch. 5. seq.; Charpignon, *Physiol. medi., et metaphy. du magn. animal*, pag. 290.

Ex his jam patet quid respondendum est La Mennaisio et Balmesio. Si agitur de *possibilitate absoluta*, seu metaphysica, non audeam negare, á virtute aliqua infinita seu creatrice naturam humanam illo sensu donari posse, quin natura humana desineret esse, quod est; nam hic sensus non eam locaret extra sensibilibus naturam. Si vero agitur de *possibilitate naturali et naturaliter* acquirendus talis sensus, hoc prorsus negandum est; hic enim sensus esset quædam essentialis proprietas, quam natura sibi dare non potest. *Quis potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* (1)

64. Nunc jam statuendum nobis est: quod sit facultatis sentiendi subjectum, ut deinde sensationis ipsius naturam et objectum determinemus.

PROPOSITIO. *Solummodo suppositum ex conjunctione animæ et corporis resultans ab iis distinctum, potest esse facultatis sentiendi subjectum.*

Est hæc propositio contra cartesianos eosque omnes, qui unionem inter corpus et animam, per nescio quod *commercium, influxum physicum*, vel quidquid hujusmodi, explicant.

Prob. prop. 1. Actus sentiendi est actio vitalis animalis propria; ergo ejus subjectum est principium vitale simul et animale; atqui vita, seu vitalitas soli corpori convenire non potest, sed ejus vita est ab anima, á qua informatur, ut ait S. Basilius (2) cum omnibus vera sapientibus; alioquin enim omnia corpora essent viventia, quod est absurdum; neque animalitas, seu esse animale potest convenire animæ, neque ex se sola functiones animales exer-

(1) Math., 6-27; Lucas, 12-25.

(2) «Animus corpori, in quo est, vitam tribuit.» *Constitutiones Monasticae*, cap. 3., circa medium. Cons. Homil. in Deuteron. 15-9 *Attende tibiipsi.*

cere potis est, ut sunt generatio, motus localis, ad corpora naturalis collisus etc. Ergo ratio formalis actûs sentiendi nec in corpore solo, nec in anima sola inveniri potest. Jam vero actus sentiendi in se unus est ac indivisibilis; ergo ejus subjectum unum esse debet ac indivisibile. Ergo solummodo hoc esse potest suppositum resultans ex conjunctione animæ et corporis ab *ipsisque* distinctum.

2.° Intimo sensu teste omnes conscii sumus, nos vere ac realiter experiri statum, in quo corpus est, ægritudinis v. gr. aut famis, aut cujuscumque lassitudinis; atqui hæc experientia in corpore solo esse nequit, utpote quod iners ac vitâ destitutus, neque in sola anima, utpote quæ hujusmodi statui obnoxia esse non potest; ergo cum neque in anima sola, neque in solo corpore talis experientia esse queat, necessario erit in subjecto composito ex utraque substantia, seu in supposito resultante ex conjunctione animæ et corporis. Ergo etc.

3.° Denique, sensitiva perceptio requirit subjectum extensum; nam extensio repræsentari nequit concretè ac materialitèr, nisi in subjecto extenso: sed simul requirit subjectum quod totam simul extensionem repræsentatione una et indivisibili attingat, ut in Anthropologia probabimus. Atqui subjectum hujusmodi nec anima est, nec corpus. Non corpus; quia corpus tantummodo potest variis suis partibus varias extensi partes tangere ac dimetiri. Corpus autem animâ informatum et extensum est, et totam extensionem una et indivisibili repræsentatione percipere potest; anima enim, quæ corpus informans illud animale facit, est tota in toto, et tota in singulis corporis partibus totalitate essentialis suæ, et totalitatem sensitivæ virtutis variis corporis organis diversimode communicatam una cum ipsis exercet. Ergo solummodo corpus animâ informatum est subjectum idoneum ac sufficiens sensitivæ perceptioni. Ergo *solummodo suppositum ex conjunctione animæ et corporis resultans* etc.

65. Vis ac virtus, quibus anima vitaliter corporis compagem replet, atque una cum ipso unum indivisibile suppositum ac operationum animalium principium constituit, quantum ad externam sentiendi facultatem, etsi in se una ac indivisibilis facultas sit, in quinque tamen peculiare sensus dividitur, quorum subjectum sunt animata organa iis attributa (Logi. *Lect.* 41.^o pag. 256. num. 318. seq.) Hæc autem sensuum distributio ac diversitas non á vi animæ repetenda est, sed á diversa sensuum irritabilitate, organorum structurâ et á nervis, «quos ita Dominus fabricavit aptissimos ad propria objecta recipienda, jubens oculo ut non audiat; et auri ut non videat (auditio enim et visio duo quædam sunt inter se distantia in sensibus corporis) (1).» Facile enim concipitur, unum aliquod organum aptum esse posse ad hoc, ut á certa quadam vi immetetur, reliqua vero non ita (2).

66. Ad naturam vero sensationis investigandam, hæc in mentem revocare oportet: 1 nullum agens agere ibi, ubi non est: 2 in quacumque cognitione cognoscens non esse in objecto cognito, sed objectum cognitum esse in cognoscente: 3 subjectum sentiens non esse animam solam multo minus corpus, sed suppositum ex utriusque physica ac substantiali conjunctione resultans, ut in præcedenti propositione probavimus. Jam vero ex iis habemus hoc, quod et ipsa experientia probat, scilicet, ad actum sentiendi requiri: 1 impressionem, seu aliquam actionem ab aliquo objecto in organum animatum: 2 reactionem ex parte principii sentientis, seu motum quemdam, quo hujusmodi principium in objectum dirigitur ac tendit: 3 operationem ipsam, seu actum, quo sensatio absolvitur objectumque percipitur.

67. *Impressionem in organum animatum requiri,*

(1) S. P. Aug. *Lib.* 10, *confess.* c. 7.; *De Trinit.* *Lib.* 15. c. 10.

(2) Salv. Tong. *Inst. philo.* tom. 3., *Psych. lib.* 3. c. 3. art. 1.

præterquamquod ex illo primo principio constat (66) et ex ipsa experientia, patet ex eo, quod per sensationes, quomodocumque demum hoc fiat, rerum externarum notitiam adquirimus; ergo sensationis natura requirit, ut res per eam cognita sit in sensu cognoscente per aliquam sui similitudinem; siquidem planum est, objecta, quæ per sensum cognoscuntur, non esse in sensu secundum suam naturam seu secundum suum esse reale ac materiale. Hujusmodi autem impressio sub duplici respectu considerari potest. Primo secundum quod est actio quævis *naturalis*, quâ forma objecti recipitur in organo modo materiali, ut cum corpus á calidiori corpore calefit. Alter est secundum quod forma objecti et similitudo, non secundum convenientiam in natura, sed secundum repræsentationem et *esse spirituale* recipitur in organo animato modo immateriali et intentionali (1). Hujuscemodi repræsentatio et modus spiritualiter essendi objecti per similitudinem in organo animato recte vocatur *species sensibilis*.

Naturalis illa immutatio non sufficit ad sensationem; nec ea in omni sensatione reperitur; at hæc altera spiritualis immutatio omnino necessaria est. Unde sequitur, speciem sensibilem quoque necessario ad sensationem requiri; per hanc enim subjectum sentiens ad actum sentiendi determinatur, in quo sensus unum fit cum sensibili hac forma; unde illud effatum: *sensus in actu est sensibile in actu*.

(1) «Momento eodem, quo corpus sensu corporis tangitur, fit etiam in animo tale aliquid, non quod hoc ipsum sit, sed quod simile sit; quod si non fieret, nec sensus ille esset, quo ea quæ extrinsecus adjacent sentiuntur. Hæc certe natura, in qua non corpora, sed corporum similitudines exprimuntur, spiritualis est. Non enim omnino ipsa corpora in anima sunt, cum ea cogitamos, sed eorum similitudines...» S. P. Aug., *De Genesi ad litt.*, lib. 12. c. 24.; Cons. S. Thom. *Sum. th.*, 1. P. Q. 78. a. 3.

68. *Reactionem ex parte principii sentientis ad actum sentiendi requiri*, patet ex eo quod actus sentiendi est actio immanens ac vitalis. Jam vero actio et actus hujusmodi necesse est, ut dimanent á principio intrinseco, quod se ipsum ad gendum moveat atque in se ipso hunc sentiendi actum recipiat. Ergo ad actum sentiendi non sufficit sola speciei sensibilis impressio, sed necessaria est aliqua operatio, seu reactio ex parte principii sentientis. Insuper, si actus sentiendi non esset actus ac operatio, seu reactio principii sentientis in impressionem ab eo in organum receptam, quâ objectum externum cognoscit, hujusmodi sensatio et objecti cognitio essent tantummodo passio sensûs et actio objecti æque ac quæcumque mechanica actio; at vero hoc destruit ipsam naturam ac notionem actûs sentiendi, quo animal objectum externum cognoscit. Ad hanc vero reactionem necessaria est communicatio organi sensorii cum cerebro, quæ fit per medium fluidum nerveum.

69. Igitur, præter has duas condiciones ad actum sentiendi absolvendum, *requiritur, ut anima exserat vim suam agendo, vel coagendo* (1) *per sentiendi potentiam cum specie sensibili objecti*, quæ est in organo animato modo immateriali et spiritali, quæque est medium quo anima cognoscit, seu *ipsam non latet* (2) ipsum externum objectum; hoc totum est quod sentire dicitur.

70. *Illa autem species sensibilis, seu ille modus spiritaliter essendi objecti in subjecto sentiente*, quæ sentiendi facultatem ad operationem movet ac determinat, *non est, nec esse potest aliquid substantiale, vel accidentale, quod á corporibus eruatur et in animam ingrediatur*; siquidem nihil hujusmodi potest esse causa sufficiens ad movendum ac determinandum principium sentiens ad

(1) Scotus, in lib. 1. sent., dist. 3. Q. 7. n. 36.

(2) S. P. Aug., De musica, lib. 6. c. 5. n. 10.

actum; præterquamquod talia effluvia sunt quid prorsus impossibile ac indignum, quod pudet refellere, sed est objecti imago, seu similitudo quam ipsa anima in se ipsa facit celeritate mirabili, determinata á varia illa impressione producta ab actione objecti externi in organum animatum et vivificatum ab ipsa (1). Momento eodem, quo corpus sensu corporis tangitur et objectum actionem suam in organum imprimit, celeritate summa ac facilitate anima fabricat corporum imagines; non igitur anima sola, sed objectum etiam concurrit ad productionem et existentiam sensibilis speciei, seu ad hoc, ut objectum incipiat esse et existere modo immateriali et spirituali in anima cognoscente; anima concurrit tanquam causa efficiens et terminus intrinsecus, objectum vero tanquam causa materialis et terminus extrinsecus illius imaginis et similitudinis; inter has vero causas et terminos necessaria et essentialis connexio est, ut patet.

71. *Objectum vero sensibilis cognitionis non sunt, nec esse possunt, illæ species sensibiles, seu ille modus spiritualiter essendi objecti in principio sentiente, sed est ipsum objectum, quod in animatum organum agit ac concurrit ad speciem sensilem producendam; ideoque sensatio, seu cognitio sensitiva, non subjectiva, sed objectiva est. In sensitiva cognitione enim tria momenta, ut ita dicam, distinguere debemus: 1.^m actio objecti in organum sensorium: 2.^m reactio subjecti vitalis et sentientis, quâ continetur impressa similitudo objecti, et in qua jam objectum existit modo immateriali et spirituali: 3.^m ipsa actio cognoscitiva, seu actus sensitivæ facultatis animæ. Jam vero illud 1.^m est mera conditio et non in omnibus sensationibus necessaria;*

(1) «Quomodo autem fiant ista velut corporea sine corpore, vobis prorsum explicare non possum. Tamen scio non ea corpore fieri. »Imagines corporum fiunt in spiritu, nec omnino sunt corpora.» S. P. Aug. *Epist.* 100. et 101.

2.^m vero nihil aliud est, quam motus, et passio organi animati quatenus animati, est id, quod sentiendi facultatem ad operationem movet ac determinat, et est medium *quo* cognoscens objectum cognoscit, nullo autem modo potest esse terminus cognitionis; igitur terminus cognitionis sensitivæ nullus alius esse potest, nisi objectum in organum agens, sicut terminus omnis patientis necessario est agens ejus; etenim terminus patientis non est propria passio, sed objectum, á quo patitur.

Præterea, hoc ipsum adnotatur et confirmatur illis vocibus: *videre, tangere, audire* etc. usitatis in communi sermone, et quibus actus sentiendi exhibentur. Siquidem nemo est, qui hujusmodi vocibus velit significare se videre motum retinæ excitatæ á luminis radiis et imaginem impressam, aut se tangere pressionem proprii corporis ex alterius corporis resistantia, aut se audire melodina auris, sed omnes volunt significare et dicunt, se videre lumen aut objectum luminosum, se tangere corpus externum resistens, se audire instrumentum aliquod externum, et generatim se sentire id, quod sensus afficit. Ergo id in quod actus sentiendi fertur, non est propria passio, sed objectum agens. Merito igitur ait S. Thomas; «species, quæ est in visu, non est id quod videtur, sed *quo* visus videt; quod autem videtur, est color, qui est in corpore (1),» id est, in luce reflexa á corpore.

72. Habemus igitur, ex hactenus dictis, ad actum sentiendi hæc requiri: 1.° Objectum quodcumque, quod in organum sensorium agere quid valeat: 2.° Hujusmodi organum sensorium animatum sit ac vivificatum á principio sentiente, id est, ab anima, quacum constituit subjectum sentiens, et etiam cum cerebro communicet: 3.° Reactio et intentio animæ in hujusmodi impressionem ab objecto in organo effectam. Cum vero hæc impressio recipiatur in or-

(1) *De Anima*, lib. 3. Lect. 9.

gano animato, sive in principio sentiente, hoc ipso anima celeritate mirabili imaginem, seu similitudinem objecti sibi facit, et objectum ineffabiliter modo immateriali et spiritualiter in ea existit; hoc est quod vocatur species sensibilis impressa: 4.^o Actus, quo anima sentiens per hanc speciem, ut medium *quo*, objectum sentit ac cognoscit.

73. Igitur anima sentiens in actione sentiendi in primo momento, quo impressionem recipit *passivam* se habet, in secundo vero, quo reagit in impressionem, *passivam simul et activam*; passivam quatenus reactio est quasi effectus et ipsa impulsiva est ab ipsa impressione, activa vero quatenus ex propria activitate ac virtute in hanc prodit actionem et se ipsam ad rem convertit eamque apprehendit. In actu vero sentiendi, seu *in sensatione formaliter sumpta anima tantummodo activam se habet*, utpote quia sensatio actio vitalis est, «mihi videtur, ait S. P. Augustinus (1) anima cum »sentit in corpore, non ab illo aliquid pati, sed in ejus passionibus attentius agere, et has actiones sive faciles propter convenientiam, sive difficiles propter inconvenientiam, non eam latere; et hoc totum est quod sentire »dicitur.» Et S. Thomas ait (2): «Ipsa visio, secundum »rei veritatem, non est passio corporalis, sed principalis »ejus causa est virtus animæ.»

74. Habemus etiam, objectum externum agens in sensorium esse principium ac terminum sensationis adæquatè sumptæ, ideoque sensatio sub hoc respectu objectiva est; subjectiva vero est, quatenus est actio vitalis et immanens.

Sensationem non in cerebro, sed in organo ipso animato perfici jam in Logica dictum fuit, sicut et alia, quæ hîc omittimus. (Cons. *Lect.* 41.^a, 42.^a et 43.^a)

75. Duo tamen, antequam hanc Disputationem concludamus, placet animadvertere. Primum est sensuum præ-

(1) *De Musica*, lib. 6. c. 5.

(2) *De Ente et essentia*, c. 7.

tantiae ac dignitatis ordo. Alterum est Creatoris sapientia in locando sensus aptissimis in locis ad finem obtinendum.

Quantum ad primum, sciendum est, sensuum dignitatem ac praestantiam existimari atque dimetiri ex eorum operandi modo ac finibus, quos attingunt. Jam vero ex his duobus clarum apparet, *visum* esse inter omnes praestantissimum; versatur enim circa objectum utilissimum, et illud attingit quamvis remotissimum praesertim ope instrumentorum, et cujus auxilio quamplurima noxia vitamus et utilia quaerimus; est etiam visus, qui maximo-pere juvat intellectum ad scientias physicas acquirendas; est communior, ac in operando maxime spiritualis, objectumque attingit absque organi immutatione. Sequitur deinde *auditus*; tum quia minus cum materiali objecto conjungitur, et cujus immutatio est ex parte objecti: motus enim localis est perfectior, et naturaliter prior quam motus alterationis; tum quia auditus ordine et arte mire delectatur, et ad animi affectus concitandos praeceteris vim habet, percipit insuper sermonem, qui est societatis vinculum et scientiarum vehiculum. His proximus est *olfactus*; tum quia habet etiam immutationem naturalem ex parte objecti; tum quia nonnihil gustum juvat ad discernenda salutaria a noxis; tamen magis materialis est, quam duo praedicti, et ejus usus minus extenditur. Sequuntur deinde *gustus* et *tactus*. Gustus non distinguitur a tactu in genere, sed tantum quantum ad specialem rationem percipiendi tactiles species et qualitates. Unus et alter postulat immediatam conjunctionem organi cum materia externa, sunt maxime omnium passivi, et inducunt fere easdem mutationes, quas eorum objecta; quem tamen horum cui praeferam, nescio (1).

Hoc in ordine dignitatis sensuum, in ordine vero evolutionis, planum est, omnia contrarie accidere debere.

(1) Cons. S. Thom., *sum. th.* 1. P. Q. 78. a. 3.

76. Ad alterum vero quod attinet, in locando uniuscujusque sensûs organo elucet quam quod maxime infinita Creatoris sapientia. *Oculos*, qui, quasi speculator et vigil, omnibus sensibus inserviunt, in prominenti loco veluti in arce locavit, ut objecta quam longissime perspicere possent; delicatissimi cum sint, maximâ præcautione indigent. Hinc in cavitatibus, quæ orbitæ appellantur, situm habent, et ossibus quasi parietibus proteguntur, et tecta duplicia habent; tum eorundem et capitis, et totius personæ movilitate, et quibusdam musculis, quasi cardinibus hinc inde in circum facillime flecti posse effecit. *Auditum* etiam in eminenti loco posuit atque hinc, inde ad latera, ut sonum quaquaversus diffusum exciperet, portis carent aures, ut quia semper auditus necessarius etiam in somno vigilare possint. *Olfactus*, qui auxiliaturus erat gustui, paulo altiùs collocatus est ori proximus; et ut respirationi invigilaret, interiorem partem occupat canalis ejus, per quam aër respirandus transvehitur, ut eminus firmiter judicium ferat de aëris sanitate aut corruptione. *Gustus* ibi præcisè invenitur ubi necessarius erat; ipse enim judicaturus erat quidnam in stomachum trajiciendum esset, quid rejiciendum; unde organum ejus constituit in vestibulo canalis illius, per quam alimenta transvehuntur, ut illic discerni possent, ac ad digerendum apte disponi. *Tactus* denique, qui nobis ubique necessarius erat, toto corpore diffusus est. Textura cellularis quasi indumentum totum corpus tegit atque etiam nonnullas partes internas. Ejus tamen organum exquisitori cura in manibus elaboravit, quibus mirificum instrumentum hominis continetur ad materiam discernendam et arte donandam, atque ideo maximam inesse iis oportuit tangendi vim. Miranda prorsus Summi Opificis Sapientia!!

DISPUTATIO 7.—DE IMAGINATIONE ET PHANTASIA.—DE
MEMORIA SENSITIVA, REMINISCENTIA ET MEMORIA
INTELLECTIVA.

77. Præ omnibus fortasse facultatibus sensitivi ordinis mirabiles sunt imaginatio et memoria; sed cum eas considerare aggredimur, nulla ex æquo tractatio fortasse est obscurior. Multa de iis tractarunt philosophi, nonnulla inutilia, pleraque incredibilia, quamplurima rectè et acutissime. Erimus breves, et à S. P. Augustino vix punctum recedemus.

78. Jam aliàs dictum est, nullam potentiam suum objectum attingere, nisi cum ipso aliquo modo jungatur; in potentiis vero cognoscitivis objectum in ipsas veluti ingredi, non ipsas in objectum egredi; id autem potiore jure dici debet de potentiis cognoscitivis per sensum sive internum, sive externos. Etiam dictum est, objectum sensitivæ facultatis non in ipsa esse secundum suum esse reale ac materiale, sed secundum suum esse spirituale et intentionale, per imaginem et similitudinem, quam anima mirâ celeritate et ineffabili modo sibi format, et per quam ipsum objectum sentit, apprehendit ac cognoscit; sed talis imago non dignoscitur facta, nisi cum ablatis oculis ab eo quod per oculos videbatur, imaginem ejus in animo invenerimus, et id, quod per oculos videbatur, inveniatur in spiritu. Similiter in auditu, nisi auribus perceptæ vocis imaginem continuo spiritus in se ipso formaret ac retineret, ignoraretur secunda syllaba utrum secunda esset, cum jam primâ utique nulla esset, quæ percussa aure transiisset. In audienda itaque vel brevissima syllaba, nisi memoria nos adjuvet, ut eo momento temporis, quo jam non initium, sed finis syllabæ sonat, maneret ille motus in animo, qui factus est cum initium ipsum sonuit, nihil nos audisse possumus dicere. Itemque in gustu nisi in

animo maneant salutarium aut nocivarum saporum imagines, et ipsi quodammodo sapor, minime ipsos discernere valemus, et ita de cæteris.

79. Hoc ipsum quod ratio suadet experientiâ intimâ constat; in media enim nocte, in lectulo ipso ibi mihi cælum et terra et mare præsto sunt cum omnibus, quæ in eis sentire potui, si excipio aliqua, quibus animum non fixi, ibi ea quasi latentes apparent, vel apparere facio, relego, contemplor et prout mihi placet compono, combino ac efficio aliquid, quod numquam sensu percepi; aliquando hæc omnia mei compos ac dominus pro libito facio; aliquando vero, quod mirandum est, me inscio, aut etiam reluctante hæc in me sine me fiunt; aliàs dico: hoc, vel illud faciam, dico apud me ipsum, et cum talia, et alia hujuscemodi dico, præsto jam sunt imagines illorum omnium, quæ dico. Magna sunt hæc, magna nimis; magna est animæ vis, nec seipsam capere potest (1).

Quomodo autem hæc fiant, quibusque potentiis, obscurum nimis est, et qui dicat ea facili captu esse, quid ea sint ignorat.

80. Ipsæ res, quæ tunc præsentibus fiunt, non sunt ipsæ eadem res, quæ olim sensus affecerunt, sed earum solæ imagines; qui aliter crederet incredibiliter desperet; si loca et eorum distantias, urbes, montes, arbores, quæ vidi, si dapes, quas degustavi; concentus et meloda, quæ audivi; etc., quæ nunc mihi repræsentant et in me sentio revivisce-

(1) Est adhuc alius animæ status, seu operatio captu difficilior. Contingit enim, ut animi intentio à sensibus corporis penitus avertitur atque abripitur, tuncque magis *ecstasis* dici solet. Tunc omnino quæcumque sint præsentia corpora, etiam patentibus oculis non videntur; nec ullæ voces prorsus audiuntur: totus animi contuitus aut in corporum imaginibus est per spiritualem, aut in rebus incorporeis nulla corporis imagine figuratis per intellectualem visionem. Hic status vel est prorsus supernaturalis, vel est summum animæ virtutis, ideoque ab ipsa vix capi potest.

re, fuissent re ipsa eadem; ego nunc essent simul pluribus in locis, et quid ibi agatur scirem; si ita esset contradictoria essent simul vera; sunt igitur earum imagines, seu similitudines, quæ in conjuncto, id est, in subjecto sentiente aliquo modo conservantur, et ab ejus vi excitantur ac reproducentur. Vix necesse est dicere hujusmodi imagines, seu, ut vocant alii, phantasmata á sensatione differre; constat hoc tum ex dictis, tum ex intimo sensu (1).

81. Certum quoque est, quod neque in somno, neque in vigilia aliquid corporale hujusmodi imaginare, aut cogitare possumus, nisi quod sensimus, vel eodem modo ac ordine, quo sensimus, vel unum aliis adjungendo vel ex toto, vel ex parte, et ita aliquid novum imaginare, sed cujus omnia elementa jam sensimus.

Certum etiam est, non omnia, quæ olim sensimus, revocare nos posse, sed solum ea, que cum aliquo attentionis gradu percepta sunt.

82. Certum insuper est, aliquam præsentem sensationem, aut repræsentationem alteras præteritas restaurare, quod fit illâ lege, quam vocant *associationis*. Hæc associatio, seu nexus inter rerum imagines potest esse *objectivus*, vel *subjectivus*. Objectivus est *relatio aliqua, quam inter se habent objecta sensibilia*; v. gr. similitudo, oppositio, causalitas, loci propinquitas, simultaneitas vel successio. Subjectivus est *relatio inter sensationes, quibus objecta nobis repræsentata sunt*; ut cum sensationes fuere simul-

(1) Affectiones animi mei, ait S. P. Augustinus, memoria eadem continet, non illo modo, quo eas habet ipse animus cum patitur eas, sed alio multum diverso, sicut sese habet vis memoriæ. Nam et lætatum me fuisse reminiscor non lætus, et tristitiam meam præteritam recordor non tristis, et me aliquando timuisse recolo sine timore, et pristinae cupiditatis sine cupiditate sum memor; aliquando è contrario tristitiam meam transactam lætus reminiscor, et tristis lætitiam meam. Cons. S. P. Aug. Conf. L. 10. c. 14.

taneæ, aut sibi succedentes, vel in similibus, aut oppositis adjunctis habitæ sunt, vel similes aut oppositos effectus produxerunt. Hinc apparet, ad aliquid recordandum plurimum conferre hujuscemodi associationem.

Verumtamen causa efficiens reproductionis sensilium præteritorum ex pluribus videtur coalescere. Ac primo cum phantasiæ et memoriæ sensitivæ objectum non sit res ipsa externa prout in se est, sed prout in anima existit, quia phantasma, seu similitudo objecti, quam reproducimus, est præterita repræsentatio sensibilis objecti, non igitur objectum ipsum. Objectum autem sensibile existit in animo, prout sensibus apprehensum est; jam vero hæc sensibilis apprehensio sine sensu intimo, quo anima illam habet ut suam, esse nequit. Ergo ad reproductionem præteritorum sensibilibus requiritur ut prima conditio apprehensio sensibilis et sensus intimus. Deinde supponenda est *dispositio quædam seu habitus à sensitiva affectione tum in organo sensûs, tum in cerebro relictus* ad eandem affectionem instaurandam. Est enim omnino inverisimile manere actu in cerebri fibrillis aut motus à sensibus excitatos, seu materialia quædam rerum perceptarum vestigia. Huic dispositioni accedit *motus fluidi nervei in cerebro inchoatus*, qui dispositionem illam ad actum reducit. Demum id quod hanc cerebri actionem determinat est *præcedens aliqua sensatio aut sensibilis repræsentatio*, ut patet tum ex associationis lege, tum ex eo quod nusquam imaginari aut recordari possumus id quod nunquam experti fuimus, neque id quod omni ex parte ex sensu intimo exciderit.

83. Tum phantasiæ, tum memoriæ sensitivæ, prout facultas specialis est, organum ac sedem esse in conjuncto, ideoque materiale, patet tum ex eo quod sunt facultates, quæ circa sensibilia tantummodo versantur, tum etiam quia harum facultatum objectum sub aliqua figura et quantitate exhibetur, ut experientiâ constat. Atque etiam verisimilius est, hujuscemodi organum esse illud ipsum in quo primo



illæ ipsæ sensibiles repræsentationes habitæ sunt, ut patet ex experientia; cum enim visibilia imaginamur, videmur oculis colorem percipere, et sonos auribus, et linguâ sapes, itemque stomachi v. gr. dolorem in stomacho reproduci sentimus. Patet etiam ex identitate effectuum. Cum enim acrem imaginamur saporem, segregari incipit saliva, eodem fere modo ac cum gustatio realis est. Tamen cerebrum imaginationis organum commune existimatur, quod probat dolor et lassitudo, quam in capite experimur, cum has facultates intensius exercemus.

84. Ex hactenus observatione et experientiâ præjactis jam definire possumus, itaque

Phantasia est: ea animæ vis, seu sub-facultas, quâ rerum sensibilibum jam apprehensarum imagines, seu similitudines retinere ac sibi repræsentare ipsa potest.

Reminisci dicimur, *cum ex aliquo, quod animo offertur, quærimus et flagitamus aliud quod persentimus habuisse.* Hoc quod quærimus, quamvis ignotum, minime cum aliis confundimus, omnia enim respicimus donec illud occurrat, tunc eum agnoscimus, et dicimus: *hoc est.*

Imaginatio (1), ut in Logica dictum est, *est illa subfacultas (ex intellectu et phantasiâ participat,) quâ diversimode componimus in nostra mente ideas, et etiam phantasmata, easque disponimus, ita ut novum quid efficiamus, quod nunquam perspeximus.*

Memoriam sensitivam diximus esse: *vim reproducendi phantasmata, seu imagines rerum purè sensibilibum olim habitas.* Nihil aliud esse videtur, quam sensus internus simultaneus sensationis præsentis et phantasmatis ejus vi reproducti una cum adjunctis sensationis præteritæ. Si

(1) Nonnulli confundunt phantasiam et imaginationem, de eisque loquuntur quasi de unica facultate. Nihilominus essentielles differentias inter ipsas notamus; non ita forsitan inter phantasiam et memoriam pure sensitivam.

enim una cum præsentī sensatione phantasma rei ejusdem, quam sensus percipit, reviviscat, et cum eo adjuncta perceptionis præteritæ, quæ nunc objectum idem non amplius circumstant, sensus intimus experietur simul sensationem præsentem per sensum hauriri, phantasma vero reproductum per sensum non hauriri. Non existimō facultates mere sensitivas ulterius procedere posse; in facultatibus enim sensitivi ordinis nec comparatio ulla, nec comparativa apprehensio potest habere locum; sed illa duplex consociata cognitio sufficit ut dici possit, subjectum sentiens aliquo modo distinguere á præsentī id, quod præteritum est. Neque aliquid aliud necessarium est ut explicentur illæ brutorum actiones, quæ præteritarum rerum memoriam requirere videntur. Patet, ut mihi videtur, hallucinari eos, qui dicunt, memoriam *sensitivam* esse facultatem reproducendi ac *recognoscendi* præteritas *cogitationes*. Negent, si placet, memoriam sensitivam, at illam confundere cum memoria intellectiva, decumanus error est.

85. Quandocumque aliquid cogitamus et intellectiva cognitione attingimus, illud intūs apud nosmetipsos verbo mentis per notas intelligibiles exprimimus. Formata quippe cogitatio de ea re, quam scimus, verbum est quod in mente dicimus, et in quo objectum intellectum repræsentamus. Jam vero hæc objecti notitia, notio, seu intellectualis expressio habitualiter in mente conservatur ac retinetur, ac anima, ut cuique experiētiã constat, reproductit cum vult, habitum ad actum reducendo, ac recognoscit per intellectūs reflexionem se antea hanc intellectionem habuisse, atque adeo agnoscit, ut si unum pro alio in mentem revocat, respuit et quasi ait apud se: *non est quod intellexi*, cum vero occurrit illud quod quærit statim agnoscit et ait: *hoc est quod intellexi*. Igitur anima non solum res intelligit, sed etiam illarum intellectiones revocat et agnoscit; intelligit igitur, se olim intellexisse; quatenus igitur

anima conservat, reproducit et agnoscit ideas, seu intellectiones olim habitas, dicitur memoria intellectiva. Hanc anima post á corpore separationem non solum *radicaliter*, sicut cæteras omnes facultates, sed etiam *formaliter* retinet ac exercet. Eam in Logica definivimus his verbis: *Rationalis reproductio ac recognitio comparativa actuum spiritualium*. Hæc definitio; si benè intelligatur, mutanda non est.

Recognitio illa fertur per se in præteritos actus subjecti, ac iis mediantibus, in eorum objecta; est igitur *comparativa* non solum inter distinctos actus et objecta, sed etiam quoad notionem præsentis temporis et præteriti.

86. Non est itaque, ut observat S. Thomas (1), memoria intellectiva aliqua facultas á perceptione intellectûs specie distincta, sed *est operatio ipsius intellectûs, quatenus præterita ut præterita cognoscit*. Nam tum retentio verbi intellectualis, quo exprimuntur species intelligibilium, tum earum reproductio et recognitio solius intellectûs opus est. Primo *retentio*; «cum enim intellectus, possibilis, ut ait S. Thomas (2), sit stabilioris naturæ, quam sensus, oportet, quod species in ipso recepta stabilius recipiatur; unde magis in eo possunt servari species, quam in parte sensitiva». Insuper, á quamam alia facultate conservari dicemus ideas ab intellectu expressas? Secundo *reproductio*; etenim si ab intellectu species intelligibiles conservantur, planum est, non ab alia potentia, sed ab ipsomet reproduci posse. Tertio *recognitio*; etenim intellectus vi supra se suasque actiones reflectendi pollet; hæ autem actiones in aliquo tempore existunt; ergo sicut intellectus cognoscere potest se in præsentī aliquid intelligere (Log. Lect. 36.^a n. 261 et Lect. 37.); ita cognoscere potest se

(1) 1. P. q. 77. a. 7. in corp.

(2) QQ. disp. de vero, q. 10. a. 2.; Sum. the. 1. p. q. 79. a. 6. ad. 2.

antea aliquid intellexisse. Insuper id ipsum confirmatur ex eo, quod cognitio præteriti, ut præteriti, exigit, præter cognitionem comparativam, notionem temporis; hoc autem ad solum intellectum pertinet. Igitur memoria intellectiva est tantummodo quædam intellectûs affectio.

87. Si quis videt me esse pronum ad aliquam, vel aliquas facultates eliminandas, quæ satis communiter animæ attribuuntur, non abnuo; etenim non sunt multiplicandæ facultates ratione cujuscumque distinctæ operationis et absque necessitate, cum hæ operationes aliis indubiis facultatibus tribui, et per eas explicari possint.

Hac in Disputatione sicut in 4.^a non parum adlaboravi, ut inter tot tenebras, et contrarias opiniones certa et indubitata stabilirem, ac verisimilia consignarem. Satis mirari non possum, esse quosdam neotericos, qui omniscios se reputantes et quasi illuminatos, suam sententiam veluti infallibilem arroganter proponant, esseque adeo intolerantes, ut temere atque imprudenter præclaros Philosophos insectentur ipsisque gratis injuriam creare peritent.

APPENDIX.

De vigilia et somno.

88. Nostrum fragile corpus non potest diu sustinere animam vigilantem et intentam in actionibus. Fuit igitur necessarium ut anima posset tantisper et ad tempus cohibere ac reprimere actionem suam in organa sensûs tum interni, tum externi. Si diu fuerit intenta anima in actionibus, corpus fragile et terrenum non illam capit, non illam sustinet perpetuo agentem; et deficit et succumbit; non potest itaque semper vigilare.

Vigilare dicimur: *cum anima intenta in sensuum organa liberum exercitium eorum habet, in seipsam reflecti potest et dominium suorum actum habere.* Quid vero sit somnus

definiri non potest; nemini concessum est, non solum hujusmodi proprium statum observare, sed ipsum transitum de vigilia ad somnum; itaque solummodo per oppositionem ad vigiliam describere hunc statum possumus, dicendo: dormire esse: *cum anima removet se ab his sensibus certo intervallo temporum et eorum motus quasi per quasdam ferias reparat, amittitque dominium in proprios actus* (1).

In somno autem et in vigiliis neque id est dormire quod obdormiscere, neque id est vigilare quod expergisci; hæc sunt transitus quidam ex altero in alterum.

89. Jam vero quicquid illud sit, quod somnum facit, è corpore est atque in corpore operatur. Corporeos enim sensus sopit et claudit quodammodo: ita sane, ut tali commutationi corporis cedat anima cum voluptate; quia secundum naturam est talis commutatio, quæ reficit corpus á laboribus. Causæ vero immediata et determinans ad somnum videtur esse suspensio, ligatio et remissio communis sensorii. Causæ vero remotæ videntur esse lassitudo et fatigatio in organis, tum internis, tum externis, provenientes tum ex dissipatione, seu diminutione spirituum animalium, sive fluidi nervei discurrentis per sensoria, tum ex affluentia vaporum crudorum occupantium et veluti obruentium organa sensuum, nervos et cerebrum. Hinc est quod toxicata alimenta, quæ æconomiam animale corrumpunt, nimia tristitia ac dolor, longum exercitium, sicut et alimenta nimis vaporosa et succulenta, ut sicera, lac etc. ad somnum præparant.

90. Non tamen hæc corporis per somnum commutatio adimit animo vel sentiendi vim vel intelligendi. Nam et imagines sensibilibus præsto habet tanta expressione similitudinis, ut eo ipso tempore discerni nequeant ab iis rebus, quarum imagines sunt. Et si quid intelligit, æquè dormienti ac vigilantem verum est. Nam v. gr. si per somnium dis-

(1) Cons. S. P. Aug., *Lib. de quant. animæ, cap. 33., et in Psalm. 62.*

putare sibi visus fuerit ac syllogizare, verasque rationes secutus in disputando didicerit aliquid: etiam expergefacto eadem incommutabiles manent, quamvis falsa reperiantur cætera, veluti locus ubi disputatio, et persona, cum qua disputatio fuisse visa erat, et verba ipsa quod ad sonum attinet, quibus disputari videbatur, et alia hujuscemodi; quæ etiam cum ipsis sensibus sentiuntur, agunturque à vigilantibus; prætereunt tamen, nec ulla ex parte sempiternam præsentiam verarum rationum assequuntur. Ex quo colligitur, tali commutatione corporis, qualis somnus est, usum ejusdem corporis animæ, non vim propriam, posse minui, quamvis certum est, animam in somno nec reflexionis usum, nec suarum facultatum et actuum dominium habere posse, ideoque omni imputabilitate carere ac immunem esse ab omni inquinamento (1).

91. Agendum hîc esset de appetitu sensitivo, tamen propter necessitudinem et immixtionem, ut ita dicam, quam habet in nobis, ob deordinationem inductam ab originali peccato, cum appetitu rationali, infra de utrisque simul agemus. Sit nunc

DISPUTATIO 8.^a—DE FACULTATE INTELLIGENDI.

NOTIONES PRÆVIÆ.

92. Quoniam vidimus, habere nos non solum cum pecoribus, sed etiam cum arbustis et stirpibus multa communia: namque alimentum corporis sumere, crescere, gignere, vigeri arboribus tributum est: videre autem atque audire, et olfactu, et gustu, et tactu corporalia sentire posse bestias, et acrius plerasque quam nos, cernimus et fatemur; quærendum nunc est: quæ sit illa animæ nostræ insita fa-

(1) Cons. S. P. Aug. In *Psal.* 131., et *lib. de Immort. animæ*, cap. 14. S. Thom. *Summ. the.* 1. P. Q. 84 à 8. et Q. 94 à 4, et 2.^a 2.^a Q. 154. a. 5.

cultas, quâ rerum naturam et causas cognoscimus ac dijudicamus: illa animæ lux, quâ possumus in sensibilibus intelligibilia capere, æternas rerum rationes contueri, justum ab injusto discernere, scientiam potiri, ipsamque incommutabilem veritatem apprehendere ac pro modulo nostro contempleri. Ipsa enim anima nostra est mens, quæ invocat lucem Dei et veritatem Dei, quæ discernit verum a falso. Jam hæc animæ vis, quâ talia peragit, vocatur *intellectus*, *intelligentia*, et *facultas intelligendi*, qui hanc negligit, et postponit cæteris et ita abjicit quasi non habeat, fit *sicut equus et mulus, quibus non est intellectus*.

93. Jam intellectum, seu intelligentiam nostram ita cum Schola definire possumus: *Facultatem perceptivam veritatis, seu entis sub ratione veri*; seu: *Illam animæ essentialem vim et virtutem, quâ rerum omnium rationes attingere valet*; seu: *Intrinsecam ac vitalem animæ activitatem, quâ tum rerum essentiam sive intrinseca essendi principia, tum principia extrinseca sive rationem existendi introspicere valet*. Et profecto nihil est entis, sive quod esse rationem habeat, quod *aliquo pacto* assignari non possit, ut intellectus objectum.

94. *Intellectus* et *intelligentia* ut voces homonymæ promiscuè frequenter sumuntur; tamen si presse sumantur distingui debent; tum ob græcam radicem, a qua derivantur; nam *intelligentia* idem sonat ac *intus legere*; *intellectus* vero idem ac *tendere*; igitur secundum hoc possumus dicere, intellectus voce designari animæ facultas, quâ intelligibilia attingit; voce vero intelligentiæ designari actum intelligendi; tum etiam quia sub intellectus nomine illa peculiaris functio ratiocinandi continetur; sub nomine vero intelligentiæ continetur effectus ratiocinationis. Quomodo-cumque autem sumantur voces *intellectus*, *intelligentia*, *ratio*, *mens*, *facultas intelligendi*, dummodo significant id, quod allatæ definitiones designant, parum refert ut promiscue sumantur.

Dixi, *intelligentiam idem sonare ac INTUS LEGERE*, hæc etymologica descriptio optime ei congruit, tum *subjective*; quia intellectus rem *intelligens*, eam veluti ad se trahit et intra se recipit ac intelligit, tum *objective*; quia intellectus rem *intelligens*, non eas tantummodo notas extrinsecas, quæ rem individuam faciunt ac singularem, quæque à sensibus attinguntur, sed ejus notas ac constitutiva intrinseca, essentiam, videlicet, ac rationes generales attingere ac prospicere potest.

95. Tritum est apud Scholasticos distinguere intellectum *speculativum* ab intellectu *practico*; quæ distinctio est solummodo rationis cum fundamento desumpto ex fine rerum, quæ intelliguntur; nam vocant intellectum *speculativum* cum *esse* rerum ac principia tum essendi, tum existendi exquirat, perscrutatur ac contemplatur, quin ad opus ordinet; vocant intellectum *practicum* cum speculatur, quærit ac cognoscit veritates eas, quæ ex natura sua ad opus tendunt, ut sunt principia illa, regulæ ac rationes, quibus actiones ac operationes nostræ ad finem præstitutum dirigi debent (1).

Itaque intellectus vocatur speculativus per ordinem ad actum proprium intelligendi; practicus vero per ordinem ad operabilia, quatenus opus dirigit.

96. Alia hîc occurrit distinctio magni momenti, quamque nullo pacto omitti debet, est distinctio mentalis, seu rationis inter *intellectum* et *rationem*. Dixi *distinctio mentalis*, seu *rationis* (2); quia ratio non est aliqua facultas diversa, nec plane distincta ab intellectu, sed est ipsemet intellectus quatenus in homine peculiari functione ornatur, videlicet ratiocinandi; sunt intellectus et ratio

(1) Cons. S. Thom., *Sum. th.* 1. p. q. 14. a. 16., et q. 79. á. 11., 2.^a 2.^o q. 179. á. 2., et alibi passim.

(2) Ontologia, *Sect. II. art. 2. Disput. 8.^a num. 101, -103.*

duo aspectus seu manifestationes unius ejusdemque facultatis intellectualis.

Sapienter comparat Boëtius et assimilat intellectum aeternitati, et rationem temporis (1), duplici ratione: 1.^a quia sicut aeternitas immobiliter omne tempus ambit ac continet, ita intellectus immobiliter rationem continet, ambit, estque ejus principium ac terminum: 2.^a quia sicut tempus est praesens semper mobile ac mutabile, ita ratio, ut ratio, est conatus quidam, processus ac discursus á noto ad ignotum.

Et sane intellectus, quatenus intellectus, est facultas, seu potentia, quâ anima percipit immediate ac contuetur rerum veritatem, atque ideo judicia immediata elicit, quibus affirmat unam ideam in altera contineri vel ab ipsâ excludi propter immediatam evidentiam, quâ fulgent, ut evenit praesertim in primis principiis et iis, quæ immediatâ experientiâ patescunt.

Quoniam vero nulla est veritas, quæ in alia non contineatur, vel ipsa alias veritates non contineat, et quas intellectus simplici ac immediato intuitu non potest perspicere ac contueri, hinc est quod ad eas conspiciendas ac intelligendas, indegeat illas primas vel analysi vel synthesisi subjicere, ac inter se comparare discurrens ac procedens veluti per quosdam gradus á noto ad ignotum, quo fit, ut ex illis veritatibus immediatè perspectis ad has perspiciendas assurgat et scientiam de eis conficiat, unam ex altera eliciens. Jam vero hæc operatio est quæ *ratio* nominatur; ratio igitur nihil est aliud, quam *intellectus actio*, quâ á noto ad ignotum discurrendo progreditur. Quare sicut idem est corpus sive consideretur in quiete, sive in motu, sic intellectus et ratio una eademque potentia est, et solummodo distinguuntur sicut distinguuntur corpus á se ipso prout est vel in initio ac termino motus, aut in ipso motu.

(1) *De consolat. philo. lib. 5. pros. 4.*

97. Ut possibilis sit hæc intellectûs actio, seu ratiocinatio, necessariò prærequiruntur ac supponuntur judicia quædam immediata, quæ ad intellectum pertinent, seu principia quædam immediatâ evidentiâ cognita, quæ vel *actu*, vel *virtute* in ratiocinium ingredientur ac dirigant; considerari igitur potest ratio ut applicatio quædam ac evolutio legum intelligentiæ, et cujus (rationis) initium ac terminus ipsa intelligentia est.

98. Ratio autem versari potest vel circa veritates necessarias, æternas et immutabiles, quibus continentur et exprimuntur æternæ rerum rationes, vel circa veritates contingentium rerum, quibus continentur et exprimuntur rationes temporalium, seu successivorum, hinc rationis distinctio in *superiorem* et *inferiorem*. Ut hæc magni momenti distinctio bene intelligatur paucis verbis profundissimam non minus ac verissimam et pulcherrimam S. Patris doctrinam exponam (1).

«1.° Quidquid habet *esse verum* ab Eo habet, qui est *prima* veritas et *ultima* omnium ratio, et in tantum res habent rationem *essendi*, in quantum assimilantur æternis archetypis ideis, easque adamussim imitantur: 2.° Lumen intellectûs nostri est quædam participatio Divini Luminis, imaginem enim Dei habemus in mente, in intellectu (2). Illa vero lux, quæ illuminat omnem hominem, et illa vitalis veritas, per quam facta sunt omnia, *supra* hominem est. Jam vero intellectus, qui est quædam participatio ac imago æterni Luminis et increatæ Veritatis, etiam participat et implicite ac virtualiter præhabet, et ideo contemplari potest illas æternas, necessarias et immutabiles rerum rationes, seu veritates, quibus continentur et ex-

(1) *Tract. in Joan., tract. 1.; De Trinit., Lib. 12. cap. 2.-3. 4, et 15.; Serm. 27, de verbis Apost.; Expl. in Psal. 36, et alibi.*

(2) *Trac. 3, in Joam.*

primuntur earum essentiales relationes tam in ordine speculativo, quam in practico, præsertim morali; et cum res sive existentes, sive possibles contemplatur, ad ipsas Dei æternas exemplares ideas contemplandas assurgit (*Ontol. Disp. 6.^a Prop. IV.*). Cum igitur mens humana judicat de rebus quibuscumque secundum has supremas rationes, quæ in Deo vita sunt, per quam facta sunt omnia, et eas discernit secundum hanc æternam lucem, quæ illuminat omnem hominem, tunc nuncupatur et est *ratio superior*.

99. Certum insuper est, mentem humanam corpori insertam res temporales, contingentes et individuales per experientiam et internam et externam *primum* percipere, de eisque per analysim, vel synthesim et comparisonem ideas magis, vel minus universales efformare, et secundum has notiones ipsas intelligere, ac de ipsis judicare; et tunc nuncupatur et est *ratio inferior*. Potest autem per novas comparationes et abstractiones novas et superiores relationes detegere, et ita iterum atque iterum efficiendo assurgere ad supremas ac incommutabiles rationes, atque ideo se ad illam superiorem iterum elevare.

100. Unde hæc duo clare perspiciuntur: 1.^o Rationem superiorem et inferiorem unam eandem re ipsa facultatem esse, et solummodo distingui secundum quod intellectus judicet de rebus incommutabilibus per principia innata seu *prima intelligibilia* (1), vel de rebus temporalibus per notiones et principia acquisita: 2.^o Cum mens humana de rebus judicat secundum illa æterna principia eliciens conclusiones minus universales, *sapientiam* tunc dicitur acquirere; cum vero rationalem cognitionem de rebus temporalibus acquirit per notiones et principia acquisita, tunc dicitur acquirere *scientiam*.

(1) Ita illa prima rationis principia nuncupantur à S. Thoma, *Sum. th. 1. p. q. 16. a. 6.*

Ita breviter expositâ doctrinâ S. P. Augustini, solum restat animadvertere, ut cum eam evolvere velitis ad ipsa S. P. citata loca, vel ad Summas D. Thomæ confugere debetis, ne forte in malebranchianum barathrum incidatis, si eam intelligitis ad mentem Cartesii, aut in pejorem adhuc Giobertii.

101. Alia est nunc innuenda distinctio celebrior et usu trita apud Scholasticos, intellectus, scilicet, in *agentem* et *possibilem*. Melius diceretur distinctio *virtutis intellectualis* in *abstractivam* et *perceptivam*.

Hujusmodi distinctionis ratio ex eo desumitur, quod activitatis intellectivæ animæ humanæ objectum *proprium* et *immediatum* est rerum essentia à conditionibus materialibus præcisa et ideo sub forma universalitatis; attamen dum in præsentî conditione versatur intellectus, immediate fertur in essentiam seu naturam rerum materialium seu corporearum, hæc est enim, quæ intellectum ad suum actum determinat, sed rerum materialium seu corporearum essentia non est actu intelligibilis, et hoc duplici ratione: *prima*, quia cum sit materialis, intellectum, qui immaterialis est, immutare non potest; *secunda*, quia quidquid in rerum natura existit singulare est ac individuale, singulare vero ac individuale, quâ tale, non est actu intelligibile; notæ etenim seu rationes, aut formæ intelligibiles, sive intellectuales, non singulares, sed universales ac immutabiles sunt, alioquin rerum scientia nec universalis esset, nec immutabilis, quod admitti nequit; igitur ut anima possit rerum corporearum et singularium essentiam, seu quidditatem intelligere, oportet, ut hæc actu intelligibilis fiat et aliquo modo immaterialis; hoc autem peragit intellectus abstrahendo à repræsentationibus sensilibus propriam rerum essentiam ac rationes, et efficiendo earum ideas, imagines seu species intelligibiles, quibus actu intelligi res possint.

102. Unde sequitur, in intellectu humano duplicem potentiam seu virtutem distinguendam esse, alteram activam,

ex parte passivam alteram (1). Illius munus est: objecta materialia, quæ intelligibilia actu non sunt, facere actu intelligibilia: ejus actus proprius et peculiaris est abstrahere atque efformare ideas intellectuales, seu rerum species, seu similitudines intelligibiles sub forma universalitatis easque producere in illam alteram virtutem passivam. Hujus igitur munus est illas intelligibiles species, seu ideas intellectuales recipere ac ideo ab illa altera mota ac determinata actum intelligendi elicere. Jam

Illam primam vocabant Scholastici ex Aristotele *intellectum agentem*; hanc vero alteram *intellectum possibilem*; *possibilis*, non quia sit quædam mera *possibilitas* et non realitas, sed quia non est *actu* determinatus ad omnia intelligibilia intelligenda, sed in *potentia* ad hanc determinationem recipiendam et hos actus eliciendos.

103. Tamen cum hujusmodi voces supinis erroribus viam parent (2), appellabimus illam primam intellectûs virtutem *vim abstractivam*, vel simpliciter *lumen intellectuale*, quia res quodammodo illuminans llas intelligibiles facit; illam vero alteram, seu intellectum agentem, *vim perceptivam*, seu simpliciter *intelligentiam*, quia ipsa est, quâ mens intelligit. De his vero alibi.

Hæ autem mentis virtutes non duæ potentiaë realiter distinctæ sunt, sed duæ actiones seu operationes unius ejusdemque potentiaë, seu facultatis intellectivæ.

104. His præjactis, missis placitis tum antiquorum philosophorum, tum modernorum plus minusve aberrantium circa naturam et proprietates facultatis intelligendi; horum enim omnium opinamenta recensere ac ad trutinam

(1) Dixi *ex parte passivam*; nam intellectus quatenus rerum ideas recipit, et quatenus recipit etiam actionem seu actum intelligendi, quem ipsemet elicit, utpote qui est actus immanens et vitalis, passivus est.

(2) Cons. Franc. Suarez, *De anima*, Lib. 4. c. 8.

revocare extensione et gravitate, quâ par est et materia exigit, extra limites operis elementarii nos protraheret; atque nisi ita fieret, si cursim tantummodo tam multiplices, tamque variæ atque adeo oppositæ sententiæ pertractarentur, esset fortasse vestras mentes, in Philosophia novitii, in anxias ancipitesque vias adducere, et in barathrum, è quo, sine magno virium dispendio et aliqua in scepticismum inclinatione, vix aut nec vix quidem incolumes evaderetis; omissis itaque hujusmodi placitis, breviori calamo perspicuaque methodo quæ vera sunt, quæque magis scitu digna circa intellectûs naturam, objectum et modum, quo hunc attingit, hîc exquirenda suscipimus.

DISPUTATIO 9.^a—DE NATURA INTELLECTUS ATQUE EJUS
ESSENTIALI DIFFERENTIA Á SENSU.

105. In hac quæstione litem movent *materialistæ* et *sensistæ*. Illi, quos alibi insectabimus, non alium principium admittunt, nisi materiam, cui tum sentiendi, tum intelligendi operationes tribuunt; isti vero seu *sensistæ* infician- tur esse in homine facultatem ullam cognoscendi, quæ sensum excedat, omnesque, quas vocamus intellectuales operationes, nihil aliud esse autumant, quam sensationes diversimode transformatas. Ita humanam naturam fædant levissimi philosophi, et hominem deprimunt et inter bruta animalia collocant. Hujusce decumani ac turpis erroris initium apud ethnicos philosophos reperitur Empedoclem, Democritum, Anaxagoram (1), inter recentiores vero intellectum á sensu non differre plerique philosophi proxime elapsi sæculi, præsertim Galli, existimarunt, quorum ante-

(1) Cons. S. Thom. Sum. Cont. Gent. Lib. II. cap. 66.

signanus et sensismi instaurator fuit Lockius (1) ac precipuus promotor Stephanus de Condillac (2). Contra quem vilescentem errorem sit

106. PROPOSITIO I.^a *Intellectus, aliter ac sensus, est potentia inorganica.*

Prob. 1. Hæc propositio argumentis ab ipsa hominis naturâ petitis demonstratur; etenim homo naturam corpoream cum substantiis seu naturâ spirituali connectit; occupat igitur supremum locum inter substantias mere sensitivas, et infimum inter substantias intellectuales, utrarumque igitur facultates propriæ homini inesse debent. Atqui facultates, quæ sunt propriæ substantiarum intellectualium, ut sunt intellectus et voluntas, sine organo corporeo exercentur, ut alibi melius probabimus. Ergo hujusmodi facultates, quibus homo præditus est, sine organo corporeo homo exercet.

2.^o Insuper, operationes seu actus, qui à facultate organica exeruntur, ut sunt sensationes, necessario egent, ut ipsa experientia testatur: 1.^o organo corporeo determinato, quo læso vel sublato omnino tollitur talis actio sive sensitio: 2.^o eget impressione seu actione materiali et physica alicujus objecti corporei in organum, cui respondet sensitio mensurata ac determinata ad tale singulare objectum. Jam vero operationes seu actus facultatis intelligendi omnino contrario se habent; nam non modo non egent ullo organo

(1) Natus est, hic Wringtoni in Anglia 1632, docuit sensismum præsertim in opere: *An essay concerning human understanding, in four books: Ensayo sobre el entendimiento humano*, edito an. 1690.

(2) Natus est hic Gratianopoli (Grenoble) 1715, evolvit Condillac Lockii sensismum in operibus: *Essai sur l'origine des connaissances humaines*: et *Traité des sensations*. Dessen de l'ouvrage: *Logique P. 1. ch. 7.*

corporeo aut organica impressione, sed nullatenus per ipsum exercere possunt. Etenim

1.° Intellectus ea cognoscit, quæ organum materiale minime afficere possunt. Hujusmodi sunt v. gr. possibilitas, impossibilitas, necessitas, contingentia, negationes, privationes, simplicitas, æternitas, honestas, turpitudine, jus, officium, etc., etc. Ad hæc de spiritu, de Deo ipso cogitat, per reflexionem supra proprios actus in propria conscientia relegit simplicimas animi affectiones, etc.

2.° Sensus non cognoscit, nisi singularia; «cognoscit enim omnis sensitiva potentia per species individuales, cum recipiat species rerum in organis corporalibus; intellectus autem est cognoscitivus universalium, ut per experientiam patet (1). Ergo etc.

3.° Præterea, sensus corrumpitur ab excellenti sensibili sicut quæcumque potentia organo corporeo affixa, quæque per illud agit, si a proprio objecto vehementissime afficiatur; intellectus autem non corrumpitur ab intelligibili excellentia, quinimmo magis magisque perficitur, et qui intelligit majora, potest melius postmodum minora intelligere (2). Patet igitur intellectum, aliter ac sensum, esse potentiam inorganicam. Omittimus alia argumenta, nam ex sequenti propositione magis hæc patescet.

107. *Obj.* Si organicae functiones perturbentur, perturbantur quoque intelligentiæ operationes. Ergo intellectus etc.

Resp. Dist. ant. Perturbantur ratione sui, *nego*; per accidens, *conco.*

Vitiatis organis, perturbatur exercitium facultatum earum, quæ ab organis dependent, quæ sunt sensus et phantasia. Quoniam vero harum facultatum usus ad intellectus operationes tanquam conditio requiritur, hinc fit, ut orga-

(1) S. Thom. Sum. Cont. Gent. 1. c.

(2) S. Thom. I. c.

norum perturbatio intelligentiæ quoque exercitium perturbet.

108. PROPOSITIO II.^a *Est igitur in anima humana, præter vim seu facultatem sentiendi, alia facultas omnino superior, quam intellectum appellamus.*

Hæc propositio ex parte á præcedenti fluit, ex alia vero parte ipsam magis corroborat.

Prob. prop. 1.º Sensus inest omnibus animalibus, non autem intellectus; ergo sensus, non est intellectus. Antecedens quoad primam partem probatum fuit supra n. 22 seqq.; secunda pars etiam ex dictis n. 35 seqq. consequitur. Confirmatur tamen. Facultas sensitiva sive sensus non est cognoscitivus nisi singularium, et neque apprehendit, neque apprehendere potest nisi objecta materialia, quæ sensum afficere possunt; itaque individuum præditum facultatibus tantummodo sensitivis minime apprehendere potest rerum rationes universales, æternas et immutabiles, neque igitur futura prævidet, neque fines rerum, neque media excogitat nova et aptiora ad fines, neque ullius scientiæ aut artis capax est, ut patet in brutis animalibus, quorum operationes non diversæ et oppositæ, sed semper eædem et uniformes sunt in eadem specie, ut in hirundine et ape. Homo autem eâ cognoscendi vi pollet, quâ sensibilia omnia transcendit, universalia apprehendit, æterna et incommutabilia, in se suosque actus reflectitur, ad suos fines nova semper media excogitat, in ipsis sensibilibus insensibiles relationes contemplatur, inter opposita bona quasi iudex eligit, jura et officia cognoscit, artis et scientiæ et etiam sapientiæ capax est etc. etc. Ergo est in homine, præter sentiendi facultatem communem cum brutis, alia superior facultas essentialiter differens, quam dicimus intellectum.

2.º Insuper, nullus sensus seu facultas sensitiva seipsam cognoscit, nec suam operationem; visus enim non vi-

det seipsum, nec videt se videre; multo minus talis facultas cognoscit intrinseca sensibilibus constitutiva; intellectus autem et cognoscit se ipsum, et cognoscit se intelligere, et intelligit rerum intrinsecas rationes, ita intellecta re quacumque alias atque alias possibles contemplatur. Ergo intellectus, quo homo præditus est, est facultas infinito superior ac nobilior facultate sensitiva.

109. Hinc sequitur: 1.° Plane aberrasse Lockium, cum omnes humanæ mentis cognitiones et ideas revocat ad repræsentationes seu perceptiones tantummodo sensitivas, et ad eas, quas ex horum sensuum elementorum compositione, juxtapositione et abstractione efformamus.

2.° Multo turpius hallucinatur Stephanus de Condillac in eo quod asserit, omnes animæ facultates ad sensationes transformatas reduci. Quod quam inconsiderate dictum sit vel ex eo manifeste apparet, quod ut ponamus esse in anima sensationes transformatas, præter sensationes et sentiendi facultatem, necessario supponenda est in anima ipsique tribuenda est vis aliqua activa à sensu ac sensationibus diversa, quæ in sensationes agat easque transformet.

Cæterum quam falsa sit hujusmodi epicurei theoria, facile deducitur tum ex dictis, tum ex consideratione apprehensionis comparativæ, judicii ac ratiocinii, quæ evidenter sunt quiddam à sensatione omnino diversum, tum denique ex turpissimis et exitalibus consecutionibus ex hujusmodi theoria; ex ea enim sequitur, hominem esse quoad essentiam brutis animalibus similem et solum ab his differre quoad majorem vel minorem facultatum vim et evolutionem; ideoque natum hominem esse ad voluptatem, beatum si animales instinctus expleat, nulli legi subjectum, nulli pœnæ, quæ legitima sit obnoxium, ejusque vitam et existentiam morte penitus absolvi. Consecutiones, quas sensistæ ultro haud cunctanter impudenter suscipiunt. De iis sermonem iterum faciemus.

DISPUTATIO 10.^a—DE INTELLECTUS OBJECTO, ET MODO,
QUO EUM INTELLIGIT.

110. Objectum intellectûs humani dupliciter considerari debet pro duplici statu ac respectu, in quo ipse intellectus est; nam intellectus vel spectatur et consideratur *in se* prout intellectus est, vel spectatur et consideratur *relate* ad præsentem statum, in quo anima cum corpore substantialiter conjungitur; hinc objectum intellectûs disperditur in *adæquatum*, et *proportionatum*.

111. Dico I. *Objectum adæquatum intellectûs est omne id, quod intelligibile est*; intelligibile autem est omne id, quod habet esse, seu cujus intrinseca constitutiva non sese excludunt; «omne quod est, intelligibile est,» ait S. P. August. (1). Id magis perspicuum apparet, si consideramus, intellectum nostrum esse quamdam participationem et similitudinem Intellectûs Divini, unde sicut Divinus Intellectus est ratio formalis et principium essendi omnium quæcumque sunt, vel esse possunt (Ont. Disp. 6. n. 70.), ita hujusmodi *esse* rerum abstractum á quacumque individuante determinatione est objectum adæquatum, id est, conforme ac conveniens ipsius humani intellectûs naturæ, dummodo limites illius participationis non excedat.

112. Animadvertendum est: 1.^o res, si referantur ad Divinum Intellectum, sunt *actu* intelligibiles et intellectæ; ab Eo etenim formaliter ac essentialiter dependet earum *esse*; si vero referantur ad creatum intellectum, sunt intelligibiles *potentialiter*, tum quia intellectus creatus non est earum essendi principium, tum quia actione sua ipsas sibi intelligibiles efficit. 2.^o Intelligibilitas Divinæ Essentiæ est radix originalis ac exemplar radicale omnium intelligibilium; quapropter Divinus Intellectus, qui est ipsa Essentia Divina, cognoscendo ac intelligendo hos diversos terminos et assimilationes intelligibilitatis Di-

(1) *De duab. anim. c. 5. n. 4.*

vinæ Essentiæ, est eorum ratio essendi et exemplar formale, ideoque ab ipsis minime perfici potest; *relatio* itaque, quæ intercedit inter Intellectum Divinum et res intelligibiles, est tantummodo *logica*, si spectetur ex parte Divini Intellectûs, est vero *realis* ex parte rerum. E contrario, cum esse rerum ab intellectu creato non dependeat, sed potius hic ab illo mensuretur ac á rerum cognitione maxime perficiatur, consequens est, *relationem* intelligibilitatis *realem* esse ex parte intellectûs creati, *logica* ex parte rerum. Nunc ab Ontologis petimus: vel concedetis, res habere in se ipsis esse reale ac intelligibile, quamvis á Deo dependens modo explicato, vel negatis. Si negatis, ontologismus recta ad pantheismum ducit, seu melius est larvatus pantheismus. Si concedetis; ergo res in se intelligibiles sunt; ergo absurdum est vestrum systema, juxta quod asserere non dubitatis, res solummodo in Deo intelligi posse.

Animadvertendum insuper est, cum res *veræ* nuncupentur, quatenus adamussim imitantur et adæquant earum exemplar formale seu ideas archetypas, liquet, *esse* rerum objectum esse intellectûs sub ratione *veri*. Sed tamen

113. *Aliter veritas dicitur esse objectum intellectûs apprehendentis, aliter intellectûs judicantis.* Dicitur enim veritas objectum intellectûs apprehendentis, quatenus est *terminus*, in quem tendit apprehendendi actus. Nam per apprehendendi actum intellectus fit rei cognitæ conformis. Hæc autem intellectûs cum re conformitas est intellectûs veritas seu veritas logica.

Dicitur autem veritas objectum intellectûs judicantis, secundum quod est *ratio formalis, vi cujus* intellectus enuntiabilibus sibi propositis assensum præbet. Intellectus enim ex se ad assensum non fertur, nisi veritatis evidentiâ pertractus (1).

(1) Cons. Salv. Tong. *Instit. phi. etc. Psychol. lib. 3. c. 5. art. 2.*

114. Jam vero ratio communis entis, sive ens in genere est id, quod intellectus noster, primo ac semper apprehendit in quolibet objecto, quare Scholastici ajebant: *ens esse objectum extensivum intellectûs*; etenim omne id quod est aliquid in se, id omne quod essentiam habet, ab intellectu cognosci potest. Tamen etsi quidquid rationem entis habet intelligibile sit, atque ideo objectum adæquatum intellectûs sit:

115. Dico II. *Id, quod intellectus actu proprio apprehendit, est rei quidditas seu essentia*; id est, non ens vaguum actu proprio apprehendit, et *esse* rei indeterminatum, sed ens per sua essentialia constitutiva determinatum, *esse* tale, vel tale. Etenim 1.° ut intellectus ens proprie intelligat in se ipso eum verbo mentis exprimat necesse est; hæc autem intellectiva expressio continetur in actione, quâ mens in se ipsa notas intelligibiles entis producit; hæc autem notæ sunt entis intelligibilis constitutiva; atqui hujuscemodi constitutiva sunt ipsa rei quidditas sive essentia; atqui actus proprius, quo intellectus rem intelligere dicitur, est affirmatio, qua pronuntiat talia constitutiva sive intelligibiles notas ens intelligibile, sive rem constituere; ergo non ens vaguum, aut rem indeterminatam, sed ens per sua essentialia, *esse* rei tale vel tale intellectus actu proprio intelligendi apprehendit; ergo ratio formalis, quæ intellectûs terminus constituitur, ut proprium objectum, est essentia seu quidditas rei.

Id patet 2.° ex eo quod, ut intellectus, quippe qui potentia necessaria est, ad aliciendum actum intelligendi determinetur, necesse est, ut apprehendat *necessariam rei intelligibilitatem*; hæc autem est ipsa rei essentia, utpote necessaria et incommutabilis; ergo essentia rei est id, quod intellectus proprio actu intelligendi apprehendit.

116. Jam vero sive consideretur generica entis notio, sive consideretur essentia, nullam præ se ferunt singula-

ritatis notam, sed expriment *quid, quod in pluribus individuis inesse ac in ipsis multiplicatum inveniri potest*; hinc clare patet objectum intellectûs, non singulare, sed universale esse (1).

Hæc quoad objectum intellectûs, ut intellectus est, seu objectum *adæquatum*, quoad objectum vero *proportionatum*:

117. Dico III. *Objectum proportionatum intellectui humano secundum statum naturalem suum est res sensibilis, seu materialis, sub forma tamen universalitatis.*

Intelligite propositionem de objecto immediato et directo; nam intellectus, vi intellectiva, quâ anima se in seipsam reflectit, suos actus intelligit ac per hos intelligit anima se ipsam, ut postea declarabitur.

Prob. assert. 1.° Anima nostra una eademque est simul sentiens et intelligens, et secundum naturalem suam conditionem postulat esse in corpore, cujus forma est, et principium tam intellectûs, quam sensûs. Ergo, etsi intellectus actiones proprias sine ullo organo corporeo exerat, tamen cum naturaliter jungatur facultatibus organicis, seu quæ per organa corporis exercentur, ab his naturaliter accipit *materiam*, circa quam versantur ejus operationes; intellectus igitur noster etiam ex se vindicat intelligere per species à sensibus acceptas; ergo ex se vindicat tantum cognoscere res sensibiles, utpote illi proportionatas.

2.° Objectum intellectui proportionatum ac proprium est illud, quod per naturalia media ei primo ac per se cognoscendum offertur. Atqui tale objectum sunt res materiales; hæ enim per sensus ei sponte offeruntur ante quodvis aliud objectum intelligendæ. Nam intellectus cæ-

(1) Si excipimus essentiam illam, quæ tales intelligibiles notas præ se fert, quæ maxime individuum, singularem ac determinatam efficiunt, qualis est *Essentia Dei*.

teros spiritus ac Deum cognoscit post experientiam ac per ratiocinium; se ipsum vero per reflexionem in actus, quibus objecta externa intellexit. Ergo etc. (1).

3.° Id ipsum intimo sensu teste et experientiâ mirifice confirmatur. Et sane 1.° cum de re quacumque sive corporali, sive spirituali cogitamus, illam sub aliqua forma sensibili nobis repræsentamus, quare vere ait D. Thomas: «Quando aliquis conatur aliquid intelligere, format sibi aliqua phantasmata per modum exemplorum, in quibus quasi inspiciat quod intelligere studet. Et inde est etiam, quod quando aliquem volumus facere aliquid intelligere, proponimus ei exempla, ex quibus sibi phantasmata formare possit ad intelligendum (2).» 2.° Experientiâ edocemur, illos, qui aliquo sensu carent, carere etiam scientiâ eorum, quæ ad ipsum sensum referuntur. 3.° Actiones intellectûs vicibus facultatum sentientium subjiciuntur; videmus enim, ait ipse Angelicus, quod impedito actu virtutis imaginativæ per læsionem organi, ut in phreneticis, et similiter impedito actu memorativæ virtutis, ut in lethargicis, impeditur homo ab intelligendo in actu etiam

(1) Aristoteles, 3. *de Anima*, textu 10, ait. «Intellectum nostrum percipere quidditates sensibilium,» et c. 7. et 8. ait. «Intelligibilia à nobis ea esse, quæ phantasmatis repræsentantur.» Et hæc est communis opinio cum D. Thoma, 1. p. q. 12. à 4.—q. 84. à 7.—q. 85. à 1., Cons. Suarez. *Disp. Metaph.*, Disp. 8.

(2) *Sum. th.* 1 p. q. 84. à 7. «Hujus autem ratio est, prosequitur ipse, *ibidem*, quia potentia cognoscitiva proportionatur cognoscibili. Unde intellectûs Angeli, qui est totaliter à corpore separatus, objectum proprium est substantia intelligibilis à corpore separata, per hujusmodi intelligibilia materialia cognoscit. Intellectûs autem humani, qui est conjunctus corpori, proprium objectum est quidditas sive natura in materia corporali existens; et per hujusmodi naturas visibilium rerum, etiam in invisibilium rerum, aliqualem cognitionem ascendit etc.»

ea, quorum scientiam præcepit (1). Concludimus igitur cum eodem S. Doctore: Operatio proportionatur virtuti et essentiæ; intellectivum autem hominis est in sensitivo; et ideo propria operatio ejus est intelligere intelligibilia in phantasmatibus (2).

118. Illud autem notandum est, hanc dependentiam intellectûs nostri à sensu minime intelligendam esse *secundum ordinem naturæ seu perfectionis*, prout perfecta sunt naturaliter imperfectis priora, sed tantummodo *secundum ordinem generationis et temporis cognitionum*, prout ex imperfectis ad perfectum pervenitur.

Illæ vero sensitivæ facultates, quæ materiam intellectui offerunt, sunt sensus, memoria sensitiva et præsertim phantasia; illæ duo remote et mediate, ista vero proxime et immediatè, ut patet ex eo quod intellectus actiones suas exerit circa res sensibiles, quæ amotæ sunt, nec amplius sensus percellunt, at nullo pacto eas cogitare potest, quin se ad phantasmata seu imagines earum convertat; seu potius phantasia reproducendo phantasmata rerum, et, si agitur de insensibilibus, producendo phantasmata, seu quasdam sensibiles imagines, quæ insensibilia per quasdam analogias meliori modo imitentur, cooperatur intellectui ad eas intelligendas.

119. Diximus in assertione *sub forma tamen universalitatis*. Hoc vero solummodo quantum ad conceptus singularium proprios, probatione eget. Probandum videlicet, hosce ipsos conceptus ex se universale aliquid exprimere, licet non cognitum ut universale.

Sane si intima singularitatum diversarum constitutiva, ut in Dei cognitione sunt, intellectus noster conspiceret, hoc quod dicimus verum non esset. Illi enim conceptus vere, et ex se, et essentialiter singularium essent

(1) Ib.

(2) *De mem. et Remin. Lect. 1.*

proprii. Sed non ita noster intellectus singularia cognoscit; nostræ enim ideæ singulares notis aliquibus communibus, et accidentalium quorundam modorum collectione constant (L. 29-1.). Atqui quævis hujusmodi collectio talis est ex se, et in statu pure intelligibili posita, ut pluribus individuis possibilibus conveniat. Existere enim certo loco certoque tempore, tali formâ, figurâ, nomine, relationibus, non est profecto aliquid, quod necessario uni tantum individuo possibili conveniat.

120. Concedo equidem, hæc omnia simul, si ut factum considerentur, pluribus amplius convenire non posse. Etsi enim v. gr. plura individua similia in certo quodam loco diversis temporibus existere possint, non tamen eodem tempore. Solum itaque factum, cognitum ut factum, est illud, quod rejectis cæteris possibilibus, quibus conceptus ex se communis applicari potest, hunc in uno tantum definit, hypothetica necessitate. Solum ergo factum, cognitum ut factum, singulare ut singulare nobis manifestare potest. Noster autem intellectus á facto præscindit, quia experientiæ limites transcendens, solam objecti, quod ipsi offertur, entitatem intelligibilem naturaliter apprehendit. Ergo vere diximus, intellectum apprehendere res sensibiles *sub forma tamen universalitatis* (1).

(1) Salv. Tong. Inst. Tom. 3. Psych. lib. 3. c. 6. art. 4. Hæc ipsa assertio ita educitur ex doctrina D. Thomæ, *art. 1. q. 85. 1.º P.* «Objectum cognoscibile, ait ipse, proportionatur virtuti cognoscitivæ. »Est autem triplex gradus cognoscitivæ virtutis. Quædam enim cognoscitiva virtus est actus organi corporalis, scilicet sensus: et ideo »objectum cujuslibet sensitivæ potentiæ est forma, prout in materiâ »corporali existit. Quædam autem virtus cognoscitiva est, quæ neque »est actus organi corporalis, neque est aliquo modo corporali materiæ »conjuncta, sicut intellectus angelicus: et hujus virtutis cognoscitivæ »objectum est forma sine materiâ subsistens. Etsi enim materialia »cognoscant, non tamen nisi in immaterialibus ea intuentur, vel in se »ipsis, vel in Deo. Intellectus autem humanus medio modo se habet:

121. *Hinc ut intellectus singulare, qua tale, cognoscat, necesse est, ut ad sensationis sive præsentis sive revocatæ factum se convertat* (1). Nam ut singulare, qua tale, cognoscatur, necesse est, ut intellecta individui entitas ad factum reducatur. Hæc autem reductio fieri nequit, nisi per conversionem ad sensationes. Factum enim ut factum solo sensu à nobis attingitur. Ipsa namque sensatio purum factum est, illudque immediate nobis præsens; res vero externæ sensatione exhibentur, ut facti hujus terminus et objectum. Sic itaque cum alicui significare volumus aliquod

»non enim est actus alicujus organi, sed tamen est quædam virtus
 »animæ, quæ est forma corporis. Et ideo proprium ejus est cognoscere
 »formam in materia quidem corporali individualiter existentem, non
 »tamen prout est in tali materia. Cognoscere vero id, quod est in
 »materia individuali, non prout est in tali materia, est abstrahere for-
 »mam à materia individuali, quam repræsentant phantasmata. Et ideo
 »necesse est dicere, quod intellectus noster intelligit materialia abs-
 »trahendo à phantasmatibus: et per materialia sic considerata in imma-
 »terialium aliqualem cognitionem devenimus: sicut é contra Angeli
 »per immaterialia materialia cognoscunt.... et ib. q. 86. a. 1. Sin-
 »gulare, inquit, in rebus materialibus intellectus noster directe et pri-
 »mo cognoscere non potest. Cujus ratio est, quia principium singulari-
 »tatis in rebus materialibus est materia individualis (quæ utique indi-
 »viduatur per suam ipsam realitatem). Intellectus autem noster, sicut
 »supra dictum est, intelligit abstrahendo speciem intelligibilem ab hu-
 »jusmodi materia. Quod autem à materia individuali abstrahitur, est
 »universale. Unde intellectus noster *directe* non est cognoscitivus, nisi
 »universalium.»

(1) En D. Thomæ verba *ibidem*; «*Indirecte* autem, et quasi per
 »quamdam reflexionem potest intellectus cognoscere singulare. Quia,
 »sicut supra dictum est (quæst LXXXIV), etiam postquam species
 »intelligibiles abstraxerit, non potest secundum eas actu intelligere,
 »nisi convertendo se ad phantasmata, in quibus species intelligibiles
 »intelligit. Sic igitur ipsum universale per speciem intelligibilem direc-
 »te intelligit, indirecte autem singularia, quorum sunt phantasmata.
 »Et hoc modo format hanc propositionem: *Petrus est homo.*»

singulare objectum, exhibemus ejus naturam aliquo termino communi, ac deinde demonstramus aliquo pronomine adsignificato per gestum, vel per alia facta sensibilia, ejus singularitatem, sic dicimus: *hic liber*, eum præ oculis apponendo: *ille homo*, digito eum indicendo: *homo, quem Christus à monumento factidum suscitavit*.

122. Conversio porro ista est reflexio intellectûs in repræsentationes sensibiles vel phantasmata, prouti per intimum sensum sunt quiddam animæ præsens. Actualis autem intimus sensus est essentialiter factum, atque ita est factum, ut neque in statu intelligibili facti naturam exuere possit, atque ut universale quid apprehendi. Est enim naturâ suâ fluens, ac proinde nec multiplicabilis est, nec iterabilis, etiam in eodem subjecto. Proinde repræsentatio sensibilis, cum respicitur ut hujus facti terminus, non potest non apprehendi ut factum. Igitur ut intellectus singulare ut singulare cognoscat, ad sensibilia se convertat oportet (1).

123. Cognitio igitur nostra generaliter inspecta etsi à singularibus seu sensibus percipiendis inchoetur (2), tamen cognitio *prout intellectualis* est ab universalibus exorditur. Ordo quo procedit hic est:

Primo supponendum est ut certum, intelligentiam hominis esse quamdam impressionem Veritatis Primæ, participatamque similitudinem Luminis increati, in quo continentur rerum omnium rationes æternæ; per hanc participationem ac similitudinem Lucis Increate, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, accipit mens ac naturaliter habet quædam generalia ac incommutabilia principia, quæ S. Thomas vocat *conceptiones animi communes, et prima intelligibilia*, atque ex istis ac per istas, veluti per quasdam normas seu incommutabilem mensuram

(1) Cons. Tong. L. c.

(2) S. Thom. *sum. th.* 1. P. Q. 85, à 3.

judicat de cæteris omnibus veritatibus. Ipsa participatio Increati Luminis in mente hominis est *lumen rationis*. Jam

2.° Potest intellectus cognoscere seu intelligere omnia intelligibilia; humanus tamen intellectus non est semper in actu erga suum objectum, ut experientiâ patet, sed ex se est in potentia, indigetque ut à potentia ad actum transeat. Jam vero, ut observat S. Thomas (1), quidquid transit de potentia ad actum, prius pervenit ad actum incompletum, qui est medius inter potentiam et actum, quam ad actum completum et perfectum. Actus autem intellectus est cognitio. Ergo intellectus noster prius acquirit de rebus imperfectam cognitionem atque ex illa gradatim ad perfectiorem procedit. Quare communis sententia est, experientiâ ac intellectus naturâ fundata, primas conceptiones ac cognitiones maxime universales et indeterminatas esse omnibusque rebus communes, ut sunt *ens, unum, multitudo, res quædam*; qui primo igitur aliquid cognoscit, cognitionem obscuram prius quam claram, confusam prius quam distinctam, incompletam ante quam completam acquirit; deinde vero per experientiam, comparisonem et abstractionem ac præcisionem ad ultima elementa et rerum essentialia constitutiva cognoscenda ac introspicienda devenit, atque ideo additione notarum, quas successive cognoscit, contrahit illam universalitatem et cognitionem rerum distinctam ac perfectam assequitur. Illa prima cognitio directa est ac spontanea, hæc altera reflexa atque scientifica. Hinc idea *entis* est prima, quæ in evolutione mentis nostræ, affulget.

3.° Facta ac res singulares cognitione intellectivâ attingit intellectus per reflexionem ontologicam ac comparisonem (Log. 43—2.°—5.°). Etenim sensus externi *mediate* et phantasia *immediate* intellectui offerunt hujusmodi ob-

(1) Sum. Th. 1. P. Q. 85. a 3.

jecta, de quorum notis toti speciei communibus conceptus format per proprias earum species; hos autem omnes actus intimo sensu anima experitur ut suos, ac reflexo in se intelligentiæ obtutu cognoscit objectorum, quorum repræsentationes sunt, notas individuantes, formam, figuram etc., quarum species intellectus recipit, utpote quæ ex se quid universale sunt; atque deinde illos conceptus speciei communes cum conceptibus notarum comparans unam rem ab alia, unumque factum ab altero distinguit per collationem proprietatum ac accidentium, quæ illa objecta individua ac singularia efficiunt; atque ita cognitionem scientificam de rebus et factis singularibus intellectus acquirit, multiplici tamen ratiocinio.

4.° Hinc etiam patet quomodo anima seipsam intelligat. Primo anima, ut alibi probavimus, sui ipsius perennem sensum habet, ac proinde sentit se sentire et internorum factorum præsentiam et externorum impressiones, atque sentit se percipere sensu objecta externa, dein vero intellectu cognoscere. Dum hos actus exercet, intimo sensu omnes experitur ut suos; sed adhuc in hunc sensum intelligentia non reflectitur, saltem reflexione perfecta. Post aliquantum tempus, cum intelligentia satis se explicuit, anima in facta interna intelligentiæ obtutum convertit, intelligitque se sentientem, se intelligentem, se appetentem, se unam eandemque esse, quæ illos omnes actus exerit, ac ita notionem illam *ego* format, de quo hæc omnia attributa ac proprietates affirmat. Anima igitur non intelligit se immediate ac per se ipsam, sed per actus suos.

Hæc conclusio roboratur maxime ex eo quod, si anima se ipsam immediate cognosceret, omnes intelligerent: quid est anima; at idea, quam omnes de anima in mente gerunt, similis prorsus est notionibus rerum externarum, quas ex effectibus cognoscimus, de ipsa enim habemus ideam, quod ipsa sit: *principium vitalium operationum; subjectum variarum affectionum; substantia simplex, quæ*

sentit in corpore ac cum corpore, quæ intelligit, appetit ac eligit; ergo etc. (1).

Nota. 1. Nullius suarum proprietatum seu attributorum anima cognitionem habet *á priori*, nisi libertatis. Anima enim non cognoscit se esse intelligentem prius quam intelligat; nec noscit se esse sentientem antequam sentiat; sed perfecte cognoscit se esse liberam, antequam libertate utatur.

2. In conscientiæ igitur intellectivo actu dualitatem necessario inveniri oportet, *subjecti et objecti*. Nam hoc ipso quod animus in intellectûs sui objectum seipsum assumit, *me* perceptum *á me* percipiente distinguit; quæ distinctio in sensu intimo non fit.

124. De Dei naturali et scientifica cognitione, seu quomodo et unde intellectus noster Deum intelligat, alibi disputabimus, interim videsis Ontolog., *Disp.* 11.^a n. 146. seq.

5.^o Rationes rerum immateriales mens nostra alias cognoscit immediate per proprias earum species, utpote quas naturaliter impressas habet, ut sunt primariæ illæ veritates æternæ et incommutabiles, quibus continentur et exprimuntur relationes essentielles rerum tam in ordine speculativo, quam in practico sive morali. Alias vero immediate abstrahit *á* sensibus, ut sunt conceptus communissimi *entis, unius, multitudinis, boni et mali*, saltem physici. Deinde vero perceptione comparativa notiones accipit *relationum, ordinis, pulchritudinis*, aliasque cum his connexas.

Inter has ideas, quas intellectus immediate abstrahit, quædam sunt, quas illi reflexio solum in internos actus supeditare potest. Ex his v. gr. ideam *simplicis et durationis* seu permanentiæ inter successiones proprii *ego*; itemque ex reflexione in proprias cognitiones, in propriam

(1) Cons. Salv. Tong., *Psychol. lib. 3. c. 2.*

activitatem ac in prima principia, ideas *veri, causæ, necessitatis* educit.

Mediate vero ex rerum eventuumque collatione ideas *contingentiæ et possibilitatis, subsistentiæ et accidentis, spatii ac temporis*, aliasque hujusmodi colligit (1). Denique *ex participatione legis æternæ*, quæ est summa ratio, æternaque et incommutabilis rerum omnium mensura ac gubernatio, quæ jubet conservari ac vetat perturbari ordinem naturalem (2), ex hujus, inquam, æterni luminis participatione ac impressione in mentibus nostris, ex qua et per quam nobis immediate nota sunt prima moralitatis principia; *ex innato felicitatis desiderio*; facti enim sumus ad summum bonum, et inquietum est cor nostrum donec in eo requiescat (3); ex idea *ordinis*, et per varias apprehensiones comparativas ideas morales *honesti et inhonesti, juris et officii, meriti ac demeriti, virtutis et vitii*, tam generatim, quam speciatim acquirimus; ac dijudicamus deinde de bonitate aut malitiâ factorum singularium.

Ex his patet, cunctas humani intellectûs ideas, seu repræsentationes rerum intelligendarum á sensibus vel proxime vel remote originem ducere, ut infra declarabitur.

125. Verumtamen ut intellectus proprium objectum attingat ac actum intelligendi eliciat, cum ex se non sit semper in actu circa suum objectum, sed in potentia, atque ex se etiam indifferens sit ad varia intelligibilia intelligenda, necessario requiritur *quid aliquid*, quod eum determinet ad actum, et á quo ad determinatum objectum intelligendum moveatur. Jam vero, *id* sunt (ut Scholasticorum sermone utur) *species intelligibiles*, quæ nihil aliud videntur esse, quam ipsamet rerum intelligendarum

(1) Salv. Tong. l. c.

(2) Cons. S. P. Aug., *De libero arb.*, lib. 1. c. 6. et *Cont. Faustum*, lib. 22. c. 27.

(3) S. P. Aug. *Confss.*, lib. 1. c. 1. n. 1.

essentia seu intelligibilitas exuta et spoliata à conditionibus materialibus per abstractionem et illuminationem intellectûs, quæque ita affulgens menti intellectum determinat ad eliciendum actum, seu intellectivam operationem; per hanc intellectivam operationem in et super illam speciem intelligibilem format intellectus in se ipso quamdam intentionem rei intellectæ, quæ dicitur *terminus intellectiois, species expressa objecti, mentis conceptio, verbum*, ac etiam *idea*, per hunc verbum, ideam etc. exprimitur in intellectu objectum, quod intelligit, in ipsoque incipit existere modo spirituali tam vero, quam ineffabili. Species intelligibilis et hæc altera species expressa objecti, idea seu verbum infinitè inter se distant; illa est id quo intellectus ad intelligendum movetur, est quasi quoddam objecti semen in intellectiva potentia insertum, quo ipsa idonea fit ad objecti ideam, verbum etc. generandum; hæc altera vero est ipsa intellectio (videsis supra n. 111 et 112).

126. Nonnulli negarunt necessitatem specierum intelligibilium seu intellectualis abstractionis et illuminationis, ut medium necessarium ad explicandum actum intellectiois (1), credentes, rerum phantasmata sufficere, quippe quæ vices illarum specierum erga intellectum gerant; immerito tamen ac verbis decepti.

Nam cognitio intellectualis supponit necessario objectum intellectum, nisi velimus dicere, intellectum dum aliquid intelligit nihil intelligere, quod et plane absurdum est, et purum intellectûs *nihilismum*. Jam vero ut intellectus intelligat illud objectum ab ipsomet distinctum, necesse est, ut cum illo jungatur, et aliquo modo uniatur; nam nullum agens agere potest ibi, ubi non est. Atqui intellectio est actio vitalis, intrinseca et immanens in subjecto intelli-

(1) Ockam ejusque schola, sæc. XIV.; Thom. Reid; Antonius Rosminius; Gallupius alique, inter quos etiam præcl. Balmesius noster.

genti, ut omnes norunt ac fatentur; ergo necesse est, ut objectum intelligendum ad subjectum intelligens ingrediat, ipsique jungatur secundum essentiam suam; sed hæc ingredi ac uniri cum intellectu atque ipsum ad intellectionem determinare non potest secundum suam realem naturam, quia tunc unum cum intellectu fieret, ac omnis tolleretur utriusque distinctio ipseque intellectionis terminus evanesceret; ergo necesse est ut jungatur ac uniat, essentia intelligibilis cum intellectu secundum sui imaginem spiritualem seu speciem intelligibilem abstractam et illuminatam ab ipso intellectûs lumine; ergo etc.

Præterea, ut jam indicavimus, intellectus ex se et ex natura sua indifferens est et aptus ad omnia intelligibilia, quæ ejus non exuperant capacitatem, intelligenda; ergo ut determinatum objectum intelligat ipsumque in se ipso idealiter exprimat, necesse est, ut ab actione essentiæ objecti, quod intelligit, determinetur, quippe quod hujus essentia est, quam in se ipso intellectus exprimit; sed hujusmodi essentia secundum suam naturam in re intelligenda remanet ab intellectu distincta ac separata; ergo nullo modo potest cum intellectu conjungi ipsumque determinare ad ipsammet intelligendam in ipsometque exprimendam, nisi secundum sui intelligibilem speciem, seu per abstractionem et illuminationem intellectualem; ergo etc.

127. Harum specièrum vices nullatenus gerere possunt phantasmata ob easdem adductas rationes. Nam phantasma est in potentia organica et ejus objectum est materiale et singulare; intellectus vero est potentia inorganica et ejus objectum immateriale necessario est et universale. Atqui fieri non potest, ut idem objectum in diversis potentiis atque sub oppositis rationibus, ut sunt singulare et universale, materiale et immateriale, per species ejusdem generis, seu per easdem species cognoscatur; quia inter medium, quo facultas objectum suum apprehendit, atque objectum ipsum proportio sit oportet. Ergo fieri non potest,

ut intellectus per phantasma, cujus objectum singulare est et materiale atque in distincta potentia, objecti essentiam universalem ac immaterialem in se recipiat, apprehendat intelligatque (1).

128. Si intellectus noster esset fundamentum, radix ac virtuale exemplar omnium intelligibilium essentialiterque à se ipso intelligibilis et intellectus, non indigeret utique hujusmodi speciebus intelligibilibus, ut *medium quo intelligibilia intelligit*, at talis perfectio infinita est ac solummodo Dei propria; solummodo enim Intellectus Divinus et se et quæcumque extra se sunt, in Divina Essentia intelligit ac immediate contuetur.

(1) Hujusmodi specierum intelligibilium necessitatem tuiti sunt omnes philosophi, qui et pantheismum et intellectûs *nihilismum* vitari conati sunt. S. Thomas, principesque Scholæ Doctores post Aristotelem (*De Anima*, lib. 3 c. 6. n. 3 et 4., et c. 7. n. 3.), in ea sententia fuisse; actum intelligendi sine speciebus intelligibilibus seu rerum intelligendarum ideis intelligibilibus, repræsentationibus etc. explicare non posse. Horum hanc esse sententiam nemo dubitat. At quoniam Ontologi non minori incitia, quam mala fide specierum necessitatem oppugnantes S. P. Augustini auctoritate gloriantur, ex pluribus, quæ adduci possunt, apposita verba exscribimus. «In hac igitur distributione cum incipimus à specie corporis, et pervenimus usque ad *speciem*, quæ fit in contuitu cogitantis, quatuor species reperiuntur quasi gradatim natæ altera ex altera, secunda de prima, tertia de secunda, quarta de tertia. A specie quippe corporis quod cernitur, exoritur *ea* quæ fit in sensu cernentis, et ab hac *ea* quæ fit in memoria, et ab hac *ea* quæ fit in acie cogitantis.... *De Trinit.* lib. XI. c. 9. n. 16. «Habemus enim alium interioris hominis sensum isto (corporali) longe præstantiorem, quo justa et injusta sentimus, justa per intelligibilem *speciem*, injusta per ejus privationem..... *De Civ. Dei*, lib. XI. c. 27. n. 2. ad fin. «Sic *species* intelligibiles mens quidem nostra intelligendo conspiciunt; sed ubi deficiunt, nesciendo condiscunt.... *ibidem*, c. 7. ad fin.» Eadem habet in *Epist. de videndo Deo*, c. 9. et alibi passim. Quantum tanti Doctoris auctoritate abutuntur, qui ne unquam eum legerunt!!

Multum protraxi hanc Disputationem, charissimi, sequentem tamen, ne vestram gratiam amittam, in duas distribuemus, agendo in earum altera de appetitu in genere ac de appetitu sensitivo, in altera vero de appetitu rationali seu voluntate ac libertate, in utraque erimus breves.

DISPUTATIO 11.^a—DE APPETENDI FACULTATE IN GENERE
AC DE APPETITU SENSITIVO, EJUSQUE ACTIBUS.

129. Omnes res conditæ, præter illum nobilissimum finem, qui est participare suo modulo ac manifestare Dei infinitas perfectiones (Ont. n. 144 seqs.), peculiare alios propriosque fines unaquæque accepit, hi sunt in genere perfectio earum naturæ debita; hinc sapientissimus naturæ Auctor Deus ipsis indidit quamdam nativam et eneluctabilem necessitatem ac tendentiam ad ipsum assequendum per mediâ consentanea aptissimaque. Naturâ suâ itaque res ita comparatæ sunt, ut, si perfectionem sibi consentaneam ac debitam assecutæ sint, in ea quiescant; sin vero ea careant, quasi irrequatâ agitatione ipsam assequi nitantur; perfectionem insuper semel assecutam ita conservare nituntur, ut, si illâ spolientur, tabescant et angantur ac motu quodam insurgunt in causam spoliationis injustæ, et quia quidquid perfectionem consentaneam rei affert, rei bonum est, hinc omnes res *in* seu *ad bonum petunt*, unde adpetitûs seu *appetitûs* nomen derivatur. Hoc, quod diximus, nulla indiget probatione, quotidianâ enim experientiâ *nimis* compertum nobis est (1).

(1) Quamvis inclinare ad aliquid assequendum, in ejusque assecutione quodammodo quiescere ad idem principium reducatur, «ejusdem enim rationis est, ait S. Thomas (*QQ. Disp., de vero, q. 21. a. 2.*) »tendere in finem et in fine quodammodo quiescere, sicut per eandem »naturam lapis movetur ad medium et quiescit in medio» tamen inclinatio, seu propensio rei ad illud, quod nondum habet, assequendum, ea est, quæ speciali nomine *appetitus* nuncupatur.

130. Jam vero appetitus in genere ita á S. Thoma definitur: *Inclinatio rei et ordo ad aliquam rem sibi convenientem*, id est, ad bonum vel perfectionem propriæ naturæ consentaneam.

Appetitus, etsi impropriè, solet distingui in *simpliciter naturalem* et in *elicitedum*.

Appetitus *simpliciter naturalis* est inclinatio ac propensio rebus cognitione carentibus insitæ, quibus ad naturalem suam perfectionem tendunt; etenim res quælibet aliquem naturalem finem habet, et hic est ejus bonum, quod quamvis ipsa non cognoscat, cognoscit Deus, naturæ auctor, qui eandem in bonum illud tamquam in proprium finem ordinat. Sed tamen cum neque suum hunc finem res cognoscant, neque ad eum assequendum seipsas determinant, sed ab externo impulsu, ab alterius actione ad eum determinantur ac trahantur, earum in finem inclinatio nec spontanea, nec proprie, sed abusive appetitus dici potest. Hic naturalis appetitus non est in anima aliqua specialis potentia, ut patet, sed omnes sive vegetativas sive sensitivas, sive intellectuales potentias complectitur, prout hæ sunt quædam res naturales, quæ naturalem inclinationem ac propensionem habent ad exercitium actionum sibi propriarum.

131. *Appetitus elicitedus*, qui proprie appetitûs nomine designatur, et de quo loquimur, est: *Facultas vitalis, seu animæ vis, quâ tendit ac prosequitur bonum apprehensum* (1).

Dicitur *facultas* seu *vis* animæ; etenim cum animæ facultates seu potentiæ distinguantur per adæquata objecta

(1) Vix necesse est, ut dicamus, appetendi potentiam ex parte passivam esse, ex parte vero activam: est passiva ea parte, quâ movetur ab objecto ad agendum; est activa quia semel mota agit objectumque prosequitur, atque iterum passiva, quia actionem suam in semetipsa recipit.

et operationes, planum est, appetendi vim et esse animæ facultatem et esse ab aliis distinctam, cum objectum habeat distinctum ac distinctas propriasque operationes.

Dicitur facultas *animæ*; etenim solummodo entia illa quæ principio cognoscitivo seu perceptivo objectorum pol-
lent, moveri possunt motu intentionali intrinseco in seu ad hujusmodi objecta existentia per sui speciem in eorum apprehensione.

Dicitur *quâ tendit in bonum*, et per hoc á facultatibus apprehensivis distinguitur; etenim apprehensiva facultas objectum ad se trahit, illique novum quemdam existendi modum tribuit in seipsa; appetitiva vero seipsam trahit ad objectum, et quasi extra se egrediens objecto, in se existenti per apprehensivam, se coaptat, atque ideo ab ipso perficitur vel deturpatur ac contaminatur, prout honestum vel inhonestum est; unde illud: *bonos vel malos mores non faciunt, nisi boni vel mali amores*; apprehensiva quieti, appetitiva motui assimilatur, unde etiam vocatur facultas *expansiva* (1).

132. Quoniam vero facultas expansiva apprehensivis respondet ab ipsisque in suis operationibus dependet, planum est, in homine pro duplici apprehensiva facultate sensitiva, scilicet, et rationali, duplicem appetitum esse, *sensitivum* videlicet, seu *inferiorem*, qui etiam *instinctus naturæ*, prout inclinatur ad explendas necessitates organicas, appellatur; et *voluntatem*, seu appetitum *superiorem*, qui etiam specificè *desiderium*, prout tendit ad psychologicas explendas necessitates, vocatur.

Est quoddam momentum, quo appetitûs motus et operationes initiantur, hi motus et operationes pullulant, ut ita dicam, ab ipsa natura, cui competit inchoare omnes

(1) «Cognoscere et amare absque dubio sunt actus differentes,» ait S. Banav. *In lib. 2. sent. Dist. 24, p. 1. a. 2. q. 1. Cons. S. Thom. 1.º 2.º P. q. 22. á. 2.*

hujusmodi actus. Jam vero hæc intrinseca activitas, hoc principium operationum et motuum, qui nullo modo sunt sub nostra potestate, vocatur *spontaneitas*, et illi primi motus, qui ab intrinseco proveniunt, *spontanei*. Nunc jam

123. Dico I. *Appetitûs sive sensitivi, sive rationalis objectum est aliquod bonum apprehensum.*

Prob. 1.° Nulla naturalis inclinatio ac propensio potest habere nihilum ut terminum *ut ad quod*; etenim nihilum neque per se apprehendi potest, neque ut finis intendi a natura; quia tunc natura sibi adversaretur, et tenderet in sui destructionem et annihilationem, quod est impossibile; ergo aliquod ens erit terminus in quem natura tendit; atqui omne ens est bonum; ergo bonum est objectum appetendi facultatis (1).

2.° Præterea, finis propter quem natura appetitivam vim quibusdam entibus attribuit, est eorum perfectio: natura enim non potest intendere, ut entia per appetitum evaderent imperfectiora, quia se ipsam destrueret. Ergo necesse est, appetitum ferri in ea solum, quæ aliquo modo subjecto convenientia sunt; quæ autem subjecto utcumque convenientia sunt, bona sunt. Ergo etc.

134. *Obj.* Sunt aliqui, qui aliquando appetunt malum jam sibi, jam alteri, ut est mors, peccatum etc.; ergo non semper appetitûs objectum est bonum.

R. Dist. ant. Et illi hæc appetunt sub ratione boni, quod in talibus apprehendunt, *conc.*; et appetunt illa mala ut mala, *nego.*

Jam scitis esse bonum verum, et bonum apparens. Bonum verum est, quod ens perficit relate ad suum finem;

(1) Si aliquis dicit: *appeto, cupio*; quæram: *quid?* si respondet: *nihil*; dico: ergo nihil appetis; ergo vel mentiris, vel aliquid appetas necesse est; atqui quidquid rationem *aliquid* habet, habet esse, omne autem esse est bonum; ergo appetis bonum.

apparens est, quod deordinatæ entis tendentiæ satisfacit eum á fine retrahendo. Itaque accidit sæpenumero quædam appeti et vehementer quatenus explent necessitates organicas veras vel fictas, et hæc in hoc ordine bona sunt ac ut bona apprehenduntur, quæ tamen in alio ordine mala sunt, vel quia non subordinantur tendentiæ principi, quæ ad finem adducit, vel quia sunt causa aliorum malorum; hinc illa pugna intestina inter appetitum rationale, qui ad justa et honesta inclinatur, et appetitum sensitivum, qui ad sensuales illecebras sollicitatur; sed unus et alter semper inclinatur ad aliquod bonum in suo ordine apprehensum. Atque ille ipse, qui sibi manus violentas infert et appetit non esse, hoc ipsum appetit sub ratione boni. Cum enim felicitas sita sit in carentia mali et in boni possessione, quando bonum adipisci desperat, existimatque malo se carere non posse quoad vixerit, hanc saltem beatitudinis partem arripit, ut vitam deserat et á malo se liberet, ne tunc apprehendit, ne cogitat de malo æterno, cui se tradit, multoque minus comparat cum malo præsentis, á quo se liberare unice intendit.

Quapropter sicut bonum in genere necessario appetitur:

135. Dico II. *Malum qua tale, seu sub ratione mali nulla natura appetere potest, bene tamen potest appeti indirecte sive per accidens.*

Prima pars, quæ ex dictis jam sequitur, facile confirmatur.

Etenim «malum, ut S. P. ait (1), nulla natura est, sed »amissio boni mali nomen accepit;» quapropter, si malum sub ratione mali appeti posset, nihil esse objectum appetitûs dicendum foret, ac proinde nihil esset, quod moveret potentiam passivam, ut est appetitus, et esse ejus objectum; hoc autem absurdum est; ergo etc.

Prob. 2.^a pars. Malum appeti potest indirecte sive per

(1) *De Civ. Dei, lib. 11. c. 9., in fine.*

accidens, nempe, ut S. Thomas ait (1), quatenus bonum, cum quo conjungitur malum, magis appetitur, quam bonum, quod privatur per malum, et in quantum consequitur bonum, quod appetitur. Leo enim accidens cervum intendit cibum, cui conjungitur occisio animalis; et similiter qui inhonestis indulget, intendit delectationem, cui conjungitur deformitas culpæ; vicissim qui corpus mortificat et in servitutem redigit, non hos cruciatus directe intendit, sed indirecte, quatenus conducunt ad justitiam, quam directè intendit; ergo etc.

136. Quoniam contrariorum eadem est ratio, seu ad idem principium referuntur ac reducuntur, natura eo ipso quod bonum appetit et ad ipsum inclinatur, suum oppositum, malum fugit, aversatur, ab ipsoque declinat, et hoc duplici modo. Uno modo *privative*, quia non habet aliquam affectionem seu propensionem ad malum. Alio modo *contrarie*, quia respuit, et contraria affectione ac propensione afficitur ac inclinatur contra malum. Hæc á malo declinatio et illius rejectatio appetentis facultatis ab Aristotele et deinceps *fuga*, á Stoicis *aversio* seu *aversatio* nominata fuit.

137. Jam ex dictis patet, quod sit utriusque appetentis facultatis objectum; objectum quidem *appetitûs sensitivi* est *per se* bonum illud á sensu vel externo vel interno repræsentatum et ab imaginatione apprehensum, quod est voluptas organica, vel aliquid quod illam affert, quæque oritur ex expletione alicujus naturalis *exigentiae*; hujus contrarium est objectum fugæ.

(1) Sum. th., l. p. q. 19. á. 9.; et l.^a 2.^a, q. 23., á. 2. docet, malum non posse esse *terminum ut ad quem*, sed solummodo *terminum ut á quo*, quia nihil appetit malum in quantum hujusmodi, sed omnia fugiunt ipsum; bonum é contrario non posse esse *terminum ut á quo*, sed *terminum ut ad quem*, quia nihil refugit bonum, in quantum bonum, sed omnia appetunt ipsum.

Appetitûs autem *intellectivi* objectum est bonum, prouti ab intellectu apprehenditur. Intellectus vero non hanc vel illam tantummodo boni speciem, sed plura bona diversorum ordinum, atque ipsam rationem boni in genere agnoscit. Unde objectum adæquatum *intellectivi* appetitûs est omne id, in quo boni ratio utcumque deprehendi potest, ideoque omne bonum; atque ejus *fugæ* seu aversionis objectum est illius contrarium, id nempe, quod cujuscumque boni privatio est. Nunc jam agendum est

DE APPETITU SENSITIVO, DE EJUS QUASI

PARTIBUS ET ACTIBUS.

138. Sæpenumero, sive ex internis causis, sive ex impressione quorundam externorum objectorum, gignitur in nostris organis intestina quædam molestia et inquietudo, seu etiam dolor, et animus ipse angitur et tabescit. Cum hæc experimur, experimur etiam quosdam naturæ necessarios impulsus, seu stimulos, qui impellunt ad quærendum remedium, et sponte appetimus ea, quæ nos ab eo statu et irrequeata agitatione eximere possunt, atque aversamur quæ illum statum producent, vel promovent. Ille molestus status appellari potest *instinctus conservationis*, *necessitas naturæ*, et etiam *naturales exigentiæ*.

Cum ex assecutione aut remotione objectorum, quæ illius statûs causa erant, satisfacimus naturæ necessitati, eamque explemus, *frui* dicimur, et succedit alius status naturali indigentia apprimè conformis, qui *delectamentum* vocatur, et ejus sensus *voluptas*.

139. Jam vero hi stimuli ac motus, quibus trahimur ad quædam fruenda, et alia declinanda sensibus apprehensa, ad animalis vitæ tam individui, quam speciei necessitates curandas, sunt actus appetitûs sensitivi. Itaque appetitus sensitivus definiri potest: *Vis seu facultas sensitiva et expansiva, quâ bonum imaginatione apprehensum pro-*

sequimur et malum aversamur, cum quadam organica commotione.

Dicitur primo: *vis seu facultas*; quia operationes et stumo appetitûs necessario supponunt aliquam facultatem, quæ illos eliciat.

Dicitur secundo: *sensitiva et expansiva*; et hoc propter tria: 1. quia subjectum appetitûs ex compositum ex anima et corpore, etsi radix sit sola anima: 2. ut secernatur á facultatibus cognoscendi, quas præsupponit quidem hæc facultas, sed ipsis non constituitur: 3. dicitur *expansiva*, quia sicut facultas apprehensiva objectum ad se trahit, appetitiva ad objectum quodammodo se expandit ipsique coaptatur.

Dicitur tertio: *quâ bonum imaginatione apprehensum*; quo assignatur motivum seu causa determinans motus appetitûs; dicitur *imaginatione*, non ut excludantur alii sensus, sed quia imaginatio intimius ac vividius objectum repræsentat, ac per consequens vehementiores illos efficit; dicitur etiam *apprehensum* imaginatione, nam bonum vel malum sunt objectum appetitûs sensitivi, non ut ab intellectu, sed ut á facultatibus sensitivis apprehenditur, ad distinctionem appetitûs rationalis.

Dicitur denique: *cum quadam organica commotione*; quia cum subjectum hujusmodi facultatis sit compositum ex anima et corpore, ejus actus cum mutatione magis vel minus sensibili exeruntur ac manifestantur; atque in hoc etiam difert appetitus sensibilis á rationali seu voluntate, cujus actus ex se nullam sensibilem mutationem involvunt, atque possunt sine ea existere.

Nota. Explicavimus et definivimus appetitum sensitivum in se consideratum et prout communis est homini et bruto; attamen notandum sedulo est, appetitum sensitivum in homine ad plurima se porrigere, quam ea, quæ per facultates sensitivas apprehenduntur «propter intensionem appetitûs superioris partis, ex quo fit redundantia in infe-

riorem appetitum,» ut loquitur S. Thomas (1); ex iis alia revocantur ad bona sensibilia, ut sunt deliciæ, commoditates, oblectamenta, divitiæ; alia sunt intelligibilia, ut honor, scientia, Deus ipse, in quem suo modo appetitus sensitivus tendere quoque potest.

140. Nunc jam agendum est breviter de specialibus actibus appetitûs sensitivi *prout in homine* reperiuntur; nam si verum est, hos actus, prout naturæ proles sunt, in homine et bruto convenire quoad substantiam, verum etiam est in pluribus differre.

Jam vero appetitûs sensitivi motus Græci *passiones*, Latini *affectiones* vel *affectus*, atque Stoici *perturbationes* vocabant (2), quocumque ex his nominibus designari possunt. Passionis nomen de græco translatum significat rigore: *motus animi contra rationem*; recentes communiter hoc sensu nomen passionis accipiunt, nempe prout includit recessum à regula morum et non motus tantum, sed eorum habitus.

141. Passiones itaque, prout hoc nomine significantur meri appetitûs naturalis actus, physice consideratæ bonæ sunt, ethice vero erunt bonæ vel malæ prouti ratione moderentur, vel non. Sunt physice bonæ; etenim ex se impellunt ad necessitates naturales satisfaciendas, et tum ad individui, tum ad speciei conservationem necessariæ; hoc autem est bonum; ergo hoc sensu sunt bonæ. Sunt etiam bonæ moraliter, si ratione moderentur; ob eandem rationem, et quia sine ipsis non moveremur ad actionem, quare S. P. Augustinus ait (3); «quia rectus est amor *justorum*, istas »omnes affectiones rectas habent.... Metuunt peccare, cupiunt perseverare, dolent in peccatis, gaudent in operibus

(1) *Sum. th. 1.^a 2.^æ P. Q. 30. á. 1. ad 1.*

(2) *Cons. S. P. Aug., De civit. Dei, lib. 8. c. 17.*

(3) *De civ. Dei, lib. 14. c. 9.; Cons. S. Thom., Sum. th. 1.^a 2.^æ, Q. 24. á 2.*

»bonis,» ideoque in quantum á ratione ordinantur pertinent ad virtutes. Si vero recta ratione non diriguntur, tunc, ob deordinationem introductam in naturam nostram ab originali peccato, non solum nos trahunt ad injusta, sed sunt causa omnium malorum.

142. In appetitu sensitivo duæ quasi partes solent distingui, quarum altera *concupiscibilis*, altera *irascibilis* appellari consuevit. Ad concupiscendi vim pertinet bonum prosequendum et malum fugiendum *secundum se et absolute spectatum*; ad vim autem irascendi pertinet etiam bonum vel malum non absolute spectatum, sed *sub ratione ardui*, quatenus nempe ejus assecutio vel remotio *difficultatibus impeditur*.

His veluti partibus peculiare actus assignantur. *Sex* passiones assignantur appetitui concupiscibili, videlicet: *amor et odium; desiderium et fuga; gaudium et dolor seu tristitia*; quinque irascibili, scilicet: *spes et desperatio; audacia et metus; ira*, quæ caret contrario nisi assignemus *dejectionem*. Omnes tamen continentur his quatuor, quas canit Virgilius (1): *Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque* (2). Brebiter illos explicabimus.

143. *De passionibus partis concupiscibilis.*

I.) *Amor* est veluti pondus urgens in bonum, unde tritum illud S. P., *amor meus pondus meum*. Amorem sentimus et experimur, definire tamen non possumus, po-

(1) Æneid, 6.; Cons. S. P. Aug. *De Civi.* lib. 14. c. 3.

(2) Animadvertendum est, has appetitûs passiones, seu motus et stimulos non solum experimur erga objecta, quæ nos tantum respiciunt, sed etiam erga objecta, quæ referuntur ad alteros, ita verum est, nos flere cum flentibus, et gaudere cum gaudentibus etiam naturali propensione, etsi aliquo modo hæc et ipsius appetentis bonum sunt. Itaque hi stimuli possunt etiam distingui in *egoisticos*, si respiciunt proprium commodum; et *sympathicos*, si respiciunt commodum aliorum.

test describi: *Cooptatio quædam appetitûs ad bonum et complacentia in illo*. Non confundendus est amor cum *dilectione, charitate et amicitia*, hæc omnia inter se quodammodo differunt (1).

Causæ amoris sunt: bonum, cognitio et similitudo (2).

Effectus sunt: unio, mutua inhæsió, extasis, zelus, læsió amantis, et universalis influxus in omnia, quæ ab ipso aguntur (3).

*Remedia inordinati amoris præcipua sunt: 1. ipsi ab initio resistere; 2.° avocare mentem et cogitationem ab objecto eliciente, cohibereque sensus, præsertim oculos et tactum; 3.° fugere otium; 4.° cibo et potu per se utere, carnemque mortificare; ponderare infinita mala, quæ ab amore inordinato veluti á radice proveniunt; 5.° ut præcipuum et efficax remedium amoris inordinati, qui est causa omnium malorum et iniquitatum, enixe est postulandus á Deo amor sanctus, qui est origo et causa nostræ temporalis et æternæ felicitatis; sæpe igitur repetendum est cum S. P. Augustino: *Da quod jubes, et jube quod vis, domine Deus meus. Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes et nunquam extingueris! Charitas Deus meus accende me* (4).*

II.) *Odium* é contra est veluti pondus retrahens á malo.

Odii objectum est malum, et hoc ex se attingit in communi.

Ejus *causa est amor*; etenim idem amor, qui facit, ut animus inclinetur ad bonum cognitum ac in illo complacat, facit, ut ea, quæ bono amato repugnant, repugnent quoque amanti, displiceant et ingrata sint, in quo sita est

(1) Con. S. Thom., *Sum. th.* l. 2.ª, Q. 26. á. 1.—2.—3.—4.

(2) S. Thom. *ib.* q. 27.

(3) *Id.* *ib.* q. 28.

(4) Confss. lib. x. c. 29.

ratio odii. Attamen amor communiter fortior est, quam odium.

— *Odii remedia* sunt: 1. perpendere ejus foeditatem et mala, quæ ex hac passione proveniunt: 2. meditari beneficia, quibus nos Deus affecit, cum essemus inimici ejus, et exemplum, quod nobis Christus Jesus præbuit, qui pro nobis Crucem pertulit et pro suis crucifixoribus exoravit (1).

— III.) *Desiderium* est quasi motus in bonum ex amore procedens, definiri potest: *Motus affectivus appetitus sensitivi, tendens in bonum absens, seu quo prosequimur possessionem boni.* Desiderium comprehendit etiam motus voluntatis, et ex hoc differt à *concupiscentia, cupiditate, et libidine*, quibus nominibus etiam vocari solet desiderium cum ad illecebras tendit; itaque sedulo distinguendum est hoc desiderium, ut est passio appetitus sensitivi, à desiderio rationali seu voluntatis. Possumus v. gr. aliquando desiderare sensibiliter quod rationali desiderio repugnamus.

Desiderii causa est amor cum indigentia.

Effectus sunt: 1.° *tædium* ex dilatione boni desiderati: 2.° *fastidium* eorum, quæ habentur: 3.° *importunitas* seu nimia sollicitudo rei desideratæ, *suspiria, ecstasis* etc.: 4.°, et est maxime proprium, *conatus* ille, quo in res speciatim prohibitas prorumpit juxta illud Ovidii: *Nititur in vetitum semper, cupimusque negata.*

Præcipua *remedia* immoderati desiderii sunt: 1 considerare illam sententiam: *omnia tempus habent*: 2 firmiter credere, quod qui multum desiderat tabescit animo et cum assecutus fuerit objectum sensibiliter desideratum nauseat et nova semper appetit (2).

— IV.) *Fuga* est quasi motus procedens ex illo odii pondere retrahente à malo; definiri potest: *Motus à malo*

(1) Cons. S. Th. 1.^a 2.^a, q. 29.

(2) S. Thom. ib. q. 30.

absenti, seu quo á malo recedimus; vocari etiam solet *abominatio*.

V.) *Gaudium*, seu *delectatio* est *quies in bono* possesso (1). Etiam vocari solet *voluptas*, *lætitia*, *exultatio* et *jocunditas*; attamen hæc inter se nonnihil differunt. *Delectatio* utrique appetitui convenit, *gaudium* vero soli rationali. *Voluptas*, etsi dicta á volendo, ad delectationes corporales restringi solet. Cætera ab effectibus imponuntur. *Lætitia* á cordis dilatatione ac si diceretur *lætitia*: *exultatio* ab exterioribus signis interioris delectationis, in quantum, scilicet, gaudium interius ad exteriora prosilit: *jocunditas* á joci et aliis speciebus lætitiæ signis et effectibus.

Igitur *Delectatio* propria passio appetitûs sensitivi definiri potest: *Affectus suavis causatus ex apprehensione boni possessi sensibili*. Est etiam delectatio spiritualis, quæ habetur in contemplatione veritatis et præsertim in possessione justitiæ, hæc est perfectior, purior et major, etsi quoad nos corporales delectationes sint vehementiores.

Delectationis causæ præcipuæ sunt: 1. *operatio*; nam omnis delectatio ex operatione nascitur, nempe ex consecutione boni et cognitione hujus adeptionis. Deinde *alteratio*; natura enim nostra transmutabilis est, ideoque gaudet transmutatione ut re sibi connaturali. *Etiam spes futuri boni et memoria præteriti*; nam tum per spem, tum per memoriam bonum aliquo modo præsens fit, atque ideo in eo etiam hoc modo delectari possumus: 2. ipsa *tristitia* vel prout est in *memoria*, quatenus recordamur á tristibus et dolorosis evasisse, vel prout est in *actu*, quatenus per spem ei mederi sentimus, atque per apprehensionem boni amissi in eo magis delectamur: 3. *alteris benefacere*: 4. *similitudo*: 5. *admiratio*: 6. ipsa *ira*, quatenus spem facit vindictæ: 7. *amari*, *laudari*, *suscipi*,

(1) De hoc S. Thomas, 1.^a 2.^æ, qq. 31—32—33 et 34.

quatenus sunt signa boni existentis in nobis: 8 Demum *vincere, redarguere, aliosque*, quos inimicos sentimus, *increpare*, non ut alterius malum est, sed ut bonum proprium augment, aut significant.

Præcipui delectationis *effectus* sunt: 1 *dilatatio*, seu *latitudo* cordis proprie dicta, et animi metaphorice: 2 creare *sitim et desiderium sui*, et hoc non modo quando absens est delectatio, sed etiam quando incipit haberi. At postquam perfecte ad satietatem percipitur si sit *sensibilis* causat sui fastidium, et nauseat. Delectationes autem *spirituales*, quo plenius habentur, eo ardentius appetuntur, nunquam fastidiunt: 3. Delectatio sensibilis, si vehementior est, *impedit usum rationis* ratione distractionis, contrarietatis et transmutationis corporalis: 4 *perficit propriam operationem*, quatenus agens ad libentius, attentius, decentius efficaciusque agendum determinat.

Notare hic oportet, aliquas delectationes esse bonas, si tum ratione sunt regulatæ ac moderatæ, tum si sunt de objecto rectæ rationi conformi; alias vero erunt malæ; et etiam aliquas delectationes esse hominibus necessarias, quia eis indigent sicut medicinâ contra tristitiam (1).

Remedia autem contra illicitas delectationes hæc sunt: 1.º Sæpe á licitis abstinere: 2.º Diligenter cogitare et expendere turpitudinem, anxietatem, crudelem servitatem et alia incommoda tum hujus, cum futuræ vitæ, quæ secum afferunt illicitæ delectationes, *qui enim*, ut graphicè ait S. Petrus Chrysologus, *voluerit joculari cum diabolo*,

(1) Præclare S. P. Augustinus ait; «Delectant oculos spectacula ista magna naturæ, sed delectant etiam spectacula theatrorum: illa licita, hæc illicita. Psalmus sacer suaviter cantatus delectat auditum, » sed delectant etiam cantica histrionum: hoc illicite illud licite.... videtis ergo, charissimi, esse in istis corporis sensibus licitas et illicitas » delectationes. Qui enim á nullis refrænât licitis, vicinus est illicitis, » *De utilitate jejunii*, c. 5.

non poterit gaudere cum Christo. 3.^a Meditari frequenter verarum deliciarum sinceritatem et præstantiam, *si enim consideramus quæ et quanta sunt quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo quæ habentur in terris* (1); 4.^a Monitum S. P. Augustini præ oculis habendum est, qui loquens de mundi amatoribus, ait: «Gaudium ipsorum »quasi phreneticorum est. Quomodo autem phreneticus »gaudet insaniâ plerumque, et ridet; et plangit illum qui »sanus est: sic et nos, charissimi, si recepimus medicinam »de cœlo venientem; quia et nos omnes phrenetici eramus, »tamquam salvi facti, quia ea quæ diligebamus non diligi- »gimus, gemamus ad Deum de iis qui adhuc insaniunt (2).» «Et alibi: Quo itis in aspera? quo itis? Bonum, quod amatis, »ab illo est... (Deo) Non est requies ubi quæritis eam. Quæ- »rite quod quæritis, sed ibi non est, ubi quæritis. Quo vobis »adhuc et adhuc ambulare vias difficiles et laboriosas? »Beatam vitam quæritis in regione mortis, non est illic. »Quomodo enim beata vita, ubi nec vita?...» (3).

VI.) *Tristitia* est violenta quies in malo. Dolor et tristitia nonnihil differunt; dolor contrariatur delectationi, tristitia vero gaudio. Definiri potest tristitia: *Affectus anxius causatus ex apprehensione mali præsentis, seu quies repugnans et disconveniens in malo* (4). Tristitia causatur à contrariis eorum, quæ sunt causa delectationis, et generaliter ab omni malo conjuncto et apprehenso ut tali.

Præcipui tristitiæ effectus sunt: 1 *mentem arctare* ne aliis attendat: 2 *animum* seu appetitum *aggravare* ne ad magna surgat: 3 *quamcumque etiam piam operationem debilitare*: 4 præ cæteris passionibus *corpori vitæque nocere*.

(1) S. Greg. Mag., *Homil* 37, in *Evang.*

(2) *Tract.* 7. in *Joan.* n. 2.

(3) *Conffs.* Lib. 4. c. 12.

(4) *Agit de hac* S. Thom., 1.^a 2.^a q. 35..... 39.

Præcipua *remedia* sunt: 1.° infinitas Dei perfectiones, et Domini N. Jesu Christi dolores contemplari: 2.° Orare; *tristatur aliquis vestrum? oret* (1): 3.° quælibet licita delectatio, quæ suavitate sua velut balsamo animum demulcet: 4.° lacrymæ, gemitus, et alia exteriora tristitiæ signa, quibus animus quasi extra se effunditur, et ita exoneratur: 5.° veris amicis, si adsunt!!! tristitiæ causas aperire et eorum compassio, ex qua cognoscimus ab iis intense amari: signa enim amoris cum semper delectent, tum maxime dum affligimur, quia tum magis alienâ ope indigemus: 6.° contemplatio veritatis et lectura piorum librorum maxime SS. Scripturæ: 7.° demum quædam corporalia remedia, ut sunt *balnea, deambulatio* etc. (2).

Notandum est, quod sicut quædam delectationes non sunt malæ, ita non omnis tristitia est mala, sed aliqua honesta est et utilis dummodo non sit nimis magna; et communiter pejores sunt effectus delectationis sensibilis quam tristitiæ.

144. *De passionibus partis irascibilis.*

Cum boni futuri assecutio difficilis est, difficultates vel apprehenduntur ut superabiles, vel ut insuperabiles. Si primum, elevatur vis irascendi motu illo, quem *spem* appellamus; si secundum, *desperatione* deprimitur.

I.) Est igitur *spes*, quæ animum ad bonum in arduo situm erigit, et definiri potest: *Passio appetitûs sensitivi, quâ tendit in bonum futurum, arduum, adeptu tamen possibile.* Planum est, nos hîc non loqui nec de *spe*, ut est virtus theologica, nec ut est virtus moralis, quæ ad *prudentiam* reducitur.

(1) Jacob. 5.—13.

(2) Audieram (ait S. P. *Confess.* lib. 9. c. 12), *balnei nomen indictum, quod anxietatem pellat ex animo.* Et S. Ambr. in hymn, ait: *Somnus, qui mentes fessas allevat, luctusque solvit anxios.*

Spes differt á timore, qui non tendit in *bonum*; difert á gaudio, quod non est de *futuro*; á desiderio quod non est de *arduo*; et á desperatione, quæ non est de *possibili*.

Præcipuæ hujus spei *causæ* sunt: 1.º ea, quæ adaugent potestatem hominis, ut divitiæ, et fortitudo: 2.º *experientia*, quâ edocemur easdem vel similes difficultates superasse: 3.º etiam *inconsideratio*, et *inexperientia*, ob quas difficultates aut non reputantur, aut non advertuntur, ex hoc est quod juvenes solent esse bonæ spei: 4.º *propria existimatio*, quâ propriæ vires magni habentur, ac difficultates parvipenduntur, ex hoc *stulti* sunt etiam magnæ spei, at parvi frugis (1).

Spei *effectus* sunt: 1.º *delectatio*, quatenus per spem desiderati boni quamdam prælibationem degustamus: 2.º *amor personæ á qua bonum speramus*; etenim, etsi *spes* in quantum respicit bonum speratum causatur ex amore ejus, tamen in quantum respicit illud per quod fit nobis possibile bonum amatum, causat amorem ejus: 3.º *operationem perficere*, non solum delectatione, quam causat, sed etiam quia existimatio ardui excitat attentionem, quin obstet existimatio possibilis, hæc enim non minuit conatum.

Notandum est, spem ex se nullam malitiam involvere, dummodo prudentiâ reguletur.

II.) *Desperatio* est, quæ contrariatur spei, quatenus est recessus á bono illo, ad quem spes est accessus. Contingit enim bonum desideratum tot ac talibus difficultatibus circumseptum esse, ut animus succumbat, et ab ejus prosecutione recedat, hic affectus est *desperatio*, seu *Passio quâ appetitus recedit á bono arduo propter insuperabiles difficultates*.

Causæ, sicut *effectus* desperationis sunt fere contrarii effectibus et causis *spei*. Dico *fere*, nam nonnullæ causæ

(1) S. Thomas, 1.º 2.º, q. 40, á 5—6.

spei sunt etiam causæ desperationis, ut v. gr. inexperientia (1).

III.) *Audacia*. Cum malum futurum ita apprehenditur ut difficile quidem sit eum vitari, tamen possibile est, vel ad minus declinari, tunc insurgit appetitus in illud eo motu quem dicimus *audaciam*; cum vero malum futurum inevitabile æstimatur, tunc appetitus *timore* oprimitur, et desistit á malo impugnando. Audacia igitur definiri poterit: *Passio, seu motus determinatus ab spe, quo animus insurgit in malum imminens et vere grave ad ipsum fugandum et superandum*. Vocatur etiam *animositas*, et melius vocaretur *audentia*, si prudentiâ regulatur. Diximus *determinatus ab spe*, nam causa, quæ determinat appetitum irascibilem ad insurgendum in malum, est spes, quam apprehendit, illud superandi aut fugandi. Diximus *imminens*; nam si malum est nimis remotum, potest esse spes, quod non superveniat. Diximus *vere grave*, nam mala levia contemptum potius, quam audaciam inducunt.

Causa audaciæ præcipua est *spes*, ut diximus, hinc Aristoteles ait (2): qui sunt bonæ spei sunt audaces (3), ut juvenes, ebrii, stulti: 2.º omnia ea, quæ spem fovent et augent: 3.º animi tranquillitas et securitas: 4.º et præcipue innitere ac confidere in Divina Providentia, nam omnia et singula á Deo gubernantur et non est consilium contra Eum; unde bonum est (id est, absolute melius) sperare in Domino, quam sperare in Principibus.

Notandum est, quod legitima audacia facit viros *fortes* et *magnanimos*, qui recto rationis iudicio aggrediuntur

(1) De his S. Thomas, 1.^a 2.^æ, Q. 40.

(2) III. Ethic. c. 8.

(3) Vox *audax*, *audaces*, solet communiter malo sensu accipi et significat superbum, temerarium, cæcum seu obcæcatum præ nimia sui propria æstimatione absque fundamento.

pericula, sicut ejus contrarium, seu timor nimius facit *pusillanimes* et *imbelles*.

IV.) *Timor*, qui etiam metus aut terror vocatur. Dum malum imminens est in apprehensione, fit quædam lucta inter appetitum et malum; nam appetitus nititur fugare malum, et malum natum est vincere appetitum. Si ergo in hoc veluti conflictu animal sentiat vires suas esse minores viribus mali, ideoque insufficientes ad illud vincendum, succumbit appetitus et *timore* contremiscit.

Timor et *desperatio* differunt in eo, quod timor respicit malum *contingenter* imminens et ut est animalis malum; desperatio vero malum *certo* imminens et prout nulla affulget spes evadendi.

Jam *timor* definiri poterit: *Passio quâ appetitus succumbit ingruenti malo terribili ac via inevitabili*, seu: *Dejectio animi victi à gravitate periculi*.

Timoris præcipuæ causæ sunt: 1.° amor boni, cujus privatio est malum imminens: 2.° defectus ex parte appetitûs et appetentis, qui non sentit in se satis virium ad malum expugnandum.

Præcipui effectus sunt: 1.° *contractio*, tum *metaphorica* appetitûs victi à malo in se ipso sese colligentis, tum *propria* corporis, in quo calor et spiritus ad interiora recedunt. Illa prima contractio locum habet in animo, cum timet, non tantum malum destruentem naturam, quantum mali *turpitudinem ac deformitatem*, et sic animo in se contracto spiritus animales, sanguis et calor turbulente ascendunt ad superiora præsertim ad oculos et faciem; altera vero locum habet in corpore dum timetur malum ut destruens *naturam*, et tunc vires deficiunt et totum corpus pallescit, frigescent extremæ ejus partes, intercluditur vox, solvitur alvus, et communiter cunctæ animalis vitæ functiones interrumpuntur: 2.° cum vero timor non est nimis magnus *facit consiliativos, et fovit operationem*, quatenus causat sollicitudinem.

Præcipuum timoris *remedium* est: 1.° agnoscere, nullam creatam virtutem nos privare posse vero et incommutabili bono, cujus adipiscendi gratiâ omnia cætera etiam vitam despiciere debemus: 2 considerare, omnia cooperare in bonum iis, qui vocati sunt sancti (1).

V.) Cum malum jam illatum est vel re, vel etiam intentionaliter, si ultio et vindicta possibles apprehenduntur, appetitus *irâ* movetur, anhelans inferre malum causæ proprii mali, est itaque *ira*: *Appetitus ultionis apertæ cum fervore sanguinis circa cor*. Proprium iræ objectum est vindicta, quam appetit et sperat ut quoddam bonum, quatenus nempe est malum ejus, quem respicit ut contrarium et nocivum. Qui irascitur vult, ut innotescat ei, qui intulit injuriam, se esse qui irascitur, ut sic eum illatæ injuriæ pœniteat et ob hoc diximus: *ultionis apertæ*. Additur *cum fervore sanguinis circa cor*, nam qui irâ tabescit, quatitur commotione spirituum animalium et sanguinis et præcipue biliosi humoris, qui agglomerantur circa cor, eumque opprimunt, et resiliunt ad oculos et faciem, ferveunt, non motu suavi et dulci ut in amore, sed agitato ac amarulento; hinc videmus iratos colores mutare, concuti ac turbari.

Notandum est, iram ex contrariis passionibus quasi componi, atque ideo esse quamdam passionem generalem; causatur enim *ex dolore* injuriæ acceptæ, *ex odio* in eum, qui intulit, *ex desiderio* et *spe* ultionis, *ex amore boni*, quò iratus privatur etc. Ira est etiam terminus omnium motuum partis irascibilis, et ex hoc *irascibilis* dicitur. Itaque sicut amor est veluti prima radix omnium passionum, ut ait S. P. Augustinus (2), ita ira potest dici pas-

(1) De his S. Thomas l.° 2.º, Q., 41. ad 45.

(2) «Amor inhians habere quod amatur, *cupiditas* est: id autem habens eoque fruens, *lætitia*; fugiens quod ei adversatur, *timor* est;

sio generalis, in quantum ex concursu multarum passionum causatur (1).

Causæ autem determinantes ad iram sunt: 1.^a et præcipua *parvipensio*, seu *injustus contemptus*. Ira enim est appetitus nocendi alteri, sub ratione *justi vindicativi*; et ideo quærit vindictam tantummodo ut apparet justa; justa autem vindicta non fit, nisi de eo quod est injuste factum. Hinc qui credunt se juste pati communiter non irascuntur; et magis irascimur contra eos, qui nos lædunt ex electione, vel intendunt lædere, etsi malum, quod contra nos meditantur, ad effectum non possint perducere (2), quam contra eos, qui nos lædunt ex ignorantia, aut perturbati aliqua passione. Unde quæ augment parvipensionem, augment etiam iram; atque ideo quanto major est differentia inter lædens et læsum, tanto ira augetur, vel minuitur: quanto igitur gravior est et excellentior persona læsa, tanto crescit parvipensio et ira; si vero vice versa accidit, decrescit: 2.^a *modus ipse lædendi*, præsertim si involvit *contemptum* personæ læsæ: 3.^a *defectus irascentis*; nam qui alicui defectui obnoxius est, facilius putat se contemni: 4.^a denique *ipsa naturalis constitutio*, sunt enim aliqui ad iram proni.

Præcipui iræ *effectus* sunt: 1.^o *quædam fatua delectatio* ad spem vindictæ consecuta: 2.^o illi, quos describit S. Gregorius Mag.: «Irae suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam se cognoscunt noti: os quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur

»idque si acciderit sentiens, *tristitia* est. Proinde mala sunt ista, si »malus est amor, bona, si bonus ...» *De Civit. Dei, lib. XIV. c. 7.* Cons. *ibid.* c. 9, præsertim n. 3. et 4.

(1) Cons. S. Thom. 1.^a 2.^a Q. 46, á. 1.

(2) Tunc sentimus quamdam iram contemptu mixtam.

»ignorat» (1): 3.^o *rationis turbatio* et operationum; 4.^o *taciturnitas* causata ex interna lucta, aliquando vero *loquacitas* ad fugandam injuriæ memoriam.

Nihil turpius et repugnantius videri licet, quam hominem irâ correptum, unde non immerito ut aptissimum sedandæ iræ remedium, habetur, ut iratus se in speculo inspiciat, ex illa exteriori turbatione vultûs dimotum suâ sede animum deprehensurus; *iratus*, ait S. P. Augustinus (2), *fædus aspectu est*.

Ad sedandam iram in nobis conferre possunt: 1.^o considerare, quod ex vindicta non alium fructum sequitur, quam et nocentem magis implacabilem efficere, et nos ipsos miserabiliores et contemptibiliores: 2.^o expendere quot et quanta mala ex iracundia proveniant, et quam magnum, jucundum et gloriosum est nos ipsos vincere et inimicum amice amplecti: 3.^o scire, quod qui non dominatus est iræ, omnibus ridiculus est (3); quia qui iram portat in corde infamiæ fætor statim eum corrumpit, et nauseam provocat (4): 4.^o *maximum* remedium est iræ, mora (5): 5.^o denique ac præcipue: quâ iracundiâ sanari quis potest, si patientiâ Filii Dei non sanatur? (6).

Ad mitigandam vero aliorum iram adversus nos hæc adhiberi possunt remedia: 1.^o fateri errorem nostrum, veniamque rogare, et iratis minime contradicere; tamen non miremur, si nonnullos invenimus, qui misserrimi hoc remedio magis superviant; 2.^o declinare igitur ab irato veluti à rabido cane, et silentium servare, nec ullo pacto resistere: 3.^o denique semper prudentiori cedere, stulto remittere,

(1) *Moralium*, L. 5. c. 31.

(2) Homil. 10. *de ira*.

(3) S. Basil. Mag., Homil. 10 in *Hexaemeron*.

(4) S. P. Aug., *Serm. 9 ad frat. in eremo*. Cons. Ejusd. *Regul. c. 10*.

(5) Seneca, *Lib. 2 de Ira*, c. 28.

(6) S. P. Aug., *De agone christiano*, c. 11.

et in omnibus et pro omnibus á mitissimo JESU veniam postulare.

VI) Denique, cum ultio impossibilis apparet et tristitia nimis animum gravat, tunc *dejici* appetitus dici poterit, est itaque *dejectio*: *Ille animi molestus status, quo appetitus ingenti malo pressus se in seipso demittit.*

APPENDIX.

DE TEMPERAMENTIS.

145. Quamvis organorum status et organicarum functionum modus, sexus, ætás, societas, disciplina ac vitæ ratio, nutritio ipsa et clima, aliaque hujusmodi plus minusve influant in diversos homines ad excitandas et evolendas diversas passiones appetitûs sensitivi, eosque efficiant vel prompteros vel tardiores ad ejusmodi actus; est tamen alia causa, á qua natura ipsa ac vehementia motuum appetitûs non parum dependent, atque vicissim horum actus, maxime si in habitum transeunt, eam summopere modificant; talis est *naturalis corporis constitutio, seu temperamentum*. Quapropter, relictis aliis, de temperamentorum varietate ac natura aliquid breviter attingere placet, prosit quod prosit.

146. *Temperamentum*, juxta vocis etymologiam, nihil aliud, quam temperantiam, morigerationem, æqualitem vel æquilibratam significat; sed hodierno Philosophorum consensu, ad designandam tum corporis humani constitutionem, complexionem et habitudinem, tum alicujus humoris in homine prædominium, vel denique organorum systema, quod majorem evolutionem præ se fert, solet adhiberi.

147. Quator sunt in homine humores præcipui: *Bilis* seu *Cholera*, *Sanguis*, *Pituita* vel *Phlegma* et *Melancholia*: ex respectivo eorum prædominio quadruplex exurgit temperamentum simplex, nempe: *Biliosum*, *Sanguineum*,

Phlegmaticum et *Atrabile seu Melancholicum*, quibus addi potest *Nerveum*, ex systematis nervorum præpollentia ducens originem. Ex his non semper unum vel alterum magis evolutum se prodit, (ferè nullus invenitur homo, cui purè simplex insit temperamentum); sed aliquando duo simul, ac non raro tria æquale vel pæne æquale prædominium obtinent; unde plura enascuntur temperamenta, quæ mixta vel composita appellare placet. Ab iis examinandis supersedemus, contenti pauca de primis seu simplicibus dicere, ne sermonem plus, quam par est, protrahamus. Nec res difficilis erit, cognitis simplicibus, compositorum characteres agnoscere, quippe quæ magis vel minus ad aliqua ex simplicibus accedunt, prout plus minusvè de eorumdem naturâ simplicium participant.

Temperamenta plurimum in hominum actiones influunt, diversas in eis inclinationes gignunt, sed nunquam adimunt libertatem, neque propensiones, quæ ex his diversis emergunt temperamentis, adeo vehementes sunt, ut debilitari nequeant vel etiam extinguui.

148. I.) *Temperamentum Biliosum seu Cholericum* oritur ex apparatus digestionis et fellis prædominio.

149. *Characteres Physici*. Habent biliosi corpus tenue, mediocris altitudinis: faciem macram, vividam, et aliquantum ferocem: oculos mobiles ac ignis plenos: pilosas palpebras, capillos nigros, qui non raro ante senectutem in terram cadunt: colorem subnigrum, musculos prominentes vigore et vi contractionis insignitos, ac magna celeritate de uno in alium moventur locum, præ nimia, quâ pollent, agilitate. Eorum venæ, quæ quasi funiculorum fasciculi per totum extenduntur corpus, repletæ ceruleique coloris inveniuntur esse. Subalbus etiam vel nigricans color cum inordinata quadam et convulsiva corporis inquietudine hujus temperamenti character est.

150. *Characteres intellectuales et Morales*. Est in bilioso imaginatio vivida, ardens et ad impressiones reci-

piendas aptissima: magnum intellectus acumen, quo res difficiles mente celeriter capit, rimatur et earum intima conspicit; activus, velox, diligens, ferreâque constantiâ, ad quæcumque acturus est, donatus, nihil timet, nihil pavet, omnia pericula spernit, omnia impedimenta superat, donec scopum suum attingat, omnium laborum generibus se præbens aptum. Scientias difficiliore callet, abstrusiora humanæ sapientiæ scrutatur arcana, et vehementibus quas patitur passionibus adjutus, magna et insolita efficit. Abstractus, parum amabilis, ac diffidus in temeraria circa vitam aliorum non raro se præcipitat judicia: seipsum nimium amat, præponit se omnibus ac dominandi æstuat cupidine: unde ambitio præcipuum hujus temperamenti character extat. Dignitates et honores aviditate quærit, nec facile dimittit obtentas: adversus alios asper et irascibilis: circa sua prævisor, callidus, tacitusque suam opinionem aliis manifestandi inimicus se præbet. Hunc temperamentum, tam magni Sancti, quam Tyranni famosi, percelebres sicarii, ac mundi dominatores dicuntur habuisse.

Prædictæ passiones diligenti educatione, humilitate christiana, virtutisque amore, si biliosos ad ea diligenda inclinare consequimur, absque dubio quam maxime mitigabuntur.

151. II.) *Temperamentum Lymphaticum* seu *Phlegmaticum*, ex humoris pituitosi prædominio ducit originem.

152. *Characteres Physici*. Corpus lymphatici altitudinis proportionatæ vel proceræ semper existit; sed magnam crasitudinem, et obesitatem deformem non raro ostendit. In eo facies apparet rotunda, alba, vel aliquantum subrubea, oculi tristes, languidi, cerules vel subnigri coloris ac tardo motu insigniti, nullaque vultûs vivacitate pollet. Ejus capilli suaves protensi, cinerei vel rutili coloris extant: difficilis respiratio; denique glacialis ad omnia in eo videtur languor.

153. *Characteres intellectuales et Morales.* Sortiuntur lymphatici memoriam debilem et infidelem ac pæne nullam receptivitatem: nunquam magno intellectûs gaudent acumine; imaginationis vi pæne orbat, impavidi, indifferentes, nec injuriis, nec beneficiis nimium moventur illatis; amabiles quieti et morigerati, facile amicitiam ineunt. Contentiones, rixas, tumultus, jurgia simul ac labores, præsertim ingenii, abhorrent. Ad otium, ad voluptatem et quietem videntur nati. In judiciis lenti et securi, in donis splendidi et in adversis constantes, facile dignitates obtinent, quas non sine honore obeunt, nec absque subditorum profectu. Ad gulam, pigritiam, ignaviam et venere inveniuntur valde proclives, virtutem vero, quæ non multum difficultatis offendat, lubenter sequuntur; sed amore quietis victi, nunquam surgunt ad magna.

Præcipui vero hujus temperamenti characteres sunt otiositas et indolentia. In artibus, quæ ab intellectu non pendent, non parvos lymphatici profectus agunt.

Vitia ex hoc temperamento emergentia vitantur, si lymphaticos ad activam vitam ducendam impellere obtineris.

154. III.) *Temperamentum sanguineum* ex prædominio apparatus circulationis sanguinis, scilicet, pulmonum et arteriarum emanat.

155. *Characteres Physici.* Dignoscuntur sanguinei ex corpore, apta membrorum dispositione, pulcherrimo, quod pectus ostendit amplum, faciem decoram et candidam, rubicundas genas, frontem spaciosam serenamque, aspectum hilarem, labiis lenem insidentem rixum; formas expressas omnique gratiâ plenas; ac denique vividos oculos, ac magna movilitate insignes. Habent capillos oblongos, rutilos vel subrubeos, pellem albam, carnem duram et compactam. In eis motus rapidi quâdam cum venustate, respiratio facilis, vox frequenter sonora.

156. *Characteres intellectuales et Morales.* Adest san-

guineo exquisita sensibilitas, quâ vivide impressiones recipit: intellectus clarus, ad scientias non ineptus; sed Metaphysicas Mathematicasque speculationes nullo modo adamat: memoria facili ac firma, vivacique imaginatione potens, Musicam, Picturam, Poësim habet in deliciis: ad imaginationis videtur factus labores. Spectacula, ludos, gentium concursus, peregrinationes ac bene provisas mensas sanguinei semper pluris faciunt; vividi, inquieti, jocos, nec non inconstantes sæpe mutant loca, nova oblectamenta, nova studia, novasque quærent delicias. Labor continuus, involuntaria subjectio cito eis afferunt lethum: in adversis dejecti, in prosperis nimis læti; nunc rident, nunc lugent, nunc denique psallunt: ad contraria æque perfaciles, tam ad iram, quam ad veniam pronti cito inveniunt amicos, ac licet non raro amittant quos habent, tamen communiter adeo veri amici esse solent, ut eorum amor ad excessum aliquando videatur pertingere. Cum nunquam, propter eorum circa rerum difficilium laborem inconstantiam, magnam scientiam vel eruditionem acquirant, se rebus omnibus judicandis esse aptos sibi videntur. Compatientes, amabiles, benevoli, placidi, dulces, pietatem, miserationem, misericordiam, aliorum opinionem, suâ postpositâ, sæpissime amplectuntur. Luxuria, luxus, sensuales deliciæ, sui aliorumque nimius amor, sanguineorum frequentiora sunt vitia, hujusque temperamenti veluti tesera.

Magnâ curâ invigilare expedit, ne sanguineorum imaginatio plus justo excitetur, ne ex benevolis et humanis impatientes, ac tristes fiant et queruli, et ad vindictam proni: non parum ad id obtinendum proderit, lecturas et labores serios eis imponere, á quibus recedendi nullo modo facultas detur, ut soli uni rei incumbere assuefiant, donec eorum prurigo omnia degustandi, nihil perficiendi, ideisque inconexis replendi animum penitus vincatur.

157. IV.) *Temperamentum melancholicum* ex prædomi-

nio *atrabilis* seu *melancholicæ*, vel, ut aliis placet, ex evolutione nimia *fellis*, *jecoris* ac *nervosi systematis* consurgit, unde compositum dici poterit.

158. *Characteres Physici*. Sunt melancholici exiles, elati, protensi ac squalidi: eorum facies est macra, sicca, tetrica et longa; aspectus horridus metuendusque, oculi inquieti ac tristes: oblongo naso, aut adunco, superciliis pilosis, genis aliquantum excelsis, quasi quadam spelunca depressi sepiuntur; color capillorum niger, vultus vero nigricans vel quodam pallore notatus, venæ vero absque colore valde repletæ aspiciuntur. Incedunt graves, tardi et meditabundi quasi qui vellent omnes numerare gressus.

159. *Characteres intellectuales et Morales*. Nulla ingenii dos Melancholicis denegata videtur. Sunt in discendis pronti, in scitis constantes, in caliginosis clari et in abstrusis acuti; caute operantur, secure et prudenter emittunt iudicium: difficilia callet, alta et profunda scrutatur eorum intellectus præcellens, dummodo eorundem vincantur passionibus. Sin autem lascivientis imaginationis, ac nimiae subtilitatis vi abrepti naturæ dona depravant, suis opinionibus, licet sint non raro absurdæ, nimium adhærentes, aliorum dicta spernunt, mores carpiunt et facta; vitam mordent omnium, denique crudeles evadunt censores. Melancholici humoris homo, tristis, solitarius, tetricusque, aliorum consortia fugit, solitudinem petit: mortis, inferni, ac æternitatis memoriâ, altâ cogitatione defixus, libenter insumit tempus. Quidquid horribile, quidquid stupendum, quidquid mirabile vel supernaturale existit, ei semper placet. In amore æternus, in inimicitia ferrens videtur; quos invenerit amicos, constanti amore prosequitur, neque eis unquam infidelis evadet, quos autem oderit, nulla nocendi occasione omissa, ad mortem usque nonnunquam insequitur. Cholericæ passionibus, vitia ac virtutes nonnisi gradu eminenti inveniri solent; unde si virtuti cedat, habebis Paulum, Antonium, Hieronymum, Augustinum;

si irâ vincatur, fiet alter Nero; si falsis visionibus detur, ipsum Mahometum superabit; si denique á vero erraverit, Arium, Pelagium, Lutherum adæquabit.

Hujus frequentiora vitia animi tumor, desperatio, suicidium, et perfidia esse videntur. Igitur summopere interest inclinationes hujusmodi ab ipsa infantiâ corrigere, alioquin difficile subvenire erit.

160. V.) *Temperamentum nerveum*, in systematis nervorum prædominio consistit.

161. *Characteres Physici*. Corpus procerum aliquantum exile, formâ eleganti donatum, super cujus membra muscoli, veluti funes totidem protensi ac vigorosi apparent, licet indubium temperamenti hujus signum videatur; sunt tamen alia, quibus nervosi non parum discriminantur á cæteris; præcipua tantum accipe, reliqua persequi non vacat. Sunt vero sequentia: aspectus vivus, proutus, quasi timentis pericula: lenta circulatio sanguinis, quæ qualibet aëris vel temperaturæ variatione valde immutatur: sensibilitas excellens et exquisita, vi cujus nervosos motus convulsivos et inordinatos instar tremulorum, sponte edere tam in vigilia, quam in dormitione sæpe conspiciamus: demum frequentia patiuntur insomnia, quibus fere ex integro, quæ die operantur, imaginatione dormientes percurrunt; unde fit, ut gaudeant, lugeant, rideant, loquanturque, non aliter ac sensibus integris, amicis præsentibus essent. Eorum coma copiosa et barba capillis plena, nigrum habent vel nigrantem colorem.

162. *Characteres intellectuales et Morales*. Nervosi summa recipiendi impressiones gaudent facultate, in easque attentionem fortiter flectunt: sensibilitate pæne ad excessum vivâ, intellectu subtili, præclaroque ingenio ornatî, nulla scientiarum genera eis superiora extant. Mathematici, profundi Philosophi ac Theologi insignes fieri apprime possunt; in Eloquentia vero omnium sunt facile principes. Sublimia penetrant, rationes agnoscunt rerum,

materias scite excogitant, suo quæque loco excogitata distribuunt; naturam ipsam verbis, quæ quasi ignis ex eorum procedunt ore, non tam describere, quam propriis coloribus depingere dicerentur; ore, visu, manibus, toto denique loqui videntur corpore. Nullum Oratorum, qui celebre posteris reliquerunt nomen, sine hujus temperamenti dominio fuisse crediderim. Amicos, quorum societate maxime delectantur, magna teneritudine diligunt; unde fit, ut amor temperamenti hujus character et signum sit. Hominum concursus quærunt; honor, qui ex virtute procedit, ipsis extat charus; honestas delicias amant, beneficiisque sibi præstitis summas referunt gratias. Dignitates nomenque celebre semper magni faciunt; virium corporalium debiles, quidquid roboris videtur negatum suo corpori, animæ dotibus, magno emolumento compensatum, accipiunt.

Tamen suos nævos hocce temperamentum habet. Nonnunquam nervorum sensibilitate adeo excitantur, ut de uno in aliud frequenter transeant; inconstantes ac ardui laboris fiunt impatientes; quodlibet imprævisum strepitum à suscepto labore removeat, attentionem distrahat, deturbet naturam, donec agnitâ inquietudinis causâ ad solitos labores, mente tranquilla redeunt. Rebus in adversis valde dejiciuntur, prosperis vero nimium elati adulationi facilem præbent accesum.

Vitia, quibus propensiores evadunt, inconstantia ac tristitia nimia, superbia cum petulantia esse videntur, quibus stirpandis ad virtutes oppositas erunt summâ prudentiâ ac suaviori, quo fieri potest, modo inclinandi, quin eorum sensibilitas irritari valeat, ne medicina in damnum vertatur.

163. Quodnam ex istis temperamentis feliciter evadat quæstio difficilis, salebrosa ac perardua videtur, quam definire nolumus: num omnium æquilibratio temperamentorum, quâ nullum super cætera prædominium obtineat, sit hominis felicior status, quem, qui consequitur ad omnia

virtutum genera existat aptissimus? Sunt qui concedant; mihi autem, si verum fatear, non adprobatur. Cholericum-Sanguineum, si partim nervoso adjungatur, esse perfectissimum, absque magna difficultate affirmabo.

164. Iterum animadvertere licet, á temperamentis vitia non gigni, bene vero passiones et inclinationes, quæ voluntate constanti, maxime oratione necnon cæteris Religionis Catholicæ mediis extinguí ac in virtutem magnam converti facillime possunt.

Satis pro nostri ratione instituti sunt dicta, qui plura cupiunt adeant Debreyne, Richerant, Descuret, aliosque rei Physiologicæ tractatores.

DISPUTATIO 12.^a—DE APPETITU RATIONALI
SEU DE VOLUNTATE.

165. Jam alibi (n. 37) dictum est, tria esse attributa essentialia animæ humanæ, *unitatem*, videlicet, *identitatem* et *activitatem*. Activitas vero animæ sub triplici forma se evolvit ac prodit; etenim vel est necessaria, vel spontanea, vel libera. Activitas necessaria est, quæ complectitur omnes animæ functiones vitales tam proprias, quam conjuncti, et quas nullo pacto possumus nec suspendere, nec dirigere in se seu immediatè. Activitas spontanea est, quæ complectitur illos motus, qui proveniunt quidem ab illa prima activitate necessaria, sed qui sunt magis individuales et concreti, ideoque possumus illos instigare, vel coercere et illis, voluntatis imperio, reniti ac dirigere, tales sunt v. gr. motus appetitûs sensitivi. In hoc igitur differunt hi motus spontaneæ activitatis á functionibus activitatis necessariæ, quod istæ, *ut operationes naturales*, ab ipsa natura sunt determinatæ, illi vero, etsi á principio intrinseco exeruntur, hoc principium non á natura, sed ab aliquo extrinseco per sensum apprehenso determinatur, atque ideo non constantes, sed intermissi sunt. Activitas volun-

taria provenit etiam ac exeritur ab ipso activo essentiali principio, sed *cum cognitione finis*; cum autem finis cognitio ad intellectum pertineat, hæc activitas necessario præsupponit intellectûs apprehensionem. Jam vero intellectus potest cognoscere diversos fines, diversaque media ad illos assequendos: potest autem hæc activitas inter hos diversos fines et media eligere, et tunc *libertatis* nomine insignitur ac nobilitatur.

De illa prima et altera activitatis manifestatione quod sufficit dictum est, agendum nunc est de voluntaria activitate, quæ simpliciter *voluntas* appellatur, et etiam, etsi improprie, *appetitus rationalis*.

166. Voluntas est animæ humanæ essentialis potentia, cujus proprietas et veluti constitutum est libertas seu vis electiva: hæc est ratio sufficiens cæterarum intelligentis animæ facultatum, sine voluntate intelligentia præsertim ne concipi quidem potest. De hac fere infinitæ definitiones et elocutiones inveniuntur apud SS. Patres. Notandum tamen sedulo est, SS. Patres, cum de *voluntate* loquuntur, intelligi debet, ipsos loqui de essentiali voluntatis proprietate, id est, de libertate; ipsis enim communiter idem est voluntas ac libertas voluntatis (1). Nos vero, ad majorem distinctionem ac perspicuitatem, agemus primo de natura voluntatis generatim inspectæ ejusque præcipuis

(1) V. gr. «Quid est voluntas? voluntas est intelligentis, et rationalis substantiæ appetitus ad id, quod animum suaviter afficit. (S. Athanas. Mag. *de def.*) «Voluntas est in natura intellectuali et rationali appetitio ejus, quod gratum est et jucundum» (id. in *Libro viæ ducis*. cap. 2. de voluntate) «Voluntas est, quâ peccatur, et recte vivitur» (S. P. Aug. *Lib. 1. Retract.*.. c. 9., vide cap. 15.) »Voluntas est rationalis et vitalis appetitus ex iis, dumtaxat quæ naturalia sunt, pendens» (S. Joan. Damasc. *de Fide Orthod.*, cap. 22.) «Voluntas est rei cujuspiam rationalis appetitio, atque cupiditas» (id. *ib.*) «Nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est» (S. P. Aug., *lib 3.*

actibus; deinde singularem illam solique ei competentem proprietatem, libertatem, scilicet, quâ homo suorum actuum dominus est, expendemus, disserendo tum de illius essentia et existentia, tum de objecto circa quod versatur.

167. Voluntas subjective et generatim spectata est: *Illâ animæ vis, quâ ad bonum per intellectum apprehensum tendit et à malo declinat*; quoniam vero aliud est tendere ad bonum apprehensum per sensum, aliud tendere ad bonum apprehensum per intellectum, planum est, voluntatem differre ab appetitu sensitivo; atque etiam, siquidem aliud est tendere ad bonum, aliud verum apprehendere, manifeste sequitur, vim seu facultatem, quâ anima vult, prorsus differre à vi seu facultate, quâ ipsa anima cognoscit.

168. Quocirca improbandus est Laromiguière, qui in suis *Lectio. Philos.* (1), *desiderium* definit: *directionem facultatum intellectûs ad objectum, cujus indigentiam persentimus*. Sive enim *desiderium* sumatur tamquam simplex objecti appetitio, sive ut communiter pro deliberata appetitione, semper dicit aliquid ab illa facultatum directione distinctum, quæ nunc erit veluti causa, nunc hujus appetitionis effectus. At multo magis increpandi sunt, qui hanc vim seu facultatem volendi cum sentiendi vi seu facultate confundunt; cum admodum diversæ sint quæcumque sensatio producta ab objecto sensibili, et animæ ad illud objectum inclinatio, aut ab illo aversatio; et licet voluptas naturaliter apta sit ad animæ prosecutionem excitandam, ut ad fugam inducendam dolor, nihilominus appetentis vel aversantis animæ affectio ab ipso volupta-

de Libero Arb., c. 3.) «Mala arbor est mala voluntas; cujus radix cupiditas, truncus obstinatio, rami perversa opera, folia verba ventosa, fructus mors æterna» (S. Antonius de Padua., *Serm. Dom.* 8. *post Trinit.*) etc. etc.

(1) Tom. I.

tis dolorisve sensu aperte discriminatur. Quare dolor et voluptas sensibilis tanquam occasiones dumtaxat et incitamenta *primorum* voluntatis actuum, nimirum simplicis inclinationis aut declinationis haberi debent.

At dolor ac voluptas sensibiles non sunt sola et potiora incitamenta actuum voluntatis; sunt etenim alia bonorum et malorum genera, quæ solâ ratione apprehenduntur, ut sunt res intellectuales et morales, veritas etiam atque virtus, quas anima cognoscit atque non sine aliqua delectatione approbat, errorem vero et vitia refugit; hinc est quod aliquando accidit, ut voluptatem sensibili vi appetamus, seu dolorem refugiamus; vi autem seu volendi facultate refugiamus illam voluptatem, dolorem vero appetamus.

169. Igitur voluntas seu appetitus rationalis non solum essentialiter differt à facultate cognoscendi, et facultate sentiendi, sed etiam à facultate inferiori appetendi sive ab appetitu sensitivo, et hoc non tantum ratione objectorum, sed etiam ratione modi, quo in ea tendunt. Et profecto, si tum appetitûs inferioris, tum voluntatis actus à principio interno exeruntur, principium tamen appetitûs est compositum ex anima et corpore, ideoque organis materialibus affixum, quod natum est determinari *necessario* ab objectis singularibus prout hîc et nunc eum afficiunt absque ulla finium cognitione; principium vero voluntatis seu subjectum est tantummodo anima, quod nata est moveri ab objecto universali cognito per intellectum sub ratione finis proportionati ejus tendentiæ et necessitatibus, ideoque sub ratione boni; cum autem intellectus non solum varia bonorum genera cognoscat, sed etiam *media* ad illa assequenda et hæc voluntati proponat, sequitur, voluntatem non ab uno vel altero determinari, sed inter hæc, quod ipsi magis libeat *eligere* posse. Diximus etiam: voluntatem et appetitum differre *ratione objectorum*; et profecto objectum appetitûs non potest esse aliud, quam bonum physicum singulare, materiale, organicis necessi-

tatibus conveniens, utpote quod hoc solum á sensili perceptione attingi potest; objectum autem voluntatis, non solummodo hoc materiale objectum cognitum sub universali ratione boni, sed ipsa objecta immaterialia, incommutabilia et universalia esse possunt.

170. Et quoniam de objecto voluntatis agimus, pro certo habendum est, voluntatem nihil velle posse nisi sub ratione boni, nihilque aversari nisi sub ratione mali. Etenim natura solummodo inclinatur in id, quod est aliquo modo sibi conveniens; hoc autem est bonum. Hinc est, quod nemo unquam potest animum adigere ut aliquid repudiet vel complectatur, nisi latentis in eo mali vel boni speciem aliquam deprehendat. Propterea, ut in aliquem actum prodeat voluntas, necessario prærequiritur in intellectu aliqua boni vel mali cognitio: unde illud tritum: *Ignoti nulla cupido*; et: *Nihil volitum quin præcognitum*. Quod si non raro ipsum malum prosequitur voluntas, et á bono abhorret, non alia id ratione fit, nisi quia malum illud sub aliquo saltem respectu sese exhibet ut bonum, bonumque ut malum; nihil proinde mirum, quod sæpe voluntatis appetitio in aversionem, et vicissim aversio in appetitionem respectu ejusdem objecti commutetur (1). Voluntas igitur nunquam fertur in malum, prout malum est.

171. Hoc bonum, quod est objectum voluntatis, non est proprie hoc vel illud bonum determinatum, sed est omne bonum, bonum in communi seu universe acceptum. Quod patet tum ex dictis, tum ex eo quod voluntas est in supremo gradu potentiarum appetentium; ergo est potentia universalissima in illo genere; ergo habet universalissimum objectum quod est bonum in communi. Præterea

(1) Cons. S. Thom., *QQ. Disp., de Malo*, q. 6. art. unic.; id. *de Vero*, q. 16. á. 1. ad 6.; id. *Sum. th.* 1.^a 2.^æ, q. 13 á 5 ad 2.; Suarez. *De Anima Lib.* 5. c. 2.

voluntas consequitur intellectum; ergo ejus actus eo se extendit, quo extenditur apprehensio intellectûs; atqui intellectus potest apprehendere omne ens; omne autem ens habet aliquam rationem boni (Ont. Disp. 10.); ergo voluntas potest omne bonum prosequi, ad ipsumque se inclinare.

172. Quod ad actus vero voluntatis attinet sciendum est:

I. Actus voluntatis in tota sua generalitate definiri potest: *Animi motus, cogente nullo, ad aliquid cognitum vel non amittendum vel adipiscendum* (1). Actus voluntatis ita á voluntate elicitur, ut præviam cognitionem objecti tamquam finem, aut terminum, ad quem ipse refertur, necessario expostulet, quapropter pressius sumptus ita definitur: *Actio ab interno principio procedens cum cognitione finis* (2). Per illa verba: *ab intrinseco principio* significatur, actus et motus voluntatis fieri ex propria voluntatis inclinatione et determinatione. Per illa alia: *cum cognitione finis* denotatur, actionem *voluntariam* in objectum ferri, quod veluti finis, seu id, ad quod actio spectat, et cujus gratia ipsa fit, apprehenditur, et hoc non tantummodo secundum rationem imperfectam, ut accidit in brutis, quæ se movent per cognitionem sensibilem in finem, sed secundum perfectam rationem, quæ importat intellectivam cognitionem finis, ut finis est, ac propterea etiam de iis, quæ sunt ad finem (3). Si enim actio fieret secundum illam imperfectam rationem, esset *spontanea*, non vero *voluntaria*.

173. Ex his jam intelligitur, qua ratione voluntarium opponatur *involuntario*, et *non voluntario*. Involuntarium enim dicitur illud, quod non solum non procedit á voluntate, sed etiam est contra ejus inclinationem ipsique re-

(1) Ita S. P. Aug., *Lib. de duab. Anim. c. 10.*

(2) Ita á S. Thoma. 1.^o 2.^o, q. 6. á. 1. et 4.

(3) Cons. S. Thom., *loc. c.*, á. 2.

pugnans. Hoc autem ei potest evenire vel per *violentiam*, vel per *invincibilem antecedentem errorem*, hâc tamen differentiâ quod violentia et violentum seu coactum supponit *actum* voluntatis in contrarium, error vero *dispositionem* ad contrarium actum. *Non voluntarium* dicitur illud, quod á voluntate non proficiscitur, sed tamen voluntas nihil ad ipsum amoliendum agit, ideoque non repugnat voluntario *positive*, sed mere *negative*, ex defectu potestatis voluntatis in eum, quod multipli ex causa evenire potest (1).

II. Deinde oportet notare, eos omnes actus in voluntate reperiri, qui reperiuntur in appetitu sensitivo, amor, desiderium, spes etc., licet modo altiori; quoniam in voluntate spirituales sunt, neque dependentes quoad esse á passionibus corporis etiam naturalibus; ac ferri possunt *circa finem et circa media*, cum utraque habeant rationem boni et utraque ab intellectu sub propria ratione suæ bonitatis cognoscatur (2).

III. Hinc actus voluntatis alii sunt circa finem, alii circa media. Etenim intellectus non solum cognoscit objectum naturæ conveniens, sed etiam media excogitat ad illud assequendum: quia vero finis potest considerari, vel prout bonum absolute, vel prout habendum, vel ut habitum; ideo circa finem potest esse in voluntate amor, ac desiderium consequendi illum, qui actus alias dicitur *intentio finis*; atque tandem *fruitio*, seu gaudium de fine jam obtento.

(1) Non est igitur idem *non velle* ac *nolle*. «Differt *nolo* et *non volo* (ait S. Thomas, in *lib. 1. Sent. Dist. 6. exp.*); quia, cum dicitur, *non volo*, negatur actus, et ideo apponitur sicut negatio ad affirmationem; sed in hoc verbo *nolo*, et in tota declinatione ejus remanet actus voluntatis, et negatio fertur ad *nolitum*. Unde sensus est, *nolo hoc*, id est, *volo hoc non esse*.»

(2) Consul. exim Suar., *loc. cit. c. 8.*

174. Medium vero duplex esse potest; aliud quod solum habet rationem medii, quia solummodo est primum medium ad quod nullum aliud ordinatur, nec propter se est appetibile, sed tantum in ordine ad finem. Aliud est medium, quod, videlicet, mediat inter finem primo intentum et media priora, ac respectu aliorum priorum est finis, respectu vero ulterioris finis est medium: si ergo hujusmodi medium consideretur ut finis, habet eandem rationem, quam finis ultimus; nam et intendi potest, et desiderari, et delectare si obtineatur (1).

175. Notandum tamen est, voluntatem in omni suo actu in finem tendere, hic enim est qui ipsam movet per se et absolutè, media vero in tantum vult, in quantum in eis vult finem. Merito igitur medium vocatur *volitum secundarium*, et finis *volitum principale*, et *causa volendi* quia finis est causa, cur media velimus. Quæri autem potest: cur ipsos fines velimus? Quapropter ne progressus infinitus sine principio existere dicatur, admittendus est finis aliquis absolutus, qui propter se appetatur, et sit ratio sufficiens, cur cætera omnia appetantur. Hic appellatur *finis ultimus* (2), (*Ont. Disp. 19.^a n. 266.*). Jam vero finis ultimus hominis est felicitas undequaque perfecta, quam semper et necessario vult. Hæc est igitur ratio sufficiens, cur homo velit cætera quæcumque vult, in quibus quidem semper suam felicitatem quærit.

176. Circa medium autem, ut medium est, duo versantur proprie actus voluntatis, nimirum *electio* et *usus*. Nam postquam voluntas intendit finem, statim intellectus consiliatur de mediis congruentibus, ac voluntati proponit, circa quæ ipsa duo illa præstat; etenim ex mediis ab intellectu propositis unum aliquod cæteris præfert illum-

(1) Cons. Ontol. *Disp. 19.^a n. 268*, pag. 160.

(2) Cons. S. Thom., 1.^a 2.^æ, q. 1. á. 4.; exim. Suarez, *De anima lib. 5. c. 2. et 7.*

que *eligit*: facta autem electione necessarium est, ut id medium executioni mandetur, cui deservit *usus*; qui actus quidem est, quo voluntas applicat potentias varias animæ ad operationes sibi ad executionem necessarias; nam medium electum propter executionem quidem eligitur (1). Atque hinc est altera divisio actuum voluntatis in:

IV. *Elicitos*, videlicet, et *imperatos*. Elicitus est, qui ab ipsa voluntate immediate procedit ab ipsaque fit, seu cujus immediatum principium est ipsa voluntas, uti amor odium, desiderium etc. Imperatus est, qui mediate tantum à voluntate procedit, cujus tamen immediatum principium est alia animæ potentia, quæ usui et motioni voluntatis subditur, ut locutio, ambulatio, motus brachii vel capitis etc. (2).

(1) Cons. S. Thom. 1. 2., Q. 11. usque ad 17.

(2) Duplex hæc distinctio clarius patebit aliquo exemplo pratico, Quapropter supponamus hominem gravi injuriâ ab alio lacessitum, et malo vindictæ amore succensum. Hujus porro voluntas eum imprimis, à quo injuria sibi irrogata est, *odio* prosequitur et vindictam contra eum *determinat*: jam vero duplicem hinc habemus voluntatis actum: *primum*, quo voluntas *odit* contumeliosum illum: *alterum*, quo vindictam in ipsum *determinat*. Uterque erit *elicitus*: quare? quia uterque in sola ipsa voluntate perficitur, neque ullus adest alterius facultatis sive interioris sive exterioris concursus. Sed ubi semel vindicta fuerit determinata, vindicatoris voluntas adhuc progreditur: imperat nempe *phantasiæ*, ut acceptæ injuriæ magnitudinem contempletur: imperat *memoriæ*, ut ejusdem minime obliviscatur: imperat *intellectui*, ut circa vindictæ circumstantias occupetur, et perpendat tum media eam peragendi, tum etiam bona (juxta suum conceptum) inde obventura: imperat denique toti *corpori*, ut in illam vindictam perficiendam concurrat facultatibus suis omnibus, *oculis* nempe attente contumeliosum secernendo, *manibus* ferrum arripiendo, et *pedibus* in hostem incurrendo. Multos hic habemus actus, et hos omnes imperatos, quia omnes proveniunt quidem *originaliter* à voluntate: sed perficiuntur ope diversarum facultatum, quæ ad ipsius voluntatis imperium moventur et agunt.

Ex quibus constat, quanta sit voluntatis nostræ efficacia.

177. Hic dubium occurrit circa intellectum et voluntatem: certum enim est, operationes intellectûs esse á voluntate imperatas, ut experientiâ constat et ratio suadet, nam ad voluntatem spectat finem intendere, atque ideo movere potentias omnes, quæ conducere possunt ad finem, inter has vero est intellectus; alias vero diximus, appetitum sequi cognitionem, et intellectum movere voluntatem, ipsi proponendo bonum apprehensum.

Resp. Primæ rerum ideæ, quas quidam vocant *primas receptibilitates*, non cadunt sub voluntatis potestate, uti etiam non cadit cognitio primorum principiorum; unde intellectus quoad primum actum non movetur á voluntate, sed vel ab inclinatione naturali, vel ab extrinseca aliqua propositione objecti, vel ab ipso Deo speciali inspiratione, vel ministerio Angelorum, vel ab ipso demone, vel ex alia quacumque hujusmodi causa. Deinde voluntas, primâ illâ cognitione prælucente, intellectum movet *effective* applicando, scilicet, illum ad varias ipsius operationes, utque penitiorem acquirat objectorum cognitionem, atque hoc pacto intellectus movet voluntatem per modum *specificationis* et *causæ finalis*, ipsi, scilicet, proponendo objecta circa quæ elicit voluntas suos actus: nunquam vero neque objectum, neque intellectus concurrunt *elicitive* ad actum voluntatis (1).

His prælibatis sequentia statuenda sunt; itaque

178. Dico I. *Voluntas in singulis suis actibus propriis seu elicitis nullam potest pati violentiam seu coactionem.*

Nota, violentia seu coactio (2) est quidam nixus seu

(1) Cons. S. Thom., 1. P. q. 82 á 4.; exim. Suar., *De anima*, lib. 5. c. 7. vid. Log., *Lect.* 16.^a n. 118.

(2) Violentum et coactum etsi interdum soleant confundi, in hoc tamen videntur differre, quod violentum generalius dicitur de quocumque motu contrario appetitui, sive elicito, sive innato: coactum vero proprie dicitur, quando appetitui elicito et vitali repugnat.

vis procedens á principio voluntati extrinseco contra ejus naturalem propensionem. Itaque illæ illecebræ ac incitamenta, quibus voluntas non semel trahitur ad aliquid complectendum non sunt violentia aut coactio propriè sumptæ.

Prob. assert. Si voluntas in actibus suis propriis seu elicitis violentiam aut coactionem pati posset, idem simul esset et non esset, quod est impossibile, voluntas nempe vellet simul et nollet: *vellet* quidem hoc ipso quia actum ponit, *nollet* autem quia ipsa sibi violenti repugnaret. Sit v. gr. actus amoris: porro absurdum est dicere, voluntatem producere actum amoris contra suam inclinationem; nam amare contra suam inclinationem, esset amare simul et non amare, siquidem non amatur, quod fit contra inclinationem. Uno verbo voluntas, quæ cogeretur in actibus elicitis, esset voluntas, quæ vellet invita et nollens, voluntas proinde quæ non esset voluntas, quod absolute repugnat. Hinc S. Anselmus ait: «invitus nemo potest velle; quia non potest velle nollens velle (1).» Et S. Thomas: «contra rationem ipsius actûs voluntatis est, quod sit coactus vel violentus..... Potest homo per violentiam trahi, sed quod hoc sit ex ejus voluntate, repugnat rationi violentiæ (2).» Et ipse Seneca ait: «corpora obnoxia sunt dominis, mens

Unum hic advertendum est ad Patrum sententias plenius intelligendas, scilicet: coactionem duplicem esse, unam *simpliciter*, quæ absolutam et inevitabilem necessitatem contra internum affectum infert: aliam *secundum quid*, qualis est, quæ per pœnas, vel timores fit, quæ non absolutam necessitatem, sed ad vitandum tale incommodum inducit. Prima coactio est, quæ omnino repugnat actui elicito voluntatis, quia eo ipso quod est elicitus, jam non est coactus. Posterior autem coactio potest esse cum absoluta voluntate, imo et cum libertate. Cons. exim. Suar. *De divina Grat. P. 1. Proleg. 1. c. 1.*; S. P. Aug., *Contr. litt. Petil. c. 83.*

(1) *De Libero arbi.*, c. 6.

(2) *Sum. th.*, 1.^a 2.^æ, q. 6. á 4.

sui juris est (1).» Neque quod ad actus imperatos cogi potest voluntas eo sensu, quod actus istos imperaret invita et nollens; sed

179. Dico II. *Actus, qui á voluntate imperari dicuntur, cogi possunt, non quatenus á voluntate procedunt, sed quod ad exercitium.*

Etenim hos actus imperatos exercet voluntas ac perficit per alias animæ facultates, quæ etsi voluntati ordinariè subduntur, possunt tamen vi externa cogi ac impediri ne voluntatis imperium executioni mandetur. V. gr. paralyticus potest velle deambulare; qui oculos velatos habet vellet videre; qui in vinculis detinetur liber vellet in campum pergere etc. etc., tamen non licet, hos actus voluntas non potest executioni mandare, atque illa supplicia cogitur sustinere contra suum proprium velle. Fac v. gr. aliquem ad supplicium trahi; certe tota vis, et coactio trahentis nunquam efficient, ut ille velit ad supplicium trahi, aut nolit id, quod opus est, ut ad supplicium non trahatur. Quod si reus aliquando suppliciorum immanitate defatigatus confitetur crimen á se patratum, voluntas ejus revera non cogitur, ipse reipsa vult hanc confessionem, quia illam instar boni apprehendit, nempe tamquam opportunam finiendis tormentis. Hinc fit, ut reus, etiamsi permulta, et exquisita tormenta patiat, tamen possit nunquam suum animum inducere ad illam confessionem, si nullam boni rationem in ea deprehendit (2). Recolite Stos. Martyres.

180. Dicit tamen aliquis contra primam assertionem: Deus potest voluntatem hominis immutare, nam, ut ait S. P. Aug., *magis habet (Deus) in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas* (3).

Rep. Dist.; Deus potest voluntatem hominis immutare,

(1) *De consolat.*, L. 5. c. 11.

(2) *Cons. S. Thom.*, 1.^o 2.^o q. 6 á 4 et 6.

(3) *De corrept. et grat.* cap. 14.

id est, eam ex nolente facere volentem per gratiam suam, agendo modo libertatis proprio, *concedo*; potest eam immutare, id est, eam quoad actus elicitos cogere, *nego*. Certe nemo dixerit, Deum, qui voluntates humanas creavit liberas, eas in cunctis actibus gubernare non posse, quin earumdem libertati noceat. Ad conciliandum supremum Dei dominium in actiones hominum cum ipsorum libertate, non una est Theologorum sententia. Hæc messis non est hujus loci (1).

181. Quamvis vero voluntas in omnibus suis actibus propriis immunis sit á coactione, tamen

Dico III. *Voluntas non semper est immunis á qualibet necessitate interna, sive ab omni invincibili determinatione ad unum.*

Prob. Creatura rationalis ut rationalis duabus facultatibus, intellectu, scilicet, et voluntate, prædita est, quæ facultates cum sint ipsamet anima rationalis vel prout vult, vel prout intelligit, in sese invicem agant necesse est, et ad quamdam unitatem reducuntur; quomodo in se agant supra diximus; reducuntur vero ad unitatem finis, finis rationalis creaturæ est felicitas undequaque perfecta, quæ utique posidetur per intellectum et voluntatem, per illum cognoscitur, per istam fruitur. Jam vero intellectus objectum est verum ad quod ut in finem naturaliter tendit, neque ulla indifferentiâ circa verum in communi gaudet, non potest enim cognoscere quod non est verum. Voluntatis objectum est bonum, id est, omne id, quod naturæ conveniens est, ad quod idcirco non indifferenter, sed, ut naturæ finis, naturaliter ac invincibiliter determinata est; alioquin neque extaret ratio sufficiens determinationum voluntatis, et natura ipsa deficeret. Ergo sicut intellectus essentialiter determinatus est ad verum in communi et ad prima principia evidenter nota, ita voluntas ex essentia

(1) Cons. Magist. Lau. Berti, *De Theolog. Discipl.*, lib. 4. c. 13.

sua invincibiliter determinata est ad bonum in genere amandum, et malum odio habendum.

Igitur objectum, in quo intellectus (cujus actus motum voluntatis præcedit, ratio enim, ut ajunt Scholæ, liberi arbitrii *radix* est) nullam potest apprehendere speciem mali, in id voluntas *lubenter* et absque ulla coactione, sed naturali, interna ac invincibili necessitate inclinatur: tale objectum est v. gr. felicitas in communi, summum bonum Deus in se visus seu intuitive cognitus. Ergo *voluntas* etc.

182. Quapropter actus liber non est confundendus cum actu voluntario: ad actum voluntarium sufficit, ut aliquid fiat cum cognitione intellectiva seu advertentia, ad liberum vero requiritur insuper, ut voluntas habeat in sua potestate illum actum elicere vel non elicere. Unde omnis actus liber est semper voluntarius; quod enim ita facimus ut etiam possimus omittere, id sane á voluntate nostra dependet; sed omnis actus voluntarius non est semper liber; potest enim ex necessaria aliqua voluntatis impulsione oriri. De voluntate in se inspecta quod sufficit dictum est, ut mihi videtur, veniamus jam ad perpendendam ejus essentialem prærogativam, libertatem scilicet, possibili brevitate.

DISPUTATIO 13.^a—DE LIBERTATIS ESSENTIA,
EXISTENTIA AC OBJECTO.

183. Incredibile prorsus videbitur fuisse inter homines non paucos, qui animæ humanæ libertatem physicam seu arbitrii aut indifferentiæ denegarent, cum hæc veritas adeo clarissima affulgeat tam sensûs intimi evidentiâ, tam humani generis communi consensu appertissimisque monumentis (1); extiterunt tamen et á remotissima antiquitate

(1) *Hanc libertatem*, ait perbelle S. P. Aug., *cantant et in monti-*

philosophi ac deinde hæretici et impiorum turba, qui veritatem adeo apertam ac manifestissimam vel diserte, vel æquivalenter inficiati sunt.

184. Hujuscemodi nefarius error imprimis communis est omnibus pantheistis, sive *emanatismi* doctrinam amplectantur, sive *evolutionis immanentis*, sive *transeuntis*; etenim semel negata individuali personalitate, libertas ne concipi quidem potest. Et profecto, omissis antiquis pantheistis, videamus quid sentiat Spinoza de libertate, quid Germani ejusdem compilatores. Spinoza, quoniam putavit, animas esse quosdam modos, quibus infinita cognitio Dei se in mundo necessario evolvit, cohærenter docuit, animam humanam ad volendum non à se ipsa, sed à causa determinari, atque hanc causam rursus ab alia et sic in infinitum (1), idque necessario evenire, quia omnia ex Dei natura necessario consequuntur (2). Hæc theoria Spinosæ, si non semper verbo, certe re probata est cunctis nuperis pantheistis Germaniæ, qui pleraque spinosianæ doctrinæ portenta exsuscitarunt. Nam si anima humana, ut Schellingius voluit, est ipsum *Absolutum*, quod sub forma *spiritus* naturaliter se evolvit, vel, ut placuit Heghelio, est tertium momentum evolutionis *Ideæ*, in quo conscientiam sui acquirit, certe omnes volitiones animæ non aliud, quam modi necessarii evolutionis *Absoluti*, sive *Ideæ* esse possunt.

bus pastores, et in theatris poetæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et magistri in scholis, et antistites in sacris locis et in orbe terrarum genus humanum. De duab. anim. c. 11.

(1) «In mente nulla est absoluta, sive libera voluntas, sed mens ad hoc vel illud volendum determinatur à causa, quæ etiam ab alia determinata est, et hæc iterum ab alia, et sic in infinitum,» ait ipse, *Ethinc.*, pars. II. prop. 48.

(2) «Omnia inevitabili necessitate ex Dei natura sequi concipio» ipse, *Epist.* 23.

185. Præter pantheistas tam antiquos, quam hodiernos, fuerunt quidam, qui dixerunt, omnes effectus et actiones causarum universi, etiam humanarum voluntatum, necessitate quadam fatali provenire, orta ex connexione causarum omnium, et cœlorum ac stellarum influxu, ut refert S. P. Augustinus (1). Hi videntur fuisse Democritus, Empedocles et Heraclitus. Solet etiam hæc sententia tribui Stoicis, quia horum solemne pronuntiatum fuit: *Omnia fato fieri* (2), tamen jure vel injuria, certum est, á necessitate quam in aliis rebus asserebant, voluntates humanas eos excepisse (3). Nihilominus hæc exceptio in favorem libertatis animæ humanæ inducta videtur fuisse á Chrysippo in Stoicorum Scholam; admissio autem Stoicorum *Fato* impossibile est cum eo libertatem conciliari. Stoici et qui Stoicorum principia sectati sunt á fato *Fatalistæ* appellantur; cæteri, qui omnes effectus tribuunt causis necessariis opperantibus ex certo positu et influxu astrorum, appellantur *Astrologi judicarii* et *planetarii*, aut *Genethliaci*. Hunc errorem postea sequuti sunt multi hæretici, Simon Magus, Bardesanes, Priscilianus hispanus et in Gallecia natus, Manes et manichæi et alii, ut constat ex S. P. Augustino et aliis antiquis scritoribus (4). Manichæi, genus hominum perditissimum, ex duobus coæternis principiis, quæ admittebant, uno bono, altero malo, duas in homine statuebant naturas, unam substantialiter bonam neque liberam ad peccandum, alteram substantialiter malam, car-

(1) Confess. lib. 4. c. 3.; *De Civ. Dei*, lib. 5. c. 1. Cons. Lud. vives in hunc loc.

(2) Cons. Caj. Sansev., *Elem. phil.* tom. 1. *Dynam.* c. 4. art. 4.

(3) Cons. S. P. Aug., *De civ. Dei*, lib. 5. c. 10. Cons. Ludovi. Vives, in hunc loc., et Joseph. Cajet. Diez de Beyral et Bermud., nota in hunc Augustini locum.

(4) Aug., *lib. de hæres.* c. 35, 46, et 70.; Clemens Alex., *lib. 3. Recog. Rof. et Strom.*



naliam concupiscentem, et ex necessitate determinatam ad malum, et secundum quod una vel altera prævaleret, homo non ex coactione, sed sponte ad bonum vel malum necessario inclinari (1).

186. Eundem errorem postea docuerunt sæculo XIII Wicleffus haud multum discrepans á Manichæis, cujus Propositio 27 ait: *Omnia de necessitate absoluta veniunt* (2). Deinde Lutherus, qui in *Assert. art.* 36 et *Lib. de Servo arbit.* ait: *Liberum arbitrium esse figmentum in rebus et titulum sine re* (3). Calvinus, in *Antidoto Conc. Trid.*, ait: *Qui illud, liberum arbitrium, dixerit esse titulum sine re CHRISTUM habet auctorem et AUGUSTINUM* (4). Hos antesignanos sequuti sunt magna turba novatorum et pseudoreformati (5). Lutherus tamen, Melancthon et *Confessio August.* libertatem indifferentiæ admisere quoad actiones civiles et politicas. Non conveniunt *Fatalistæ* neque in principiis, neque in modo, neque circa quæ objecta libertas arbitrii deneganda est.

187. Veniunt deinde hunc eundem errorem docendo Bajus, Quesnellus et turba Jansenistarum et impiorum incredulorum Angliæ et Galliæ, hos inter eminent sæcul. XVII et XVIII Hobbesius (6), Collinsius (7), Bayleus, Auctor *System. naturæ* (8), Voltairius (9) Helvetius, Ro-

(1) Horum errorem exposui, quia non desunt hodie materialistæ, qui eundem errorem paucis mutatis sequantur.

(2) *Damnata in Conc. Constantiensi, Sess. 8.*

(3) *Concil. Trid., Sess. 6. Can. 5. et 6.*

(4) *Similia habet, L. 1. inst. c. 45. et L. 2. c. 3. §. 7 et 11.*

(5) Ut late referunt Doctores Catholicæ, qui contra ipsos sapientissime disputarunt.

(6) *In Element. phys. et in opusc. adv. Bramhallum.*

(7) *Recherches philosoph. sur la liberté de l'homme.*

(8) *Part. 1. c. 11.*

(9) *Dictio. philosoph., art. de la liberté.*

binetus, Lametrius et alii ejusdem furfuris. Ratio cur hi negent humanam libertatem alia non est, nisi hæc; negatâ libertate humanâ ac sublatâ, omnis religio pessumdat, ipsaque societas corruat necesse est, quod nihil magis illis in corde impio ac crudeli fuit.

Omittimus eorum sententias, qui necessitatem voluntatis tribuebant aut Divinæ Gratiae, aut peccato originali, quia non sunt causæ naturales, sed mere extrinsecæ, et præter vel supra naturam; nam horum errorum pertractatio ac confutatio non ad Metaphysicum, sed ad Theologum pertinet, quoniam rationem excedentes per Divinam Revelationem resolvi debent (1).

188. Quoniam vero callidior Jansenii hæresis multum serpit, ejus circa libertatem doctrinam omittere piaculum foret: en paucis contracta: Homo in præsentî naturæ lapsæ statu, vera quidem et proprie dicta libertate ad merendum vel demerendum gaudet, sed hæc libertas repõnenda est in potentia *mere passiva et in immunitate à coactione seu à necessitate invariabili* (2). Unde juxta ipsum ejusque asseclas, anima nostra vere libera est, potestque mereri vel demereri, quia voluntarie et sine coactione inclinatur, vel ad bonum propter cœlestem gratiam, vel ad malum propter terrestrem concupiscentiam, et

(1) Consuli possunt, inter alios, Joa. Laur. Berti, *De Tholog. discipl. et presertim Vindic. August. Diser.* 3. et 4.; Bellarm, *De gratia, et Controv.*; Suar. *De gratia, part. 1.*; Wirceburg. *P. 1. Tom. 3. De actibus hum. etc.*

(2) Jans. *lib. 3. de gratia chris c. 1.* Inde educta propositio: *Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*, quæ tanquam hæretica proscripta fuit ab Innocentio X, in Bulla: *Cum occasione*. Jansenio præiverat Bajus, cujus Propositiones 39: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat libere tamen fit*, et 66: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*, damnatæ sunt à S. Pio V., Gregorio XIII. et aliis Summis PP.

prout in ipsa prædominatur concupiscentia aut gratia. Nempe concedit, libertatem variari quidem, quatenus modo ad bonum, modo ad malum inclinatur, sed jansenistarum mens est, hominem aut ad unum, aut ad aliud necessario insuperabiliterque inclinari (1).

Verum hi versipelles semper falsi, ut fucunt faciunt, verba adhibent apparenter catholica, sed in se prorsus falsa et hæretica; dum nomine retinent, re ipsa funditus destruunt libertatem, quæ concipi nequit absque activa aliqua propria *electione ac determinatione*, cujus existentia aut non existentia sit in potestate ipsius animæ (2).

Contra hos itaque, antequam ad alia transeamus, sit sequens:

189. PROPOSITIO. *Libertas proprie dicta, qualis requiritur ad rationem meriti vel demeriti, non consistit in solo voluntario seu in immunitate à coactione, sed in indifferentia activa, ac proinde in immunitate à quacumque necessitate antecedenti.*

Innumerabilibus tum SS. Scripturæ, tum SS. Patrum testimoniis Propositio hæc demonstrari potest, cum hæc tamen non sint ex nostra provincia, tantummodo ad calcem nonnulla ex S. Patre Augustino et S. Thoma apponemus.

(1) Quare in jansenistarum sententia quicquid à nobis fit sive bonum, sive malum, illud est *ex necessitate intrinseca, antecedenti, insuperabili*; quia gratiæ divinæ delectatio major seu intensior movet *insuperabiliter* voluntatem ad bonum, *antecedenter* ab omni ejus libero actu; delectatio vero major concupiscentiæ movet *insuperabiliter* voluntatem ad malum.

(2) Merito ait Mag. Laur. Berti, in *Vind. augustinianis; Diss. 4. c. 1. §. 3. n. 5.*: *Hinc apparet, Jansenianam hæresim, in iis præsertim, quæ ad gratiam et libertatem attinent, à Calviniana parum, aut nihil differre.*

190. *Prob. prop. I.* Ut quis vere liber ac capax meriti aut demeriti dici possit, requiritur ut revera dominus sit suorum actuum, plenamque habeat potestatem, positus omnibus ad agendum requisitis, objectum cognitum volendi aut nolendi (1); atqui sublatâ indifferentiâ activâ, homo non potest concipi ut suorum actuum dominus, nec ut potestatem habens agendi vel non agendi; nam dominari et potestatem habere in suos actus, est ita ponere actum ut possit non poni, et vice versa. «Liberum arbitrium non invenitur in illis agentibus, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed á quibusdam aliis causis prioribus,» ait S. Thomas (2).» Et iterum: «Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinate exeat in hunc actum vel illum,

(1) «Motus, ait S. Pater, quo huc aut illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque *in nostra potestate*, neque laudandus, cum ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet quasi quemdam cardinem voluntatis, neque omnino monendus esset, ut istis neglectis æterna vellet adipisci, atque ut male nollet vivere, vellet autem bene. *De libero arbit. cont. Manich., Lib. 3. c. 1.*» Et *ibid.* c. 18. ait: «Hoc brevissimum tene: quæcumque ista causa est voluntatis, si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur.... quis enim peccat in eo, quod cavere non potest? Et *Lib. de natura et gratia, cont. Pelig. c. 65.* «Liberi arbitrii nos condidit Deus: nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est;» hæc postquam retulit ex S. Hjeronymo, subjungit ipse: «quis non agnoscat, quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam.» Infinita res foret, adducere peremptoria S. Patris testimonia pro libertate indifferentiæ animæ humanæ post lapsum originale. Cons. *Lib. de Grat. et libero arbit. c. 2.* et alibi; *Lib. de Correct. et grat.; L. contr. Fortun.; L. de peccator. merit et remissi; L. de Nat, et Grat.; L. de Prædest. Sanct.* etc. etc.

(2) In *lib. 2. Sent. dist. 25. q. un. a. 1.*

»non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate (1).»
Ergo etc.

191. *Prob. II.* Ex consensu omnium Philosophorum sive paganorum sive christianorum. Etenim: 1.° Omnes Philosophi sive veteres, sive recentiores inter merum voluntarium et liberum, discrimen agnoverunt (2): est enim de sensu naturæ communi; cur enim quidquid bene vel male agunt amentes et furiosi, nullo modo ipsis tribuitur laudi vel culpæ, licet sponte et voluntarie agant? profecto quia constans est et universalis omnium gentium non excæcatarum consensus, homines ideo tantum esse laude aut vituperatione, præmio aut pœna dignos, quia in iis, quæ agunt, immunes sunt ab omni necessitate: 2.° Omnes sophistæ, qui denegarunt homini libertatem, ipsius actus voluntarios esse ultro concesserunt; ergo ex hoc in-

(1) *Ibid. dist. 28. q. un. á. 1.* Et *ibid. á. 2.* ait: «Ratio culpæ in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo, qui habet dominium sui actûs; hoc autem est in homine secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur, nisi ex se ipsa; quod tantum voluntati convenit.»

(2) Hanc veritatem agnovit Plato, ut constat *ex Gorgia*, et lib. ultimo *de Republica*; Stoici á necessitate *Fati* excipiebant voluntatem; agnoverunt Aristoteles et Peripatetici, ut constat *ex lib. 9. Metaph. c. 1. et sequentibus*, ubi distinguit potentias racionales ab irrationalibus, et prioribus tantum concedit intrinsecam vim per se operandi contraria, nimirum ex interna libertate; et in 3. *Ethicor.* á principio libertatem hanc statuit, ut totius moralis doctrinæ fundamentum. Cicero etiam in libro *de Divinat. et Natura Deorum*, ut hominis libertatem defenderet divinam præscientiam negavit, quod putaret, hanc pugnare cum libertate humana, quam vel ipso rerum experimento credidit esse evidentem: ita ut S. P. Aug. de ipso dicat: *ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos. De Civ. Dei L. 5. c. 10.* Omnes SS. Patres, Ecclesiæ Doctores et Scholasticos referre longum nimis esset, omnes hanc veritatem agnoverunt: Cons. Euseb., *De præparat. Eváng.*, lib. 6. per totum; Nemesium, *De natura hominis c. 32. ad 42, etc. etc. etc.*

fertur ad libertatem amplius requiri, requiri nempe indifferentiam activam quâ anima seipsam ad varia inclinari possit: 3.º Theologi et Philosophi omnium temporum in concilianda hominis libertate cum supremo Dei dominio et præscientiâ difficultatem invenerunt; atqui si libertas consistit in solo voluntario, sive in immunitate á coactione, vana foret distinctio inter voluntarium et liberum, si liberi essent quicumque actus voluntarii, nulla esset difficultas in concilianda libertate humana cum supremo Dei dominio et ejus præscientia (1); ergo omnes philosophi unanimiter admiserunt libertatem non solum á coactione, verum etiam á qualibet necessitate antecedenti essentialiter esse immunem; qui quidem consensus cum sit de re magni momenti, sæpe ad examen revocata et cupiditatibus adversa, non nisi á verissimo rationis lumine oriri potuit. Ergo *libertas proprie dicta etc.*

192. *Prob. III.* Deus se amat voluntarie, voluntarie Deum amant beati in cœlo: «voluntas videntis Deum per »Essentiam de necessitate adhæret Deo, sicut nunc ex »necessitate volumus esse beati» ait S. Thomas (2), voluntarie bonum in genere amamus; atqui tamen nemo unquam dixit, istos actus amoris esse liberos. Ergo etc.

193. *Prob. IV.* Denique ad absurdum; nam si homo lapsus careret libertate, de qua dicimus: 1.º homo teneretur ad impossibile; teneretur nempe observare præcepta Divina, quæ tamen necessario frangeret, quoties ea non servaret vinctus insuperabiliter á majori concupiscentia: 2.º homines scelesti justam haberent excusationem suorum criminum, videlicet, in necessitate antecedenti pec-

(1) Cons. Mag. Laur. Berti. *De Theolog. discipl.* Lib. 4. speciatim Scholium ad calcem cap. 12. et c. 13. et Lib. 16. c. 1.—2.—3.; Suar. *De divina gratia*, pars. 1. *Prolegom.* 1. et 2.; Bellarminum, *De gratia et libero arb.*, lib. 3. c. 10.

(2) *Sum. th.* 1. p. q. 82. á. 2.

candi. Viri autem probi frustra conatum adhiberent ad virtutem colendam, nec magis laude digni forent, quam improbi; siquidem utrique facerent quod non possent non facere: «peccatum enim *solum ibi est, ubi est voluntas* »retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, et unde »liberum est abstinere.... Peccati reum teneri quemquam »quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniqui- »tatis est et insanïæ...» (1): frustra et falso igitur diceret Apostolus: *Bonum certamen certavi* etc. (2). Concludamus igitur cum S. Patre: *Habet unusquisque in voluntate aut eligere, quæ bona sunt, et esse arbor bona, aut eligere, quæ mala, et esse arbor mala* (3).

Nota. Quamvis ad hominem in statu præsentis pertineat indifferentia activa tum contrarietatis, tum contradictionis, tum specificationis; ad essentiam tamen libertatis, quæ ad merendum vel demerendum requiritur, sufficit sola indifferentia activa contradictionis, seu etiam specificationis, ut patet in Christo Domino. Tum hæc distinctiones, tum hæc assertio ex immediate dicendis clarescent.

Solvuntur objectiones.

194. *Obj. I.* Illud libertatem non constituit, sine quo potest esse libertas; atqui sine dicta indifferentia potest esse libertas. Etenim Deus vera gaudet libertate; atqui Deus nunquam fuit indifferens, sed ab æterno est determinatus; ergo etc.

Resp. Conc. maj.; nego min.; dist. prob.: Deus nunquam fuit indifferens indifferentiâ negativâ, seu deliberativâ aut suspensionis, *conc. min.;* indifferentiâ positivâ

(1). S. P. Aug., *Lib. de Duab. Anim.*, c. 11.

(2) *Ep. ad Timoth.*, c. 4. v. 5.

(3) *De actib. cum Felice*, lib. 2. c. 4.

seu electionis inter contradictoria, *nego min.* Suspendio supponit indeterminationem, et cum Deus nunquam fuerit dubius et anceps quid ageret, utpote qui omnia uno simplicissimo actu videt, indifferentia suspensionis seu deliberativa in ipso repugnat; at electio non supponit indeterminationem, sed determinationem ad hoc vel illud pro arbitrio; ergo indifferentia electionis Deo convenit, qui ita se determinavit ab æterno in omnibus suis operibus, quæ *ad extra* dicuntur, ut potuisset liberrime sese non determinare.

Inst. Qui semper fuit determinatus ad aliquid, non fuit indifferens ad illud; atqui Deus ab æterno fuit determinatus; ergo non fuit indifferens.

Resp. dist. maj. Qui semper fuit determinatus ad aliquid, ita ut non habuerit in sua potestate sese determinare ad aliud, non fuit indifferens, *conc. maj.*; qui semper fuit determinatus, ita ut in sua potestate habuerit sese determinare ad aliud, non fuit indifferens, *nego maj. Contradist. mino. in eodem sensu, et nego cons. et consequens.* Æternitas determinationis in Deo non tollit indifferentiam electionis; electio enim non postulat essentialiter instans aliquod exercitio suo prævium; sed exigit unice, ut quo momento actus ponitur, agens possit illum non ponere pro arbitrio, seu ut nulla antecedente aut concomitante necessitate irretiatur.

Obj. II. Beati in cælo, cum Summum Bonum intuitive vedeant, non possunt eum non amare, et tamen libere eum amant, etenim ipsorum amor actus humanus est; ergo etc.

Resp. Nego, beatos libere Summum Bonum Deum amare; *ad rat.:* ipsorum amor etc., *dist.;* ipsorum amor beatificus est humanus quoad substantiam operis, *conc.;* quoad modum operandi, *nego.*

Obj. III. Probatissimi Auctores sæpe vocant liberum id, quod est voluntarium; et coactum id, quod est neces-

sarium (1); ergo veram libertatem constituerunt in libertate á coactione.

Resp. Nego conseq. Ex eo enim, quod hæc vocabula *liberum*, et *voluntarium*, *coactum* et *necessarium* promiscue usurparunt plures ex probatis Auctoribus, male infertur ipsos non admisisse nisi libertatem, quæ dicit immunitatem á coactione, sed tantum sequitur in more positam fuisse hanc denominationis æquivocationem. Sic etiam nos in familiari sermone *voluntarium* sæpe dicimus id quod est *liberum*, et *coactum* id quod est *necessarium*. Ex contextu autem verborum planum est intelligere, eos Auctores promiscue non usurpasse hæc vocabula, quasi existimassent libertatem positam esse in immunitate á coactione: siv. v. gr. quando S. P. Augustinus adversus fatalistas dicit: *homines juste puniri, qui prævidentur peccaturi, quia Deus præscientiâ suâ non cogit facienda, quæ futura sunt* (2), manifeste apparet, ipsum noluisse his verbis asserere, homines liberos tantum esse á coactione; alioquin salvum remaneret fatalistarum intentum, injuste videlicet puniri peccata prævisa; quia licet ad hæc facienda non cogeretur, necessitaretur tamen voluntas.

195. Præstabilito quod essentia libertatis non consistit in immunitate á coactione, sed in indifferentia activa, quâ voluntas immunis ab omni antecedenti necessitate sese determinat ad actum, jam possumus hanc definire et species varias ac existentiam consignare atque demonstrare. Itaque

Libertas est: Illa voluntatis vis ac virtus, quâ, suiipsius dominium habens, sese determinat ad actum eliciendum

(1) Hic adducunt janseniani præsertim S. P. Augustinum et S. Thomam. Cons. Bertium; Suarezium; Bellarminum, *locis citatis*; et Joa. Perron., *Prælect. theol., tract. De Deo creatore, part. 3. cap. 5. De peccati orig. effect. Prop. 1.—2.*

(2) Lib. *De libero arb. c. 4. n. 11.*

vel non eliciendum, ad eliciendum hoc vel illud, seu: Facultas, aut potentia activa, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest ex se agere, vel non agere, hoc vel illud eligere. Vel pressius: *Vis electiva mediorum servato ordine finis* (1). Vocatur etiam libertas hæc *liberum arbitrium*, et *libertas electionis*, seu *indifferentiæ*.

196. Jam vero in illis verbis *vis electiva, potentia activa, quæ ex se agit*, consignatur, libertatis intrinsecum constitutum essentiale, quod consistit in immunitate ab intrinseca determinatione; hinc S. Thomas inquit; «*Libertas arbitrii consistit in potestate aliquid eligendi*» (2).

Cætera verba palam faciunt: 1.º In intentione ultimi finis non reperiri libertas; hic finis, ut jam supra diximus, est felicitas undequaque perfecta, ad quam ex naturæ determinatione inclinamur, neque circa hanc dominium ullum habemus in actibus voluntatis, «*appetitus ultimi finis*, ait «*Doctor angelicus* (3), non est de his, quorum domini sumus.» Quare actus, quo voluntas in ultimum finem fertur, *intentio finis*, non *electio* appellatur (4). Per hanc ultimi finis intentionem intelligitur etiam intentio in bonum universe sumptum, et in Deum intuitive cognitum; quia nullam in his intellectus potest apprehendere speciem mali: 2.º Libertatem ibi solum reperiri, ubi habetur voluntatis electio, hæc autem locum habet circa bona finita particularia et circa Deum, dum in hac vita versamur, quia tantummodo Eum cognoscimus per argumentationem et conceptibus analogicis, quæ cognitio, imperfecta cum sit,

(1) *Sum. th.* 1. p. q. 82. á. 8. ad 3.

(2) *Sum. th.*, 1. p. q. 83. á. 3.

(3) *Ib.* q. 82. á. 1. ad 3. et 1.º 2. q. 10. á. 1. Et Scotus, *en lib. 4. sent. Dist.* 49. q. 10., ait; «*Natura non potest remanere natura, quin inclinetur ad suam perfectionem, quia si tollas illam inclinationem, tollis naturam.*»

(4) *Suarez. De gratia, Prol.* 1.

non explet nostrum desiderium ita, ut in ea beatitudinem perfectam reperiamus; etiam circa media illa, quæ ad felicitatem assequendam conducunt, dummodo non necessario connexa videamus esse cum felicitate, quia si intellectus perspicit media necessario copulata cum ultimo fine, tunc eadem efficacitate, quâ voluntas vult finem, vult illa media; hinc S. Thomas ait (1): «electio est *præacceptio* unius respectu alterius;» ipsaque hæc vox *electio* confirmat, quæ á græco usurpata *optio* á latino optime diceretur, hinc illud: *Optio nobis datur: eligite hodie quod placet* (2).

3.º Consignatur etiam, libertatem electionis requirere duos saltem terminos; alioquin non daretur facultas eligendi aut optio, si non possit quis nisi unum determinate prosequi aut aversari; atque etiam hanc libertatem, prout homini convenit, expostulare momentorum consultationem, seu deliberationem, quæ constituitur ex eo, quod voluntas, cum intendit in aliquem finem, investigat naturam mediorum eorumque utilitatem ad illum finem assequendum. Et sane, non potest unum præ alio medio eligi, nisi naturam mediorum eorumque utilitas ad illum assequendum cognoscantur. Hinc est quod non semel aliquem finem volumus ac deinde deliberando de mediis eum rejicimus. Jam vero hæc media homines nonnisi per ratiocinationem, ac proinde per deliberationem cognoscere possunt. Ergo deliberatio est *accidens* libertatis humanæ. Dixi *accidens*, quia ad essentiam libertatis etiam humanæ non pertinet deliberatio (3).

4.º Denique per illa verba: *servato ordine finis*, consignatur: 1.º media ut media non propter se, sed propter finem

(1) *Sum. th.* 1.ª 2.ª, q. 13. á 2, in princ.

(2) *Josue, c.* 24. v. 15.

(3) *Cons. S. Thom.* 1.ª 2.ª, q. 14. á. 4. *ad* 1. et in *lib.* 1. *Sent. dist.* 40. q. 1. á 2, *solut.*; *Emm. Card. de Lucerna, Disert. de homin. lib.* P. 1.ª

eligi: 2.^o indicatur, potentiam peccandi, seu á debito fine aberrandi non pertinere ad essentiam libertatis, etsi in hominibus tum propter limitationem intellectûs ad cognoscendum verum bonum (1), tum voluntatis ad eum amandum, una cum cæteris libertatis speciebus facultas peccandi inveniri potest.

Et sane quod suam habet originem et causam á sola limitatione, imperfectione ac debilitate cognitionis et amoris, illud non solum non pertinet ad essentiam liberi arbitrii, sed est potius ejus limitatio ac imperfectio; atqui talis est facultas peccandi, quæ omnino adversatur fini seu perfectioni homini præstitutæ ac debitæ; Quare enim á recto fine aberramus, nisi quia veram felicitatem ac beatitudinem, quæ consistit in posidendo Deo per intellectum et amorem, nec perspicue et perfecte cognoscimus, nec diligimus quantum diligere debemus? Hinc in cœlo, ubi Deum videbimus *facie ad faciem*, cessabit peccandi facultas, nec tamen cessabit liberum arbitrium. Hinc S. Pater ait: «*Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato*» (2). Hinc Apostolus: *ubi autem spiritus Domini, ibi libertas* (3). Merito igitur concludit S. Thomas: «Ubi non est defectus in apprehendendo et conferendo, non potest esse voluntas mali in his, quæ sunt ad finem, ut patet in Beatis. Et pro tanto dicitur, quod velle malum, nec est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit quoddam libertatis signum» (4). Sic ægritudo est signum vitæ (5).

(1) «Libertatis enim radix, ut observat S. Thomas, est voluntas sicut subjectum, sed sicut causa est ratio; ex hoc enim voluntas libere potest ad diversa ferri, quia ratio potest habere diversas acceptiones boni,» 1.^a 2.^a, Q. 17. á 1 ad 2.

(2) *De Corrept. et Grat.*, c. 11.

(3) *Ep. II. Corint.*, c. 3. v. 17.

(4) *QQ. Disp. de verit. q. 22 á 6. in c. ad fin.*

(5) Cum hæc ita sint, patet quid sentiendum sit de iis (*Liberales* per antiphrasim) qui libertatis naturam collocant in licentia opi-

197. Ex hactenus disputatis varias jam libertatis species determinare possumus. Itaque

1.º Alia est libertas *exercitii*, quæ etiam libertas *electionis*, libertas *indifferentiæ* etc, nuncupatur; alia libertas *executionis*. Prima est ipse actus intrinsecus, quo voluntas sese determinat ad eligendum et habet pro objecto ipsos voluntatis actus. Altera ex facultas exercendi seu efficiendi extrinsecus id, quod voluntas eligit, ut ambulare, meditari etc., et habet pro objecto hos exteriores actus.

Libertati exercitii opponitur necessitas intrinseca seu determinatio antecedens ad unum, quæ secum trahit impossibilitatem oppositi. Hujus intrinsecæ necessitatis immunitas vocatur *libertas à necessitate*. In hac consistit essentia libertatis, ut probavimus.

Libertati executionis opponitur violentia seu coactio, ut cum quis impeditur ab aliquo moliendo, vel cogitur ad aliquid faciendum vel omittendum contra suam voluntatem

nandi, in voluntate legem transgrediendi, in facultate religionem quamcumque eligendi, in potentia omnia ad libitum agendi, in immunitate homines quosque probos calumniandi ac persequendi, divina et humana æque subvertendo et conculcando, ut his miserandis tristibusque temporibus quotidie accidit. Audiant nostri *liberales* vel ipsum J. J. Rousseau, ipsis apprime quadrat. (*Contr. Social. lib. 4.*) «Yo me rio de aquellos pueblos envilecidos que dejándose sublevar por una raza de facciosos se atreven á hablar de libertad, sin tener siquiera de ella una idea, y que teniendo el corazon lleno de todos los vicios de los esclavos, se imaginan que para ser libres es necesario ser sediciosos é impios.—La libertad, como contestó muy bien Aleuino, es la inocencia, y lejos de consistir en emanciparse el hombre de la ley y en creársela por sí mismo, consiste en observarla fielmente.—Guicciardini (ait ad rem) «Burlaos de aquellos que van predicando libertad, no digo de todos, pero exceptuo muy pocos; qualquiera de estos que esperara estar mejor en un estado de dependencia, que en uno libre correria á él como el correo á la posta.» Cons. Ab. Ludov. Mozzi, *Proyectos de los incrédulos sobre la destruccion de los Regulares..... etc.*

seu voluntatis imperium. Hujusce coactionis immunitas vocatur *libertas á coactione*, quæ, uti demonstravimus, non pertinet, aut non requiritur ad essentiam libertatis.

Fieri potest ut quis una fruatur et alterâ non, et vice versa.

2.º Libertatis indifferentia seu electio versari potest vel circa actum, quatenus voluntas potest velle, vel non velle; vel circa objectum, quatenus voluntas potest velle hoc vel ejus oppositum, vel aliud quidpiam; ex hac triplici specie terminorum electionis, triplex etiam distinguitur *humana* libertas, *contradictionis*, scilicet, *contrarietatis* et *specificationis*, seu *disparitatis*.

Libertas *contradictionis* est facultas alterutrum ex duobus contradictoriis eligendi, id est, actum aliquem eliciendi vel non eliciendi, amare, v. gr. vel non amare; meditari, vel non meditari etc.

Libertas *contrarietatis* est facultas alterutrum ex duobus contrariis eligendi, id est, aliquod objectum eligere vel ejus oppositum, ut amare aliquid vel hoc odio habere; eligere meditationem, vel eligere lectionem etc.

Libertas *specificationis* seu *disparitatis* est facultas eligendi alterutrum ex diversis, id est, eligere hoc vel quidpiam aliud, ut v. gr. studium vel deambulationem; hunc statum vel alium etc.

Dixi supra: *humana*; nam libertas *contrarietatis*, quâ possit eligi inter bonum et malum, cum ex defectu oriatur, nec in Deo, nec in Angelis et Beatis inveniri potest (1).

3.º Præter has libertatis species sunt duæ alteræ, quæ etsi ad essentiam libertatis necessariæ non sint, placet consignare.

Prima est libertas *á peccato*, et convenit tantum justis; de hac ait S. P. Augustinus (2): «erit voluntas tunc

(1) Cons. S. Thom. QQ. Disput. de verit., q. 22. á 6.

(2) Tract. 41. in Joan. n. 8.

»libera, si fuerit pia; eris liber, si fueris servus, liber peccati servus justitiæ, dicente Apostolo: *Nunc autem liberati á peccato, servi autem facti Deo.*»

Felix servitus, quæ nos liberat á crudeli captivitate dæmonis, mundi falaciis et passionum æstu!!!

Altera est libertas á miseria, et á pœna; quæ quidem nunc in spe est, re ipsa vero erit in coelis, cum *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt*, ut dicitur in Apocalipsi (1); Hanc libertatem efflagitabat Apostolus cum agebat: «*Quis me liberabit de corpore mortis hujus* (2).»

198. Explicatis naturâ libertatis et variis ejus speciebus, nunc demonstrandum est contra omnis generis *Fatalistas*, inter quos his temporibus eminent Physiologi materialistæ, qui asserere non dubitant, á nonnullis dispositionibus physicis actus nostros necessario pendere (3), animam humanam veri nominis realiter libertate gaudere, ad quod sit sequens

PROPOSITIO. *Anima humana etiam in præsentis statu naturæ lapsæ verâ et proprie dicta libertate gaudet.*

I. *Prob. ex ipsa voluntatis relatione ad intellectum.* Illud solummodo objectum ex necessitate voluntatem movet, quod est ipsi adæquatum, nempe bonum undequaque perfectum, in quo nulla ratio mali apprehendi potest; quia solummodo hoc potest capacitatem voluntatis explere. Etenim sicut intellectus bonum undequaque perfectum apprehendit, id est, felicitatem, ita voluntatis inclinatio na-

(1) Cap. 21. v. 4.

(2) Ep. ad Rom. c. 7. v. 24.

(3) M. Broussais, *de Irritat. et man.*, pag. 215—217.; Cabanis, *Relatio. inter physicum et moral. hom.* Tom. 1. pag. 152.; Georget, etc. etc.

turalis est ad bonum hujusmodi (1). Atqui intellectus humanus, dum in hac vitâ versamur, non potest determinate cognoscere in quo objecto realiter illud bonum undequaque perfectum seu felicitas reperiatur. Ergo voluntas si aliquod eligit, in tantum eligit, in quantum libere ad illud se flectit. Ergo etc.

Prob. min. Quævis bona particularia limitata sunt, et à perfecti boni ratione deficiunt, ita ut secundum varias rationes apprehendi possint ut bona, ut non bona, ut mala. Proinde hæc bona nec naturalis inclinationis sunt proportionatum objectum, nec capacitatem voluntatis explere possunt. Deum autem, qui est bonum absolutum seu undequaque perfectum atque vera hominis beatitudo, nemo, dum in hac vita versatur, potest apprehendere ac cognoscere in se ipso seu intuitive ac experimentaliter. Ergo homo, dum in hac vita versatur, non potest cognoscere determinate in quo objecto realiter summum bonum seu felicitas perfecta reperiatur. Ergo sicut repugnat, effectum excedere suæ causæ virtutem, et capacitatem infinitam actu finito expleri; ita repugnat, ut quæcumque bona, quæ in hac vita cognoscimus, necessario ad se trahant voluntatis inclinationem. Ergo etc.

II. *Prob. ex sensu intimo.* Sensus intimus est motivum infallibile judicandi circa præsentis animi affectiones, quas testatur (2); atqui libertas est animi affectio, quam in nobis inesse nunc testatur sensus intimus; ergo etc. Quod autem libertas sit affectio animæ, quam intima experientia quotidie docet, evidenter patebit ex sequenti argumento: Si ens aliquod esset liberum, non aliter profecto certius ac melius posset cognoscere se habere libertatem, quam: 1.° si ipsam libertatis radicem sentiret in se ipso, quæ est, ut modo diximus, intellectûs iudicium

(1) Cons. S. Thom. *QQ. Disp. de verit. q. 23. a. 4.*

(2) Cons. Log., *Lect. 39.^a, pag. 243.*

de re quavis multiplex et varium, ac tale iudicium, quod ad nullam rem appetendam necessitate absoluta eum traheret, ac propterea experiretur quod positus omnibus ad agendum requisitis, nulla tamen ex requisitorum parte adesset vis, cur potius ad unius rei, quam ad alterius electionem se determinaret: 2.° si in ipsa determinatione ita suam agnosceret activitatem, ut unice ab ipsa repetere deberet, cur hoc et non illud elegerit: 3.° si sentit se frequentissime de eligendis deliberare, nec raro se eligere quia vult: 4.° si posito quod post electionem res prospere aut adverse successerint, pro primis se congratularetur ac laudaret, et alias se similiter vel melius proponeret acturum, si autem male res successerit seipsum accusaret ac reprehenderit, et contraria deinceps se acturum statuit. Atqui hæc omnia in nobis adesse intimi sensûs esperientiâ edocemur. Ergo sensus intimus in nobis inesse veram ac proprie dictam libertatem testatur. *Major* hujus argumenti patet ex natura libertatis; *minor* ex experientia quotidiana. Ergo verum omnino *consequens*.

Ad præcavendas objectiones contra hoc argumentum, notandum est, objectum sensûs intimi proprium in hoc casu esse libertatem; non enim testatur tantum nos velle, vel non velle, sed habere in nostra potestate activitatem voluntatis, ita ut nobis competat verum dominium supra actum vel ejus omissionem, ipsumque pro libitu possimus ponere vel non ponere, hunc vel illum eligere, ut patet ex eo quod de futuris prævidemus, sponsiones facimus, consultationem instituimus, rationum pondera expendemus, etc. etc., habemus enim, ut alibi diximus, de nostra libertate conscientiam á priori. *Sentit animus*, ait Tullius (1), *se moveri; quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri*.

III. *Prob. ex consensu generis humani*. Omnes populi

(1) Quæst. Tuscul., Lib. 1. c. 23.

omni tempore existentes in libertate agnoscenda unanimiter consenserunt, ut probant simul et consultationes ac deliberationes, quæ de rebus gerendis instituuntur, et pacta inter homines inita, et differentia ab omnibus agnita inter bonas et malas actiones, et ipsa aversio naturalis in immoralitatem; item historiæ et monumenta, etc. Atqui hæc consensio universalis et hæc propensio invincibilis in admittenda libertate, ab alio fonte, quam à veritatis evidentia oriri non potuit. Vel enim ita est, vel, ut volunt fatalistæ, oritur ex ignorantia aut ex defectu attentionis; atqui repugnat in re tanti momenti, tamque obvia et tam sæpe ad examen revocata, genus humanum universum attentione aut scientiâ caruisse. Præterea adversarii suo gladio se jugulant; ipsi enim nullum non movent lapidem, ut homines ad suam setentiam attrahant ac pervertant, quod quidem fieri non posse et ipsi sciunt, nisi homines liberi forent (1). Ergo ex consensu generis humani etc.

(1) Præstat apponere sequentem demonstrationem Nemesii Episcopi Emesini: «Si nullius actionis homo auctor est, supervacaneæ habet »consultandi facultatem. Quorsum enim utetur deliberatione, si nullius »actionis est dominus? Facere autem, ut quod pulcherrimum est et »præstantissimum in homine supervacaneum sit, absurdissimum est. »Quare si consultat, agendi causa consultat: Omnis enim deliberatio »actionis causa, et propter actionem instituitur.... Præterea sunt au- »tem in nostra potestate functiones cum virtute consentaneæ, quare »et virtutes in nostra potestate sunt.... Itaque in nobis situm est justos »esse aut injustos. Esse autem aliqua in nostra potestate, cohortatio- »nes et admonitiones ostendunt. Nemo enim hominem hortatur ad non »esuriendum, vel ad non sitiendum, neque ad volandum; non enim »hæc in nostra potestate sunt.... Præterea si nihil in nostra potestate »est, supervacaneæ sunt leges; et tamen naturaliter omnes gentes le- »gibus quibusdam utuntur, quod sciant se habere potestatem agendi, »quæ legibus sanciant, et pleræque gentes leges suas ad deos auctores »referunt, ut Cretenses ad Jovem, Lacedemonii ad Apollinem. Quare

IV. *Prob. ex legibus ac pœnis*, quæ apud omnes gentes fuerunt statuta. Nulla est gens tam barbara, quæ non habuerit leges præmiis et pœnis sancitas; atqui si non esset libertas, dicendum esset, hæc omnia stulte et injuste fuisse statuta. Ad quid enim istæ leges vel fædera, quæ violarentur hac ipsa necessitate, quâ fuissent instituta? Quid injustius, quam leges illis imponere, et pœnis eos mulctare, quos *fata* regerent ineluctabilia? Quis unquam mente sanus punivit aut punire cogitavit actionem somniantis, aut amentis etc.? Vituperatione demum et pœnis dignum judicare, quem trahit necessitas, est summa crudelitas et omnino à natura rationali aliena, ut eleganter ait S. P. Augustinus: «Etiam hi libri obscuri
»scrutandi erunt, unde discerem, neminem vituperatione
»suppliciove dignum, qui aut id velit quod justitia velle
»non prohibet; aut id non faciat quod facere non potest?
»Nonne ista cantant et in motibus pastores et in theatris
»Poëtæ, et indocti in circulis, et docti in bibliothecis, et
»Magistri in scholis, et Antistites in sacris locis, et in
»orbe terrarum genus humanum?» (1)... «Peccati reum
»tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit,
»summæ iniquitatis est et insanix» (2).

V. *Prob. ex absurdis*, quæ sequuntur ex doctrina adversariorum. Absurdum sane est contendere; 1.° nullam esse auctoritatem, nullam obedientiæ legem: 2.° ideas virtutis et vitii mera esse figmenta: 3.° nullas grates esse

»naturaliter omnium hominum mentes, hæc imbuit opinio: Esse aliqua in nostra potestate... etc.» Nemesius episc. Emisenus; opus vere aureum: *De natura hominis*, cap. XXXIX. Vixit hic Nemesius sæc. Ecclesiæ IV. Hoc ejus opus olim adscriptum fuit S. Gregorio Niseno B. Basili Fratri, et invenitur ad calcem op. S. Gregorii Nazianzeni; et in *Bibliotheca veter. Patrum etc.*, vol. VII. edit. venetæ.

(1) *De duabus Animabus*, cap. 11.

(2) *Ib.* cap. 12. n. 27.

benefactoribus rependendas: 4.° omnem pœnam et supplicium esse injustum: 5.° omnia consilia vana esse, omnesque prudentiæ regulas esse inutiles: 6.° omnes minas et adhortationes esse insanas: 7.° nulla officia sive erga Deum, sive erga proximum ab hominibus esse adimplenda: 8.° nullum existere peccatum, aut saltem Deum esse auctorem peccati. Atqui hæc omnia fluunt necessario ex fatalistarum doctrina, et per hanc lata omnibus sceleribus aperitur via. Ergo de ipsa, sicuti olim Tullius de doctrina Epicureorum, dicendum est, *potius à Magistratibus esse puniendam, quam à Doctoribus reffellendam.*

Supersedemus ab aliis rationibus et ab auctoritatibus adducendis, præsertim sub respectu Theologico; hæc enim veritas etsi evidentissime demonstretur, magis adhuc vivide sentitur.

Solvuntur difficultates.

199. *Obj. I.* Voluntas humana est indifferens; atqui quod ex se indifferens est, determinatur ab alio; quod autem ab alio determinatur agit necessario non libere; ergo etc.

Resp. Dist. maj. Voluntas est indifferens indifferentiâ activâ et electionis, *conc. maj.*; indifferentiâ passivâ, *nego maj.*; *contradist. min.*, et *nego cons.* et *consequens.* Indifferens hîc intelligitur quod nondum est determinatum ad unum. At duplex est indifferentia: alia *passiva*, vi cujus quidpiam impotens est atque ex se inhabile mutando statui; sic v. gr. materia propter suam inertiam indifferens est ad motum vel ad quietem; cera ad hanc vel illam figuram inducendam: alia indifferentia est *activa*, quando, scilicet, aliquid seipsum determinare statumque mutare propriâ determinationem potest. Talis est indifferentia animæ; nam in actu primo próximo constituta, non est determinata ad unum, sed se ipsam determinat vi propria, ut

ex sensu intimo nobis evidenter constat. Sentit enim anima se moveri ad hoc vel illud et simul se moveri vi sua non aliena; positisque ad agendum omnibus requisitis, utrumlibet ex contrariis, vel contradictoriis, vel disparatis eligit, sicque non aliunde determinatur, sed ipsa vi sua tollit indifferentiam, quod non destruit, sed probat libertatem.

Inst. 1.º Anima non potest se determinare, nisi prius moveatur ab alio, id est, á bono, ut motivo *sine quo* nihil agere potest; ergo est indifferens indifferentiâ passiva.

Resp. Dist. ant. Nisi prius moveatur á bono, id est, nisi præcedat aliqua cognitio objecti et boni alicujus in objecto, quo *alliciatur* appetitio, *conc. ant.*; nisi volitio ipsa ab illo bono determinetur, *nego*. Itaque voluntas non potest se determinare, nisi bonum aliquod intellectus ei renuntiet: *ignoti enim nulla cupido*; hoc autem bono cognito, aliqua appetitio talis boni necessario sequitur, ob innatam ad bonum in genere inclinationem, hic spontaneus motus vocatur *primo primus*; hanc tamen appetitionem suspendere aut coërcere potest voluntas, imo etiam mutare in aversionem; cum enim illud bonum, quod in præsentí statu animæ repræsentari potest, sit finitum, vel si infinitum non nisi obscure et inadæquate cognitum et cum difficultate conjunctum, semper repræsentatur mixtum cum aliquo vel reali, vel apparenti malo; ergo ad illud non necessario trahitur anima; sic potest attendere vel ad rationem boni, illudque eligere, vel ad rationem mali, illudque respuere.

Inst. 2.º Anima, cum necessario amet suam beatitudinem, quod sibi videtur melius necessario amplectitur; ergo libera non est.

Resp. Dist. ant. Necessario amplectitur quod sibi videtur melius sub omni respectu, *conc. ant.*; quod sibi videtur melius sub aliquo respectu tantum, *nego ant.* Nam eo ipso quod objectum aliquod non sit melius sub omni respectu, intellectus noster pro sua in cognoscendo amplitu-

dine, potest duo illa bona repræsentare simul ut duo meliora sub diversis respectibus spectata; voluntas autem inter duo illa meliora sese determinat ad alterutrum, prout vult. Unde etiam, cum eligit minus bonum præ majori, dici potest melius assumere; siquidem illud bonum sub aliquo respectu spectatum, reapse melius est sub altero respectu. Jam vero in præsentī statu omne bonum, quod menti repræsentatur, sub quibusdam respectibus consideratum, majus est altero bono, et minus sub aliis. Etenim plerumque quod melius est secundum rationem, non est melius secundum cupiditatem, et quod bonum est tum secundum rationem, tum secundum cupiditatem, potest adhuc minus bonum videri quam exercitium libertatis, in quo exercitio potest etiam voluntas suum bonum collocare; ergo anima, licet necessario suæ beatitudinis amans sit, remanet semper libera in electione quorumlibet objectorum, quæ sibi obversantur.

Inst. 3.º Intellectus est potentia necessaria, non libera in suis actibus; atqui voluntas necessario amplectitur id, quod intellectus melius judicat; ergo voluntas necessario, non libere, se determinat.

Resp. Conc. maj.; Dist. min. Voluntas necessario amplectitur id, quod intellectus melius judicat *speculative, nego min.*; quod melius judicat *practice, subdis. min.*, et hoc judicium practicum supponit jam electionem ex parte voluntatis, *conc. min.*; non supponit, *nego min.* Judicium *speculativum* intellectus est illud, quod rationem boni in objecto renuntiat, ac propterea quasi affirmat illud esse *eligibile* sub tali vel tali respectu, scilicet, medium propositum esse utile, omnibusque consideratis, aptum ut eligi possit: *practicum* est illud, quod pensatis omnibus adjunctis definitive pronuntiat objectum *esse actu eligendum*. Hinc voluntas, ut se determinet, indiget quidem judicio speculativo, cum non possit tendere ad objectum, quod sub nullo respectu renunciatur ipsi ut bonum; at si id,

quod renuntiatur ab intellectu ut bonum, non est sub omni respectu melius, quod solummodo potest esse Bonum infinitum intuitive visum, tunc voluntas non necessario se determinat in id, quod intellectus melius judicat: quoties enim verum est illud Medææ: *video meliora proboque, deteriora sequor?* Judicium autem practicum non prærequiritur ad voluntatis determinationem; ut enim voluntas possit se determinare, sufficit judicium speculativum renuntians, quod tale objectum sit bonum ac eligibile sub aliquo respectu; unde judicium practicum non præcedit, sed concomitatur seu potius consequitur voluntatis actum. Cum enim mens judicat, hoc esse actu eligendum, voluntas proprie jam se determinavit, siquidem judicium istud denotat quod anima adhæreat huic bono, illudque amplectatur; atqui hæc adhæsiō fieri nequit, nisi per electionem ipsam, quam judicium practicum confirmat; ergo hoc judicium subsequitur potius voluntatis actum, non autem præcedit, nec proinde lædit libertatem.

Nota. Aliqui respondent, voluntatem sequi semper judicium ultimum practicum intellectus, et simul hoc judicium a voluntate pendere, quia pro libitu suo applicat intellectum ad hæc motiva potius quam alia consideranda: ast contra, si ad determinationem voluntatis prærequiritur judicium practicum, debet esse igitur aliud judicium practicum, ut voluntas se determinet ad applicandum intellectum, et ita usque in infinitum, quod repugnat. Si vero ad istud imperium voluntatis non prærequiritur judicium practicum; ergo voluntas potest se ad aliquid determinare sine judicio practico; ergo falsum est, voluntatem sequi semper judicium practicum intellectus (1).

200. *Obj.* II. Non datur libertas indifferentiæ in voluntate, si voluntas nihil a semetipsa incipere potest; at-

(1) Cons. Salv. Tong., *Instit. philo.*, tom. 3., *Psychol.*, lib. 3. c. XI. art. 5. Petrum Fourn. *Instit. philosoph.*, *Metaph. speci.* cap. 2. art. 3.

qui ita est; nam Deus, et non homo, est, qui omnia disponit, agit et eligit; ergo etc.

Resp. Dist. maj. Si voluntas nihil á semetipsa incipere potest, ut causa prima independens, *nego maj.*; á semetipsa ut causa secunda á prima dependens, *conc. maj.* et *nego min.*; etenim Deus ita movet voluntatem, ut congrüenter ejus libertati sese accommodans ejus naturam non solum non destruat, sed constituat ac perficiat. «Nam ad » *Providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare,*» ut ait Auctor libri *de divinis Nominibus* (1). *Ad ratio add. Dist.*; Deus omnia operatur, disponit etc. in nobis sine nobis, *nego*; cum nobis ex propria electione et determinatione operantibus, *conc.* (2). «Non voluntatis arbitrium ideo tollitur, ait S. Pater, quia » *juvatur: sed ideo juvatur, quia non tollitur*» (3). Et alibi: «Initium salutis nostræ Deo miserante habemus; ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est; » *ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, » divini est muneris: ut non labamur in adepto salutis munere, sollicitudinis nostræ est et cœlestis pariter adjutorii: ut labamur, nostræ potestatis est et ignaviæ* (4).»

De his vero alibi agendum est.

201. Antequam huic Disputationi finem apponamus, placet paucis dicere aliquid de *indifferentismo*, et *determinismo*.

Indifferentismum jam notum in schola mediæ ætatis sub nomine *libertatis indifferentiæ*, contendit, essentiam libertatis consistere in eo, quod voluntas se determinet ad hoc vel illud eligendum absque *ullo motivo*, absque ulla inclinatione, nempe absque ullo judicio, quo intellectus

(1) Lib. 4.

(2) Cons. S. Thom. 1.^a 2.^æ, q. 10. á 4.

(3) *Epist.* 89 ad Hilar.

(4) *De Ecclesiast. dogmatibus*, cap. 21.

renuntiet bonitatem et convenientiam objecti: *Placet, quia eligitur*, hoc est indifferentismi pronuntiatum. Hunc scholæ Ockami errorem instauravit Kingius Archiepiscopus Dubliniensis, sub initio sæc. proxime elapsi (1).

Ad hunc errorem destruendum sufficit observare: 1.º hunc errorem originem ducere á confusione vocis *indifferentiæ*; duplex est enim indifferentia; alia est *indifferentia inclinationis* inter duo vel plura objecta, et strictius indifferentia ad varias modificationes suscipiendas; hæc vocatur indifferentia *passiva*; altera est indifferentia *potestatis inter duas determinationes*; et vocatur indifferentia *activa*, hæc pertinet ad essentiam libertatis, non vero illa. Nihilominus indifferentismi patroni has confundunt: 2.º Voluntatem esse facultatem, quæ apud omnes inter intellectrices annumeratur; jam vero non esset hujusmodi, si sine ullo rationis momento se exercere posset: 3.º Omnem liberam actionem necessario supponere intentionem finis in agente; hæc autem finis intentio supponit cognitionem finis et deliberationem circa media; ergo supponit necessario motivum aliquod; cognitio enim finis et mediorum deliberatio sunt motiva ac ratio, quibus voluntas se determinat. Omittimus alia plura (2).

202. *Determinismum* per oppositam é diametro viam ad eundem ac indifferentismum scopum pervenit, ad negationem, scilicet, libertatis.

Determinismi patroni (3), principium rationis sufficientis male applicantes, statuunt, voluntatem semper ac necessario se determinare propter et secundum validius motivum. Dicunt enim, rationem sufficientem volitionum

(1) King, *De origine mali*.

(2) Hanc Ockami doctrinam Angelicus Doctor *stultam* vocat: «*Stultum est dicere quod aliquis appetat propter appetere.*» *De anima*, lib. 3. *Lect.* 15., *Cons. Sum. th.*, 1.ª 2.ª, q. 19. á. 5.

(3) Præcipuus est Leibnitius.

aut nolitionum nostrarum repetendam esse á repræsentatione majoris vel minoris boni, ac voluntatem in bonum majus suo pondere et naturâ inclinari, ac proinde nos semper eligere id, quod est optimum. Inde deducunt inter duo bona æqualia, neutrum á nobis eligi posse; non est enim hoc in casu ratio sufficiens electionis, atque inter duo bona inæqualia, bonum majus necessario á nobis eligi. Uno verbo voluntas est veluti bilanx, quæ si utrinque æque gravis fuerit, nullum unquam dabit præpondium; quod si alteri ex lancibus adjectum quidpiam vel detractum fuerit, eam in illam partem necessario præponderabit (1).

Putant vero hi, libertatem sartam tectamque manere ex eo, quod in nostra potestate sit, consultationem instituire circa motiva, quæ ad volendum impellunt; neque solum oblata motiva accuratius considerare possimus, sed etiam ab iis mentem avertere, ac nova conquirere; atque ideo illa necessitas est solummodo moralis.

Jam vero ut multa paucis complectar:

203. Dico. *Positio defensorum determinismi falsissima est.*

Ac primo, ipsi male applicant principium rationis sufficientis. Ratio enim sufficiens volitionis dupliciter intelligi potest: vel est id ex quo necessario sequatur volitio; vel id quod sufficiens sit, ut volitio eliciatur. Si ratio sufficiens primo modo intelligatur, nulla est hujusmodi ratio cum de voluntate agitur, alioquin jam actum est de libertate. Si intelligatur secundo modo, ratio sufficiens volitionis non ipsa volitio est, sed est: 1.º ipsa indifferentia

(1) Ab hac erronea sententia non multum distant, qui dicunt: voluntatem necessario determinari á prævio judicio pratico, quodque judicium aliunde requirunt, ut voluntas in liberum actum prodeat. Hi sunt nonnulli qui se dicunt Thomistæ, ut Caję. Sansev. *Elem. phi. etc.* Vol. 1. *Dynam.*, cap. 4. art V.

activa voluntatis cum generali inclinatione ad bonum: 2.^o objectum propositum, quod à voluntate appeti possit ut bonum: 3.^o finis ipse propter quem hoc vel illud eligit voluntas inter duo æqualia: ac 4.^o potest esse ipsum exercitium propriæ libertatis. Hæc quoad rationem sufficientem; deinde necessarium est, ut voluntas seipsam moveat. Unde sequitur, in actibus causæ liberæ rationem *determinantem* à ratione *sufficiente* differre.

Allucinantur igitur et male intelligunt determinismi patroni illam causalem, quam nobis veluti absurdam obijciunt: *volo quia volo*, id est, ratio sufficiens volitionis est ipsa volitio, quod cum absurdum sit, dicunt, necesse est petere rationem sufficientem determinationis voluntatis à repræsentatione majoris vel minoris boni. Allucinantur dico; nam hæc propositio: *volo quia volo* hoc significat: *volo media*, et *motivum quo adducor ad ea volenda, est quia volo finem*; volitio autem finis non est ratio sufficiens electionis, sed motivum sufficiens dumtaxat, ratio sufficiens sunt ea, quæ immediate exposuimus (1).

Secundo, nullum est bonum, quod sub diverso respectu consideratum, apprehendi non possit ut melius simul et ut minus bonum; nullum nobis se offert ut absolute bonum, et nullum in quo aliquam adjunctam imperfectionem non agnoscamus. Ipsumque Summum Bonum abstractive

(1) Cum agitur de voluntate libera (ut observat Storchenau, *Institutiones metaph.*, lib. 3., *Psych.*, part. 1., sect. 3. cap. 3., §. 129. schol. 1. in resp. ad. 5. diff.) non idem est *rationalis* et *rationalis*; etenim voluntas potest aliquid *rationaliter* appetere et *irrationabiliter* eligere. Quod toties fit, quoties aliquis ex certa scientia, deliberato proposito atque ex sola malitia legem divinam aut humanam transgreditur; talis enim est, qui eligit peccatum propter aliquod apparens bonum in ipso apprehensum, quod tamen scit et actu cognoscit in se grave malum esse, juxta illud Medææ: ... *Aliud Cupido, -Mens aliud suadet; Video meliora proboque, -Deteriora sequor.*

et obscure cognitum, sicut in hac vita á nobis cognoscitur, non replet omnes animæ nostræ facultates; ergo etiam ab ipsius amore, ut nimis frequens fit, voluntas abstinere potest.

Denique *tertio*, illud non potest admitti, quo posito periret libertas; atqui si repræsentatio boni aut mali esset ratio sufficiens nostrarum determinationum, periret libertas. Nam posita ratione sufficiente necessario sequitur rationatum; ergo si repræsentatio boni aut mali esset ratio sufficiens cujuscumque determinationis, omnis determinatio esset necessaria, ac proinde periret libertas; quandoquidem hæc repræsentatio non est libera.

Et vero si esset libera, vel esset libera quatenus ab intellectu perficitur, vel quatenus á voluntate imperatur; atqui neutrum dici potest in sententia adversariorum: non 1.^m, quia intellectus est potentia necessaria, non libera: non 2.^m, quia hoc imperium voluntatis, utpote determinatio, novâ rursus boni repræsentatione indigebit, de qua eadem redibit quæstio, et sic usque in infinitum, quod absurdum est. Perperam autem, ut libertatem salvent, ad consultationem aliquam præviam recurrunt. Nam hæc consultatio ut libertatem salvet, debet esse libera; atqui juxta principia patronum determinismi libera esse non potest. Vel enim mihi melius videtur consultare, vel non: si 1.^{um}, necessario consultabo: si 2.^{um}, consultationem necessario omittam; ergo hæc consultatio libera esse nequit. Ergo defensorum determinismi positio falsissima est; ergo ratio sufficiens determinationis voluntatis ab ipsa indifferenti activitate voluntatis repetenda est. Exinde

Collig. 1. Ex duobus aut pluribus bonis æqualibus possumus utrumlibet eligere; nam ex dictis bona finita non necessitant voluntatem; ergo ipsa voluntas, pro sua activitate, ad unum aut ad alterum pro libitu potest se determinare.

2.^o Ex duobus aut pluribus bonis inæqualibus possu-

mus eligere, propter easdem rationes, quodcumque libuerit.

Rem hîc de voluntate et ejus essentiali proprietate, libertate scilicet, confecimus, si Vos nimis longa via molestiâ affectit, scire debetis, quod tantummodo dimidiate perlustravimus; ergo....

DISPUTATIO 14.^a—DE FACULTATE MOTRICE,
SEU LOCOMOTIVA.

204. Igitur præter facultatem vegetativam, quæ vim nutriendi, augendi, et generandi amplectitur et quæ nobis cum brutis et plantis communis est, atque sensitivam, quæ nobis et brutis competit, et alias, quas jam expendimus, est alia facultas, quæ considerari debet veluti appetitûs instrumentum, ac propterea ipsa est, quæ proprio nomine *facultas exsequendi* dici meretur. Et profecto quotidianâ experientiâ tum internâ, tum externâ nobis compertum est, inesse animalibus saltem perfectis vim seu facultatem ab uno loco in alium progrediendi, totiusque corporis movendi, et vócis edendæ, et respirandi. Hujusce facultatis motus seu actus consequuntur aliquam apprehensionem objecti boni seu convenientis, aut mali, cujus adipiscendi gratiâ vel fugiendi movemur. Itaque ejusmodi motus distingui debent ab illis, qui in corpore fiunt sine consilio, et perficiuntur quidem in animali, sed non ab animali, et vocari possunt *vitales, intestini* aut *mere naturales*; illi vero alteri proprii facultatis loco-motivæ vocari solent *animales* seu *translatitii*, et magis proprie *autonomici*.

205. *Facultas loco-motrix* definiri potest: *Vis seu potentia organica, quâ anima movet de loco in locum corpus sibi substantialiter ac physice conjunctum.*

Principium motûs, quem per electionem, aut per se animalia suscipiunt, est cerebrum et dorsi medulla; quippe quæ cerebri pars sit. Instrumenta sunt nervi, qui ex his

orti sunt, et ligamenta, et musculi. Musculi autem constant é carnibus et nervosis fibris, et tendinibus, qui cum nervorum fibris complicati sunt. Itaque tendo é ligamento et tenuibus nervis est compositus. Differt autem á nervo tendo, quod omnis nervus aliqua vi sensili est præditus, et rotundus, et molliusculus et á cerebro originem ducit; tendo vero et durior est et ex osse, et per se sensûs expers et latus aliquando. Nervorum duo systemata distinguuntur: alterum, *cerebro-spinale*, alterum *ganglioforme*. Nervi systematis cerebro-spinalis præ se ferunt speciem albicantium funiculorum disparis amplitudinis, constantque pluribus fibrarum fascibus colligatis, quarum primigeniæ tenuitate exæquant aranearum fila, in cylindri formam effectæ. Bifariam dividuntur hæ fibræ: aliæ á superficie humani corporis ad centrum impressionem objectorum transfundunt, atque hac de causa appellantur *sensiles* et *centripetæ*; alia transmittunt impressionem è centro ad organa motûs, et dicuntur *motrices* et *centrifugæ*. Jam vero sunt nervi, qui ex solis fibris sensilibus coalescunt; sunt qui ex solis motricibus; plerique tamen ex utrisque constant. Ast cum primum externa impressio á fibris sensilibus excipitur, totam earundem longitudinem pervadit, quin ad proximas transeat fibras; sed ubi in centrum pervenit impressio, inde ad motrices serpit, atque musculorum, qui iisdem inserti sunt, contractionem efficit (1). Hæc vero sub hoc materiali respectu, ut ita dicam, persequi ad Physiologos pertinet, nostrum est investigare: Utrum facultas locomotiva sit numero distincta ab aliis animæ facultatibus, quod sit ejus subjectum, et qualis ejus natura. Itaque

(1) Cons, S. P. Aug., *De Genesi ad litt.*, Lib. 2. c. 13., lib. 7. cap. 15.—17.—18.—19. et 20; Nemesium, *De Natura hominis*, cap. 26.—27.; Albert. Mag. *De anima*, Lib. 3. tract. 4.; S. Thom., *De anima*, variis in locis; Gall, *Anatomia etc.*, tom IV., pag. 291; Spurzheim, *Observations etc.*, pag. 335 seqs.

206. Hac in re non solum aberrarunt materialistæ, qui cum teneant, animam esse vel ipsum corpus, vel ejus partem, vel qualitatem aut temperamentum, vel subtiliorem aliquam purioremque materiam, motus locales nonnisi vel ab ipsa dispositione partium corporis, vel á vi corpori insita repeti posse contendunt, sed etiam aberrarunt omnes illi Philosophi, qui conjunctionem physicam ac substantialem animæ cum corpore vel negarunt vel male intellexerunt; inter hos eminent Plato, qui sensit animam corpori præesse ut nauta navi, eoque uti tanquam instrumento, itaque motus locales uni animæ tribuebat; item Cartesius, qui soli corpori hos motus tribuebat effectos á spiritibus animalibus, qui ad nutum voluntatis cientur; Leibnitius etiam hos tribuit soli corpori, cujus motiones omnes ac motus apprime respondent (juxta suum systema *armonice præstabilitæ*) motibus animi; denique N. Malebranchius et sui eos tribuunt animæ seu voluntati dumtaxat tanquam causæ occasionali, quæ non agit, nisi vi et efficaciâ Voluntatis Divinæ; hæc enim est, quæ agit omnia in omnibus. Nos vero paucis dicemus:

207. I. *Virtus motiva potentia est animæ ab aliis distincta, in partibusque ipsius corporis subjectata, seu organica.*

Prob. Prima pars. 1.° Anima nihil agere potest, nisi alicujus facultatis ope; atqui inter actiones animæ occurrit etiam illa, quâ corpus suum de loco in locum movet; ergo anima pollere debet facultate movendi corpus suum de loco in locum. *Major* est certa apud omnes. *Prob. minor.* Motus locales sunt operationes *vitales* et á principio activo provenientes; ergo *vivens* esse debet illud principium, á quo ipsi promanant; atqui corpus, prout est corpus, esse non potest principium vivens; ergo facultas movendi corpus non soli corpori, sed animæ tribuenda est. *Major* hujus argumenti patet; etenim si motus locales non essent á principio activo ac vitali, animal non se moveret,

sed moveretur ac determinaretur ab extrinseco, quod est contra suppositum; agitur enim de motu, quo animal *se movet* de loco in locum. *Minor* etiam patet; etenim, si corpus prout est corpus se moveret, omnia corpora essent viventia ac se moventia, quod est evidenter falsum; est igitur anima fons et principium omnis motus in rebus animatis.

Prob. 2.^o Anima non potest movere corpus, nisi ipsum tangat; atqui anima, cum sit partium experta, non potest tangere corpus contactu *physico*, nempe prout partes suas partibus corporis apponit, sed dumtaxat contactu *virtutis*, nempe prout aliquid in illud agit (1); ergo necesse est, ut sit in anima aliqua facultas, cujus virtute corpus suum moveat (2).

Prob. 2.^a Pars. *Hæc facultas est ab aliis distincta.* Et re quidem vera potentia distinguuntur ab invicem per actus et adæquata objecta; atqui actus et adæquatum objectum facultatis locomotivæ distinguuntur ab actibus et objectis aliarum potentiarum; ergo facultas etiam hæc ab aliis distinguitur. *Major* certa est apud omnes. *Minor* probatur. Ac primo, actio motiva, seu facultas habet pro objecto ac termino seu effectu localem motum et est actio transiens in membra disposita ad motum; atqui nulla ex aliis facultatibus hos actus, neque objectum habet; ergo etc.

2.^o Prob. speciatim. Hæc facultas distinguitur ab intellectu et voluntate; etenim intellectus et voluntas sunt inorganicæ; hæc autem est organica, ut immediate demonstrabimus; ergo etc. Distinguitur etiam a facultatibus organicis. Ac primo hæc non est ulla est facultatibus vegetandi; nam plantæ, in quibus vis vegetandi inest, nunquam incedunt, neque ullum organum ad incedendum in illis invenitur, insuper motus vegetativi exercentur sine

(1) Cons. S. Thom., *Sum. th.* 1. P. Q. 75. a 1. ad 3.

(2) Cajet. Sansev., *Elem. phil. etc.*, vol. 1. *Dynam.*, c. 5. art. 1.

motu locali, et vicissim motus locales sine vegetativis; ergo distinctis facultatibus tribuendi sunt. Distinguitur etiam á facultatibus sensitivis cognoscendi. Etenim: 1.° cesantibus motibus harum facultatum, motus facultatis motivæ exercetur, ergo etc.: 2.° motus de loco in locum fit ab animali, ut consequitur id, quod appetit, aut fugit id, quod molestum est; dum é contrario facultates cognoscendi in rerum apprehensione consistunt, neque ad illarum assecutionem progrediuntur.

Denique distinguitur á facultate appetendi, etsi ab hac motivæ facultatis actus imperari possint. Ac primo, facultas appetendi non solum membrorum motus imperare potest, sed etiam intellectûs, sensuum et phantasiæ actus. At certe harum facultatum actus nemo dicit ab appetendi facultate elicitos. Nulla igitur est ratio, cur membrorum motus sint actus ab appetitu eliciti, et non solummodo imperati.

Insuper aliquando etiamsi extet actus, quo appetitus in aliquem localem motum inclinatur, hic tamen motus exerceri non potest, quia pluribus causis tum internis, tum externis impediri quit.

Prob. 3.ª pars. Nempe hanc facultatem esse organicam. Ac primo si hæc facultas non esset organica, id est, in conjuncto animæ et corporis, esset vel in solo corpore, vel in sola anima; atqui neutrum dici potest; non in solo corpore, ut supra dictum est; non in sola anima, quia tunc anima non posset movere corpus: 1.° quia cum anima non sit *per se*, sed solum *per accidens* in loco, non se movet in loco *per se*, sed *per accidens*: 2.° si esset facultas inorganica non indigeret organis ad suos actus elicandos; atqui adeo indiget, ut si organa impedita sint, nullo modo actus elicit; ergo etc.

Insuper, facultas motrix est propria animalium; atqui facultates animalis, ut animalis, omnes sunt organicæ; ergo etc.

Præterea, facultas per quam anima movet corpus est organica, si anima per hanc facultatem movendi corpus aliquid extra se agit; atqui ita est; nam spiritus humani, ut S. Thomas ait (1), cum sint corporibus uniti, in exteriora operari non possunt, nisi medio corpore, ad quod sunt quodammodo colligati; ergo facultas movendi corpus, nequit ab anima exerceri, nisi per organum corporeum. Ergo si anima per aliquam facultatem organicam corpus movet, ipsa non per se, sed simul cum corpore est principium motuum localium; ergo ad exercitationem facultatis organicæ anima simul et corpus quidquam conferunt.

Denique, ab experientia constat; nam actus v. gr., quo scribo, non solum est actus vitæ, prout ab ipso appetitu elicitur, et appetitur, sed etiam prout ab ipsa manu executioni mandatur; nam ipsemet motus manûs est vere vitalis, ut patet; nam si manus á principio, quo vivificatur, et á quo vitam accipit, abscindatur vel aliâ quacumque causâ vitâ privetur, nullum jam talem actum exercere valet; ergo respectu illius motûs non se habet manus mere passive, sed active etiam; ergo est in manu potentia aliqua illius motûs ab appetitu distincta; ergo cum hæc facultas in manu, prout corpus est, inveniri nequeat, erit in manu simul cum principio vitali seu anima; ergo etc.

208. Dico II. *Subjectum in quo residet facultas motrix sunt musculi animati.*

Prob. Et certe motricis facultatis radix ac principium est vis animæ propria: at non minus verum est, materiale hujusce vis sedem et instrumentum esse musculos. Horum namque contractio ossa vel organa, quibus hi adhærent, dimovet, atque hoc pacto membrum movetur. Non tamen musculi sunt immediatum vis animæ instrumentum, sed nervi. Actualis autem musculorum contractio est ab

(1) Cons. S. Thom., QQ. Disp., De potent., q. 6. à. 4.

anima, mediante fluido nerveo, quo vibrante in nervis, musculi contrahuntur.

209. Dico III. *Non omnium musculorum facultas motrix appetitui subjicitur.*

Etenim sunt musculi, quorum contractio appetitûs motum naturaliter consequitur; hujusmodi sunt musculi membrorum. Sunt etiam musculi, qui appetitui subduntur, sed etiam absque determinatione ab eo accepta, naturaliter contrahuntur; hi sunt musculi apparatus respiratorii. Sunt denique musculi omnino exempti ab appetitûs determinatione, videlicet, musculi vitæ vegetativæ. Motus ab appetitu dependentes vocari solent, ut supra insinuavimus, *animales, dynamici, autonomici*, qui vero ab eo non dependent, *organici, plastici, automatici* (1).

210. Principia, ex quibus facultas locomotrix ad actus suos movetur, sunt appetitus sensitivus, et, si animal est rationale, etiam intellectivus. Etenim hujusce facultatis actus est tendere ad aliquid, quod appetitur, ac proinde ad suum objectum ab appetitu determinatur. Quoniam vero objectum facultatis motricis singulare est, singularis esse oportet illius prævia cognitio; jam vero hujusce cognitionis actus est, qui obtinetur vel per *æstimativam*, quâ apprehenditur ratio convenientiæ in objectis singularibus; vel per intellectum *practicum*, quo rationes universales ad singularia applicantur.

Appetitum sensitivum ex se sufficere ad motricem vim determinandam ad actum patet tum in brutis animalibus, tum in pluribus actibus indeliberatis hominis; non tamen vim motricem determinat imperio proprie dicto, sed tantummodo eam sollicitat et excitat propter naturalem connexionem et harmoniam, queis in una anima colligantur, atque ex generali invincibili conservationis impulsu.

In homine vero non solum determinatur vis motrix ab

(1) Tong. Inst. phi. etc., *Psych.*, lib. 3. c. 11. art. 8.

appetitu tum sensitivo, tum intellectivo, sed etiam et sæpissime ab habitibus acquisitis, ut experientiâ patet.

Notandum tamen sedulo est, actus facultatis locomotricis imperio liberæ voluntatis subordinari, atque adeo ipsis renuere et obsistere potest, ut imputabiles sint semper ac fiant advertente ratione; hoc enim in casu est eorum causa moralis.

Hactenus, charissimi fratres, de Dynamilogia, seu de viribus ac facultatibus animæ humanæ, quibus tum plantis et vegetalibus, tum brutis animalibus, tum Angelis ipsis assimilatur homo atque ipsorum particeps est, egimus; utinam cedant omnia in honorem et amorem Domini, qui nos adeo locupletissime ditavit; diligamus igitur Eum, ut ipsemet præcipit, *ex toto corde.... et ex omnibus viribus nostris et ex omni mente* (1).

(1) Luc. 20.—27.

IDEALOGIA.

DISPUTATIO 15.—EXPLICATUR NATURA ET ORIGO IDEARUM AD MENTEM SS. PATRUM ET SCHOLASTICORUM.

211. Salebrosam illam ac perdifficilem aggredimur quæstionem de natura et origine idearum. Hujus quæstionis quanta sit gravitas nemo non perspicit, magna re vera est, non tamen tanta, ut quasi principii loco recipiatur, uti nonnulli hyperbolice dicunt, nullam veritatem constitui à Philosopho posse, nisi hæc primum quæstio definiatur, si ita esset, actum foret de Philosophia; etenim nihil proprie definitum in ea invenimus; nulla erit fortasse in philosophia quæstio, de qua potiori jure dici queat illud: *tot capita, tot sententiæ*. Hæc multiplex opinionum ac errorum diversitas, evidenter commonstrat ex una parte imbecillitatem humanæ rationis ad perscrutanda atque demonstranda sua ipsius jura, ex alia vero magnam difficultatem, quam præ se fert hæc quæstio. Nos autem, quibus, jactis solidis firmissimisque fundamentis, viam ad altiora aperire commendatum est, opportunâ methodo ac breviori stylo, quæ certa, quæque verisimilia sint colligemus.

212. Quoniam vero huic quæstioni plurimum confusionis afferunt verborum ambiguitas, et distincta significatio seu sensus, quo à diversis vox *idea* usurpatur, ab hac determinanda et explicanda, ne in æquivoco laboremus, incipere oportet, ut præjactis deinde certis principiis plenam quæstionis solutionem studio partium non addictis dare possimus. Itaque

213. «Quam Græci *ideam* nos recte *speciem* dicere possumus vel etiam *formam*» (1), quæ exprimit, scilicet, rem

(1) Cons. Cicer. *Lib. 1. Quæst. Tus.*; et *topic. 30.*

aliquam. Formæ vero aliæ sunt sensibiles, id est, imagines objectorum sensibilibus in sensibus sive internis, sive externis; de iis non agimus. Aliæ sunt intellectuales, has S. Thomas passim vocat *species intelligibiles* (1), quia per eas et in eis intelligibilia actu intelliguntur.

Idea itaque est: *Id, quod mens in se exprimit cum rem percipit*; vel est: *Similitudo objecti expressa in mente percipiente*; seu: *Repræsentatio quidditatis objecti, quod per intellectum percipitur*; per hanc vocem *quidditatis* discriminatur hujusmodi repræsentatio à quacumque alia repræsentatione sensibili, quæ tantummodo offert objectum singulare ac materiale, nullo vero modo attingere nec offerre potest quidditatem seu essentiam rei, itaque idea est omnino *immaterialis*, quippe quæ respondet naturæ et conditioni potentiæ intelligentis, atque objectum repræsentat universaliter.

214. Disputatum fuit, utrum *perceptio* intellectualis re vera distinguatur ab *idea*. Affirmant Malebranchius et alii (2); negant quamplurimi cum Arnaldo (3). Si quæstio bene intelligatur, nobis videtur re vera non distingui. Quid enim est perceptio intellectualis? Actus, quo mens verbo spirituali exprimit in se ipsa rem intelligibilem. Quid est idea? Expressio rei intelligibilis per verbum spirituale in mente percipiente. Jam vero, nisi quæstio sit tantummodo de nominibus et ad puram *logomachiam* reducatur, dicendum est, distinctionem inter perceptionem et ideam esse verborum, atque ideo mentalem, non realem.

215. Ut melius hoc intelligatur notandum est, intellectum nostrum duplici potentiâ præditum esse, *abstractivâ*, scilicet, et *perceptivâ*; prior activa est, altera quasi passiva; est igitur intellectus sub distincto respectu activus et pas-

(1) *Sum. Th.* 1. P. Q. 15. á. 1., et q. 84. et alibi passim.

(2) *De inquisitione verit. lib.* 3. p. 2.

(3) *De veris et falsis ideis.*

sivus. Est activus, quatenus abstrahit á conditionibus materialibus et individuantibus quidditatem seu essentiam rerum intelligendarum, hasque illuminando facit ut actu intelligi possint; potentia, quâ id facit, vocatur *lumen intellectuale*. Est passivus, quatenus á quidditate seu essentiâ rerum illuminatâ et actu jam intelligibili determinatur ad actum intelligendi, id est, ad eam in se verbo mentis exprimendam, exhibendam ac repræsentandam. Hæc ita accidere ratio experienciâ adjuta docet.

Hæc expressio essentiæ rerum ac repræsentatio, quæ continetur in verbo mentis, est rei *idea, notio, conceptus, perceptio*, etc. Jam vero illa abstractio et illuminatio non est idea; ergo vel supponendum est, ideam et perceptionem solo nomine distingui, vel admittendum est cum Malebranchio et Fenelonio (1), ideas intellectûs humani esse ipsas archetypas ideas Dei, seu ipsas rerum essentias prout sunt in Divina Essentia, quod quidem, ut infra videbimus, absurdum est; vel esse quasdam alias formas subsistentes, quod adhuc magis abnorme est.

116. Communis est apud Scholasticos divisio idearum in *impressas* et *expressas*, quæ distinctio apud plerosque recidit in eadem Malebranchii distinctionem inter ideam et perceptionem; oportet igitur, ut quid apud nos valeant illæ voces determinemus, quod fiet subjiciendo accuratiori definitioni illam vim abstractivam ac perceptivam, quibus intellectus humanus indiget et gaudet.

Itaque: Vis abstractiva, quam ego vocarem *illuminativam*, est illa, quâ intellectus ambiens ac cingens, ut ita dicam, imaginem ac repræsentationem sensibilem, seu phantasma objecti intelligendi, illud spoliat ac exuit á qualitatibus omnibus sensibilibus, præcidit quidquid illud determinat et singulare facit, atque ita elicit atque abstrahit et illuminat essentiam, quidditatem seu intelligibilitatem objecti, quæ in

(1) *De Existentia Dei*, p. 2.

phantasmate, quâsi seminaliter contegebatur ac potentialiter continebatur, et ita fit subjective ac formaliter intelligibilis. Igitur est vis abstractiva quædam lux, quæ se habet ad phantasmata, sicut lumen materiale ad colores.

Vis perceptiva, et propriissime intellectiva, est illa, quâ intellectus *intus legit* istam quidditatem seu intelligibilem essentiam, ac in se ipso exprimit et concipit per ideam, seu verbum, quod sibi efformat.

Actio vero abstractiva seu illuminativa atque actio perceptiva seu intellectiva sunt simul, id est, eodem tempore, uno eodemque instanti perficiuntur ab intellectu, ita ut ex eisdem resultat *unus* actus perfectus, scilicet, cognitio intellectualis.

217. Hæc theoria productionis ac effectiois idearum viâ illuminationis intellectualis et accommodatior est et apprimè conformis doctrinæ revelatæ, ac christianæ Philosophiæ: *In lumine tuo videbimus lumen* (1): *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* (2). Non quod per lumen vultûs sui imprimat Deus in mentibus nostris ideas rerum, sed quia illuminans intellectum nostrum, efficit aptum ac idoneum ad illuminandas ac intelligendas rerum rationes, quæ sunt quædam imitationes et assimilitudines æternarum idearum exemplarium in Mente Divina (3).

(1) Ps. 85. v. 10.

(2) Ps. 4. v. 7. «Intellectus agens nihil aliud est nisi participatio quædam Luminis Divini, juxta illud Joannis: *Erat lux vera, quæ, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*» S. Thom. l. c.

(3) Audiatur S. Thomas: «Cum ergo quæritur, utrum anima humana in rationibus æternis omnia cognoscat; dicendum est, quod aliquid in aliquo dicitur cognosci dupliciter. Uno modo sicut in objecto cognito, sicut aliquis videt in speculo ea, quorum imagines in speculo resultant: et hoc modo anima in statu præsentis vitæ non potest videre omnia in rationibus æternis; sed sic in rationibus æternis cognoscunt omnia beati, qui Deum vident, et omnia in ipso.

Alio modo dicitur aliquid cognosci in aliquo sicut in cognitionis

Phantasma igitur ex vi unionis, quam habet cum intellectu in eadem anima præbet materiam et quasi exemplar intellectui, et ita determinat ejus vim seu virtutem abstractivam seu illuminativam; abstracta deinde ac elicita et illuminata quidditas, essentia seu intelligibilitas objecti, quod repræsentatum erat in phantasmate, determinat intellectivam vim ad producendam et efformandam ideam, verbum, conceptum, notionem, quâ exprimitur et continetur objectum cognitum, ad quod determinatur.

Itaque abstractio illa et illuminatio phantasmatis est principium *formale* intellectionis; idea vero, verbum etc. est quasi *terminus*; dico quasi *terminus*, quia etsi sit terminus operationis intellectûs; terminus cognitionis proprie est objectum cognitum.

principio: sicut si dicamus, quod in Sole videntur ea quæ videntur per Solem; et sic necesse est dicere, quod anima humana omnia cognoscat in rationibus æternis per quarum participationem omnia cognoscimus. *Ipsum enim lumen intellectuale, quod est in nobis, nihil est aliud quam quædam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ.* Unde Ps. IV. v. 6. dicitur: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?* Cui quæstioni Psalmista respondit dicens: *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine:* quasi dicat: per ipsam sigillationem divini luminis in nobis omnia demonstrantur. Quia tamen præter lumen intellectuale in nobis exiguntur species intelligibiles à rebus acceptæ (id est, abstractæ et illuminatæ) ad scientiam de rebus materialibus habendam; ideo non per solam participationem rationum æternarum de rebus materialibus notitiam habemus sicut platonici posuerunt, quod sola idearum participatio sufficit ad scientiam habendam. Unde Augustinus dicit in IV. de Trinit. c. XVI. *Numquid quia philosophi documentis certissimis persuadent æternis rationibus omnia temporalia fieri, propterea potuerunt in ipsis rationibus perspicere, vel ex ipsis colligere, quot sint animalium genera, quæ semina singulorum? Nonne ista omnia per locorum ac temporum historiam quæsierunt?*

Quod autem Augustinus non sic intellexerit, omnia cognosci in rationibus æternis, vel in incommutabili veritate, quasi ipsæ rationes æternæ videantur, patet per hoc quod ipse dicit in libro *Octoginta trium*

Jam vero, iis delibatis, animadvertite: illam vim abstractivam intellectûs vocant Scholastici ab Aristotele ducti *intellectum agentem*: illam aliam perceptivam seu illuminativam vocant *intellectum possibilem* (vid. Disp. 10.^o) Similiter, illam quidditatem seu essentiam abstractam jam et illuminatam vocant ideam *impressam*; conceptum vero, ideam, verbum etc., quod intellectus efformat et continet essentiam objecti cogniti, vocant *ideam expressam*. Hæc tamen elocutiones minus accuratiores (1) et philosophicæ sunt, de verbis vero non disputabimus.

218. Distinguendæ sunt ideæ exemplares et archetypæ ab ideis illis, quas placet appellare *cognitrices*, seu principia cognitionum. Primæ sunt illæ normæ seu exemplaria in mente præexistentia et ad quorum similitudinem artifex opus efficit. De iis prout considerantur in Mente Divina et

Questionum, Q. 66. à medio, quod rationalis anima non omnis, et quæcumque, sed quæ sancta, et pura fuerit, asseritur illi visioni, scilicet rationum æternarum, esse idonea, sicut sunt animæ beatorum.» (Sum. th. 1. p. q. 84 á 5 in corp.)

Hoc in sensu á S. Thoma exposito intelligi debet S. P. Augustinus quotiescumque ait: mentes humanas in *Lumine Æternæ Rationis conspiciere hæc immutabilia vera*: id est; animas puras et sanctas in beatifica Dei visione in divina Essentia omnia conspiciere, at dum in hac mortali versamur vita «Mens humana prius hæc, quæ facta sunt, per sensus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis suæ modulo »capit; et deinde quærit eorum causas.» Ita ipse, *De Genes. ad litt. lib. 4. c. 32. Cons. Lib. 1. Retract. c. 4.* ubi, quæ huic sensui contraria ubicumque inveniuntur in suis libris retractat.

(1) Cujus signum est, quod prope infinita varietas viget inter peripateticos circa interpretationem ac expositionem hujusmodi vocum. Cons. Picum Mirandulensem; Durandum, in 1. *sent. Dist. 3. in 2. part. dist. q. 5.*; Cajetan., in 1. p. *sum. D. Thom. q. 79. á. 3. et q. 85 á 1.*; Javellum, 3 *de anima. q. 3. De intellec.*; Fonsec. 5 *Metaphy. c. 28. q. 9, sect. 2.*; Capreolum, in 2. *sent. Dist, 3. q. 2.*; Ferrar, in 1. *cont. Gent. c. 65. etc. etc.*

secundum quas condidit Deus quaecumque fecit, intelligendum est loqui S. P. Aug. cum ait: *Ideæ sunt principales formæ quædam; vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ et semper eodem modo se habentes, quæ IN DIVINA INTELLIGENTIA CONTINENTUR* (1).

Quanta ignorantia vel mala fide laborant Malebranchiani, cum audent asserere, S. P. assertorem esse idearum innatarum!!!

Alteræ sunt principium intellectualium cognitionum, sunt id, quo intellectus informatus rem intelligere dicitur, secundum quod formæ cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente (2). Cum quæritur igitur de idearum *origine*, non de illis primis quæritur, sed de iis, quæ cognitionis humanæ principium sunt.

219. Existere hujusmodi ideas intellectuales, quibus objecta intelligibilia actu intelliguntur, vix necesse est ut demonstretur. Etenim evidens est, actum intelligendi duo necessario requirere; mentem, scilicet, intelligentem et unionem objecti intellecti cum mente; intellectio enim est actio vitalis et immanens in ipsamet mente, atque ideo esse non potest, nisi quidditas seu essentia objecti intelligendi sit et exprimat in mente. Atqui hujusmodi præsentia et expressio objecti in mente non est secundum suam realem naturam; ergo erit per sui quamdam spiritualem imaginem et similitudinem; hæc autem imago ac similitudo expressa in mente percipiente vocatur idea. Ergo existunt ideæ intellectuales. Quare merito ait S. P. Augustinus: «quod dicimus nos in corde habere, de quibus cogitamus: secundum quamdam imaginem decimus, quam de illis habemus impressam (3).»

(1) *Lib. Octoginta trium Quest., q. 46.*

(2) *S. Thom. Sum. th., 1. P. Q. 15. a. 1.*

(3) *In Psalm. 139. n. 15.*

220. Nunc jam, si principia constituta ac cætera hactenus dicta conferantur, quid judicandum sit circa *originem* idearum *cognitricium*, apertum est. Itaque quod verisimilius quodque tutius sit breviter exponemus; deinde falsas atque absurdas theorias refutabimus.

Itaque ante omnia agnoscendum ac confitendum est:

1.° Animam nostram, factam ad imaginem et similitudinem Dei, ab ipso Deo impressa habere ab ipso creationis instanti, non solum *naturalem amorem ac invincibilem propensionem ad verum*, sed etiam *quædam principia generalia et leges*, quibus abstringitur, et sunt veluti normæ incommutabiles, quibus verum a falso certo discernit: hæc sunt *participatio quædam Luminis increati*, et similitudo rationum æternarum; hinc S. P. ait: *Non a me lumen mihi existens; sed lumen non participans nisi in te* (1). Hæc vero non sunt ideæ, nihil per ea cognoscimus, sed aptitudinem ad cognoscendum præstant.

2.° Innatum est etiam in anima *desiderium felicitatis summæ: Fecisti nos ad te* (Deus meus), *et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te* (2). Ast hoc desiderium non est idea, ut somniantur Malebranchiani, sed necessitas quædam naturæ rationalis.

3.° Etiam naturaliter impressa est in anima *lex naturalis*, quæ est quædam participatio legis æternæ, seu æternæ gubernationis rerum in Deo. Hæc autem non est idea aliqua, sed incommutabilis regula ac norma, quâ veluti regulantur ac mensurantur actiones liberæ, quæ, si ipsi conformes sunt, bonas et veras esse judicamus, sin autem malas. Hoc in sensu ait S. P.: *Si ambo videmus verum esse quod dicis, et ambo videmus verum esse quod dico, ubi, quæso id videmus? Nec ego utique in te, nec tu*

(1) *De verbis Domini, Serm. 8. al. serm. 67. c. 5. n. 8.*

(2) *S. P. Aug., Confes., lib. 1. c. 1. n. 1.*

in me, sed ambo in ipsa, quæ supra mentes nostras est, incommutabili veritate (1).

221. Jam vero, his admissis, ecce tandem ad quid reducitur nostra theoria circa originem idearum:

«Objecta materialia, quæ intellectus intelligit, fuerunt
»prius percepta á sensitivis facultatibus; sed alia et aliter
»percipit sensitiva facultas, alia et aliter intellectus. Fa-
»cultas sensitiva, utpote organica et cognoscitiva tantum-
»modo singularium, percipit solummodo per qualitates
»sensibiles, seu accidentia corporea id, quod organa affi-
»cere potest, atque ideo quod est individuale ac in aliqua
»temporis differentiâ existens; intellectus vero, utpote
»facultas superior, inorganica ac cognoscitiva universa-
»lium, vi abstractiva seu illuminativa præditus, percipit
»eadem objecta per notas intelligibiles (Log. n. 41.) sub
»forma universali, uti est intentio generis, speciei et si-
»milium, quæ non inveniuntur in rerum natura. Singulare
»autem, ut singulare, cognoscit per collationem quamdam
»ac conversionem ad phantasma. Deinde vero ab his sen-
»sibilibus perceptis adjutusque eorum phantasmatibus ac
»per comparisonem, præcisionem et abstractionem ma-
»nucitur intellectus ad intelligenda ac cognoscenda cæ-
»tera omnia, quæ prorsus immaterialia sunt.»

Si conferuntur quæ hactenus exposuimus (2), hoc quod dicimus demonstratum manet, explicatur tamen.

222. In objectis, quæ sensibus usurpantur, sunt reapserationes intelligibiles respondententes capacitati intellectuali, si exuantur ac spelientur á determinationibus et qualitatibus sensibilibus. Nam quidquid in ipsis existentiam habet, quidditati profectò aliqua, seu essentiâ constat;

(1) *Conf. lib. 12. c. 23. n. 3.*

(2) *Log., Lect. 6.^a n. 43. seqs.; ibid. Appen. de idearum univ. objecto, pag. 236. n. 291. seqs.; Ontol., Disp. 11.^a n. 146.; Hic, Disp. 10.^a n. 114. seqs.—122. seqs.*

alioquin nihil esset, ac proinde nec exstare, nec percipi per se posset. Ut autem hæc essentia seu quidditas objectum intellectûs per se constituatur, nihil aliud requiritur, nisi ut spoliatur illâ individualitate, quam habet in concreto illo sensibili ac illuminetur ab intellectu. Sic planta v. gr., quam oculus videt, habet re vera rationem entis, rationem substantiæ, rationem vitæ, rationem unitatis, rationem quantitatis, et sic de aliis quotquot eidem ut prædicata tribuuntur. Jam vero has rationes insensibiles ac universales elicit intellectus á phantasmate sensibili *præscindens* á facto sensationis, ac per *vim abstractivam*, quâ liberat has rationes á conditionibus peculiaribus, quæ rem in se individuam et concretam reddunt, easque simul illuminans et intelligibiles efficiens, atque hoc pacto objectum intelligit ut objectum est ac ut ens. Hæc ita accidere supra probatum est (Disp. 10.^a *Assert.* III. n. 116. *seqs.*)

Ad has operationes exsequendas mens determinatur ab illa ipsa modificatione, quam per sensum et imaginationem recepit; etenim utraque facultas ad unam eademque animam pertinet; seu potius, utraque facultas est una eademque animæ virtus, quæ ideo in plures facultates distinguitur, quia circa diversa objecta distinctis actibus diversa munia exercere potest. Aliunde valde consentaneum est naturæ animæ, cujus virtus intellectiva non est organis mancipata, sed potest absque organorum ministerio operari, ut semetipsam naturaliter determinet, ac ab illo ordine actuum organicorum transeat ad exerendas alias operationes ordinis superioris.

223. Colligendo heic quæ alias dicta fuere, notare oportet: 1.^o Intellectus noster objectum percipit primò notatione maxime indeterminata *objecti* seu *entis*; deinde, ulteriori accedente experienciâ, notionibus magis determinatis. Cum enim principio omni cognitione careat intellectus, ac successive perficiatur, necesse est ut ab actibus

imperfectis et á notionibus obscuris, ad actus perfectiores et ad claros distinctosque conceptus gradu quodam ascendat.

2.º Ex eadem ratione colligitur, intellectum in ordine cognitionis directo ac spontaneo magis universalia ante minus universalia cognoscere.

3.º Virtus perceptiva intellectûs non est mere passiva, sed activa potius ac operativa, etsi enim, ut se exserat et actum eliciat, egeat præsentia essentiæ intelligibilis abstractæ et illuminatæ, ipsa elicit actum; hic actus est perceptio intellectiva, seu ipsa intellectio, quæ ideo non est mera passio intellectûs, sed operatio, quam ipse exserit, quadam determinatione accepta á præsentia intelligibilis essentiæ. Per hanc operationem exprimit intellectus in se ipso *verbum* seu *ideam*, quâ rei, quam percipit, essentiam exprimit.

224. Abstractionis nomen triplici sensu intelligi potest:

1) Est, quod ideæ nihil aliud sint, quam elementa contenta in sensatione, quæque postea separentur ac diversimode componantur (109.-1.º et 2.º). Abstractio ita intellecta est purus sensismus.

2) Quod animus, oblatâ sibi per sensus re materiali, vi sibi propria præscindens á facto sensationis et cæteris individuantibus determinationibus, essentiam rei intelligibilem, quæ vere in illa est, deprehendat sub forma universali. Sic ex imaginatione *hujus* hominis præscindens á determinationibus sensibilibus desumo rationem communem hominis, quæ in illa repræsentatione sensibili explicite et quasi immediate continebatur; vel rationes entis, substantiæ, vitæ, unitatis, quantitatis, effectus etc. Quæ in eadem reperiuntur.

3) Cum nulla veritas sit, quæ vel alias veritates in se non contineat, vel ipsa non contineatur in alia; hinc intellectus, cognito aliquo facto, aliquo objecto aut veritate, potest, vi sibi propria, vel per *analysim* et præcisionem

detegere ac ascendere ad cognoscenda alia sive facta, sive objecta aut veritates generaliores, in quibus illæ continebantur; vel per *synthesim* ac *comparationem* alias veritates minus generales, quæ in illis continebantur, educit ac cognoscit, atque ita novas notiones et intelligibiles repræsentationes acquirit. Sic per primam illam operationem efformat ideas universales (Log., *App. de ideis univ. etc.* pag. 236.), per hanc, quæ locum habet præsertim circa objecta, quæ nullo modo per sensus percipiuntur, ideas singularium objectorum acquirimus. Sic v. gr. observamus in anima nostra sensu intimo teste varias modificationes, quarum alias anima producit, alias veluti recipit; unde ideæ *actionis* et *passionis*; deinde actionem et passionem considerantes detegimus ac cognoscimus ad has aliquam aptitudinem requiri; unde fluit idea *potentiæ*; deinde considerantes potentiam, cognoscimus aliquid esse, cui inhærere debeat; unde idea *principii*; meditates vero circa principium deprehendimus ipsum quandoque sua actione alterius existentiam determinare; unde idea *causæ*. In his omnibus, et in quibuscumque, quæ menti obversentur, invenimus ipsa actum essendi habere, hinc idea *entis*, quæ est in omnibus veluti implicita et naturaliter gignitur in mente primo suæ evolutionis instanti, hæc autem est idea entis implicita, at deinde per reflexionem et abstractionem explicita, distincta ac completa evadit.

Attendentes vero ad phænomena tam interna, quam externa observamus non esse in his quod est in illis, unde notio *defectûs* seu *negationis* individualis, et abstrahendo ab individuis, remanet idea negationis seu *non-esse* in communi; comparantes deinde ideam esse seu entis cum idea non-esse seu negationis, deprehendimus unam necessario alteram excludere, unde ideas *principiorum* (vid. *Ont. Disp. 2.^a n. 19.*); deinde præscindens intellectus ab idea negationis, remanet idea entis seu *esse absoluti*, et sic de cæteris (Conf. *supra n. 122. seq.*)

225. Quoniam vero nonnulli, inter quos Cartesius (1), quamdam pietatem simulantes, arbitrantur tam splendide, tamque insigniter ab unoquoque deprehendi in se ipso ideam cujusdam rei infinitæ summeque perfectæ, ut inde queat demonstrari existentia idearum innatarum, saltem ideæ Dei; abs re non erit explicare ingenue quomodo hanc ideam mens acquirat, et ad calcem apponere quid SS. Patres de hoc sentiant (2).

226. Ac primo certum est, nos experiri constantem ac invincibilem naturalem necessitatem objecti cujusdam infiniti, quod expleat desiderium felicitatis summæ, quam

(1) *Medit.* 5.^a

(2) Quibus tantam pietatem simulant, item Rosminii admiratoribus, (nam ex Rosminio excerpta fuere) sequentia commendamus. «A »Sanctæ Romanæ et universalis Inquisitionis Congrègatione postulatum est, utrum sequentes propositiones tuto tradi possint:»

Prop. 1.^a *Immediata Dei cognitio, habitualis saltem intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit, siquidem est ipsum lumen intellectuale.*

Prop. 2.^a *Esse illud, quod in omnibus est et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum.*

Prop. 3.^a *Universalia à parte rei considerata à Deo realiter non distinguuntur.*

Prop. 4.^a *Congenita Dei tamquam entis simpliciter notitia omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens, sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus;*

Prop. 5.^a *Omnes aliæ ideæ non sunt nisi modificationes ideæ, quæ Deus tamquam ens simpliciter intelligitur.*

(Sequuntur aliæ duæ, quæ continent purum pantheismum.)

Feria IV., die 18 Septembris 1861.

«In Congrègatione Generali habita in Conventu S. M. supra Minervam coram EE. et RR. DD. S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem in tota Republica christiana Inquisitoribus Generalibus, iidem EE. et RR. DD. præhabito voto DD. consultorum, omnibus et singulis propositionibus superius enunciatis mature perpensis, »proposito dubio responderunt:—*Negative.*»

appetimus; certum quoque est, nullam rem creatam seu finitam posse explere hoc desiderium; tamen ex hoc minime sequitur, nos habere ideam innatam infiniti seu Dei, sed tantummodo sequitur, Deum fecisse nos ad se et nobis dedisse hoc innatum desiderium; aliud est desiderium seu necessitas infiniti, aliud est idea seu expressio infiniti in mente illud percipiente. Qui hæc confundunt vel ignorantia, vel mala fide laborant. Contra hos

227. Dico: *Idea Dei est idea deducta ex rebus finitis, cujus elementa sunt ideæ perfectionum finitarum, adjecta notione excessus, et negatione imperfectionum omnium; seu «Deum cognoscimus ut causam et per excessum et per remotionem (1).»*

(1) S. Dionysius vel qui sit Auctor lib., *De divin. nomin.* c. 1.; et *Sapient.* c. 13. v. 1. «Et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, nec operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex.... v. 5. «A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.... etc. etc.; ergo non ab idea innata.» *Ap. ad Rom.* c. 1. v. 20. «Invisibilia enim ipsius (Dei), à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur:» ergo non per immediatam intuitionem. Atenagoras, *Legat. pro Christianis*, *Lib. 1. ad Auctolic.* n. 5. ait: «Rex terrenus existere creditur quamvis ab omnibus non videatur; sed ex legibus suis, et edictis, et potestatibus, et copiis, et imaginibus cognoscitur: Deum autem non vis intelligere ex ejus operibus et potestatibus?» S. Dionysius, *De divin. nomin.* c. 1. «Oportet sapientissima et verissima theologia persuaderi, juxta analogiam uniuscujusque animorum respiciuntur divina, et inspicuntur tearchiæ bonitates in salutari justitia ab his, quæ in mensura sunt....» S. Dionysius Areop., seu Auctor *Lib., De divin. nomin.* c. 7, post. med, ait: «Forte vero id re vera dicemus, nos Deum, non ex ipsius natura cognoscere, (hoc enim est ignotum, omnemque rationem et intelligentiam excedit), sed ex ipsa rerum omnium ordinatissima dispositione, ut ab ipso producta, et imagines quasdam similitudinesque divinorum ipsius exemplarium per se referente, ad illud

Exempl. Idea Dei alia est confusa et initialis, alia explicita et formalis. Prior illa idea Deum exhibet ut *ens quod est prima rerum causa, et á quo omnia dependent*. Utraque vero nota constat elementis indeterminatis, et ex rerum finitarum consideratione depromptis addito conceptu eminentiæ cujusdam, et negatione dependentiæ ab alio. Conceptus autem eminentiæ est á rerum finitarum consideratione: una enim res alteri excellit; ex eodemque fonte negationem dependentiæ intelligimus; multas enim res videmus á quibusdam aliis dependere, ab aliis non dependere, ut v. gr. sol ab homine non dependet; quod ergo ad primam hanc Dei notionem attinet, manifestum est, quod asseruimus.

»quod omnia supereminet, via ordineque, pro viribus nos ascendere, »dum videlicet omnia de illo negamus, singulaque transcendimus, causam dumtaxat omnium asserentes..... Item in omnibus omnia est, et »in nullo nullum. Præterea ex omnibus cognoscitur ab omnibus, et ex »nullo nulli. Etenim ista quoque recte de Deo dicimus, Deusque rite »ex omnibus celebratur per quamdam omnium (quorum ipse causa »est) comparationem atque proportionem.» Videsis *Exposit. in ej. Lib. B. Diony. Cartus, in c. 1. art. 1. á princ. S. Joa. Chrysost., Hom. 3. in Ep. ad Rom.* ait: «Undenam liquet, quod ipsis (gentibus) indicit Deus »suam cognitionem, óh Paule? Propterea quod inquit, quod de eo »cognosci potest, manifestum est in illis. Hoc ipsum vero sententia est, »non demonstratio. Tu porro mihi adstruito, probato ac declarato, quod »cognitio Dei illis manifesta fuerit. Undenam igitur manifesta erat? Vocem á supernis immisit illis Deus? Nequaquam. Sed quod illos voce »validius illicere poterat, id fecit, (non per ideam innatam, sed) mundi »creatione in medium proposita, ut possit sapiens, rudis, scytha, barbarus, ex ipso adspectu eorum, quæ oculis subjecta sunt, pulchritudinem edoctus, ad Deum conscendere.» Et S. P. Aug. in *Psal. 73* ita Atheos perstringit: «Unde scio, quia vivis, cujus animam non video? »Unde scio? Respondebis, quia loquor, quia ambulo, quia operor. »Stulte, ex operibus corpõris agnosco viventem, ex operibus creaturæ »non potes cognoscere Creatorem?» Et in serm. 241., alias de temp.

228. Ratio altera perfectior Deum exhibet infinitum infiniteque perfectum. Quid autem intelligimus, cum infinitam hanc Dei perfectionem cogitamus? Sane Eum esse intelligentem, liberum, potentem, justum, beneficum, providum, etc., sed multo magis ac melius, quam quælibet alia natura, quam animo fingere possimus; ad hæc, Eum esse sine causa á qua dependeat ac proinde esse á se, sive necessarium, sine initio itaque, sine mutatione, sine compositione, sine ullo limite perfectionis, ac proinde Ip-

143, explicans S. P. verba Apostoli: *quia cognoscentes Deum non sicut Deum glorificaverunt* etc., ait: «Unde cognoscentes? Ex his quæ fecit. »Interroga pulchritudinem terræ, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem dilatati et diffusi aëris, interroga pulchritudinem cæli, interroga ordinem sidereum, interroga animalia quæ moventur in aquis, quæ morantur in terris, quæ volitant in aëre, etc. etc... »Respondent tibi omnia: Ecce vide, pulchra sumus.... In ipso denique »homine interrogaverunt hæc duo; corpus quod videtur, animam quæ »non videtur; et invenerunt melius esse illud quod non videtur, quam »illud quod videtur, meliorem animam latentem, deteriolem carnem »apparentem, viderunt ista, intuiti sunt, discussertunt utrumque, et invenerunt utrumque mutabile in ipso homine. Mutabile corpus per ætates.... Transierunt ad animam.... invenerunt et ipsam mutabilem; »modo velle, modo nolle, modo scire, modo nescire.... Transierunt et »ipsam: quæsierunt enim aliquid immutabile: *Sic ergo pervenerunt ad »cognoscendum Deum qui fecit, per ista quæ fecit.*» Infinita res foret, si S. P. Augustini peremptoria loca, quibus docet, nos in cognitionem Dei, summi boni, pervenire ex consideratione ac contemplatione operum Ejus, adducenda essent. Cons. *Libros Confes. Lib. X. De Trinit. lib. 8.; Tract. 23. in Joan.; De Morib. Eccles. Cathol.; Soliloq., Lib. 1. c. 1. usque ad 7., et lib. 2. c. 1. etc. etc.* Ita senserunt Ss. Basilius *Hexaem., Hom. 11.; Greg. Nazi., Orat. 34;* Nysenus, *Dial de anima, etc. etc.* De S. Thoma non est cur dicamus, omnes sciunt hoc esse suum ideologicum Systema; Cons. *Sum. th. 1. P. q. 2. á. 1. q. 12. á. 12.; q. 84. á. 7. ad 2. De cognit. Ang. q. unic. á 3. et alibi passim.* Cons. V. P. Ludovicum de la Puente, *Meditaciones espirituales, tom. III. part. 6. Meditacion I. usque ad VI.*

sum esse *qui est*, esse absolutum. Hæc est perfectissima Dei notio, quæ in humana mente reperitur; nec vel mortalium sapientissimi nobiliorem aut sublimiorem Entis infiniti conceptum assequi possunt, ut experientiâ ac monumentis constat. Jam vero si in hoc conceptu consideramus quod positivum est, nihil invenimus quod non sit experientiâ cognitum, quod superest reliquum est afirmatio excessûs et negatio defectûs; afirmatio nempe omnium perfectionum, quas in rebus distributas cognoscimus, in simplicissima entitate perfectissimo modo contentas, ac negatio omnis defectûs seu limitis, quo eas in rebus circumscriptas videmus. Patet itaque assertum, etiam quoad Dei notionem explicitam et formalem.

229. Hinc colligitur quid respondendum sit iis, qui illud perpetuo objiciunt: infinitum, scilicet, per finitas perfectiones concipi non posse.

Qui enim ita loquuntur, supponunt, ideam, quâ infinitum concipimus, positivis ac propriis notis ipsum præsentare. Quod si verum foret, profecto hæc idea elementis á rebus finitis abstractis componi non posset. Sed infiniti notio non est ejusmodi, ut dictum est, illudque ipsum quod in ea positivum est, non per proprias notas Deum refert, sed solum per analogicas, ut alibi videbimus. Nullum itaque absurdum, si hæ notæ á rebus finitis desumantur, adjecta tamen affirmatione excessûs ac negatione defectûs; quibus duobus Dei incomprehensibilitas exprimitur (1).

(1) Cons. Salv. Tong., *Inst. phil.*, tom. 3., *Psych.*, lib. 3. c. 6. art. V.

DISPUTATIO 16.—EXPONUNTUR BREVITER AC REFUTANTUR FALSA SYSTEMATA CIRCA ORIGINEM COGNITIONUM NOSTRARUM.

230. Omissis aliis parvi momenti, in examen adducemus sequentia systemata: 1. Systema scholæ empiricæ tum materialistæ, tum sensistæ: 2. Systema idearum innatarum tum ad mentem Platonis, tum ad mentem Cartesianorum: 3. Systema ontologicum sive intuitionis immediatæ divinæ Essentiæ ad mentem Giobertii et Malebranchii, sive Entis ad mentem A. Rosminii: 4. Systema exterioristicum seu traditionis ad mentem Bonaldi et aliorum: 5. denique Systema idealismi transcendentalium seu *formalismi* tum subjectivi, tum objectivi.

SYSTEMA EMPIRICUM.

I.

Empirismus materialista.

231. Empirismus, si in universum consideretur, est illud systema, in quo asseritur, omnem humanam cognitionem ope tantummodo sensuum acquiri. Dividi potest in materialisticum et sensisticum; illud fautores habuit inter antiquos Democritum, Leucippum et Epicurum; inter modernos Thomam Hobbesium, Volney, Tollandum et alios materialistas; istud, quod his ultimis sæculis nimis propagatum fuit, patronos habuit inter antiquos Protagoram et Scholam cyrenaicam, inter modernos præcipuos habet Lockium, Stephanum de Condillac, Helvetium aliosque vilium passionum servos.

Jam vero Democritus, Leucippus etc. opinati sunt, quasdam in mundo exstare atomos seu tenuissimas particulas á corporibus avulsas, horum *typos, idola, imagines*

seu *simulacra* præ se ferentes, atque huc et illuc per aëra circumvolantes introeunt per organa sensoria atque in ipsam animam attingunt et efficiunt cognitionem rerum in nobis (1). Hobbesius, Tollandus etc., quoniam animam à corpore non distinguunt, nec ullam substantiam incorpoream admittunt, statuunt, ideas nihil aliud esse, quam modificationes materiæ, seu operationes corporis organici (2). *Pudet me*, dicam cum S. P. Augustino (3), *ista refellere cum eos non puduerit ista sentire*.

In hocce crassissimo errore refutando parum, aut nihil immorari opus est.

232. PROPOSITIO I. *Fædus turpissimusque error est dicere, ideas intellectuales esse corporum effluxiones.*

Prob. 1. Si ideæ essent corporum effluxiones, essent in se quid materiale, ac solummodo repræsentarent illa singularia corpora, quorum effluxiones sunt. Atqui utrumque falsum est. Nam ideas habemus non solum corporis in genere et corporum, quæ numquam sensus affecerunt, verum etiam rerum universalium et prorsus immaterialium. Ergo etc.

2.º Si ideæ essent corporum effluxiones, nullum corpus diutius duraret, quod est contra experientiam.

3.º «Dicant, inquit S. P. (4), (Epicurei) in quo genere ponant imagines, quas de corporibus solidioribus affluere putant, ipsas minime solidas? Quæro, utrum etiam ab ipsis atomis affluant imagines? Si affluunt, quomodo jam

(1) Cons. *Plutarc. De placit. phil. Lib. 4. c. 8.*; *Sympos. L. 8. q. 10.*; *Cicer. De nat. Deor. Lib. 1.*; S. P. Aug., *Epist. 118. c. IV. n. 29.-30.-31.*; S. Thom. *De anim. 1. Lect. 5.*

(2) Hobb. *Leviathan, c. 34., et Elem. phil. c. 25.*, Cons. opus cui titulus: *Orade des nouveaux phil.*, convers. 5.^a

(3) *Epist. 118. n. 31.*

(4) *Loc. cit.*

»sunt atomi, á quibus aliqua corpora separantur? Si non
»affluunt, aut potest aliquid sine imaginibus cogitari, quod
»vehementer nollunt; aut unde norunt atomos, quas nec
»cogitare potuerunt.... Sed jam pudet me ista refellere,
»cum eos non puduerit ista sentire. Cum vero ausi sint
»etiam defendere, non jam eorum, sed ipsius generis hu-
»mani me pudet, cujus aures hæc ferre potuerunt (2).»

233. PROP. II. *Impossibile est ideas intellectuales esse
modificationes materiæ.*

Prob. 1. Modificationes materiæ sunt secundum leges
physicas. Atqui repugnat legibus physicis, esse simul in
eodem subjecto modificationes oppositas: item materiæ
modificationes sunt concretæ ac determinatæ. Atqui ha-
bemus ideas tum oppositas ut affirmationis et negationis,
caloris et frigoris etc., tum universales et rerum abstrac-
tarum, ac necessariarum, immaterialium etc... Ergo etc.

2.* Nos uno eodemque actu contemplamur varias fi-
guras geometricas ac earum rationes et proportiones sive
oppositas sive æquivalentes; et quo magis contempla-
mur, magis mentis acies augetur ac perficitur. Atqui talis
operatio repugnat materiæ. Nam in materia potest im-
primi v. gr. chiliogonum, id est, figura constans mille
lateribus, at impossibile est imprimere simul in ipso illos
mille nongentos nonaginta sex angulos rectos, quibus
æquivalet, et sic de mille aliis, quæ intellectus simul con-
cipit ac contemplatur, cujus acies non solum non cor-

(2) Cicero ait: «Quid est quod minus probari possit, quam omnium
»in me incidere imagines? Homeri, Archilochi, Numæ... Quid quod
»ejusdem hominis in meum aliæ, aliæ in tuum? Quid quod earum re-
»rum, quæ numquam omnino fuerunt nec esse potuerunt, ut Scyllæ,
»ut Chimæræ? Quid quod hominum, locorum, urbium earum, quas
»numquam vidimus? Quid quod simul ac mihi collibitum est, præsto
»est imago? *Lib. 1. De nat. Deor.*

rumpitur in his contemplandis, ut accidit facultatibus organicis, sed potius magis augetur et acuitur. Igitur, ut ait S. Pater (1), «corporis imaginem non corpus in spiritu, »sed ipse spiritus in se ipso facit.»

Satis de iis, quorum turpissimus error corruet ubi demonstramus animæ nostræ immaterialitatem et spiritualitatem. Ubi etiam demonstrabimus, materiam nec divinitus quidem cogitare posse.

II.

Empirismus sensualista.

234. Omisso antiquorum sensualismo, Joannes Lockius (2), é Baconiana Schola, sensualismi systema adornavit, quod postea absolvere ac perficere studuit Stephanus de Condillac (3) et ex parte Petrus Laromiguière (4), quod postea, non solum in Anglia, sed præsertim in Gallia, non pauci secuti sunt. Lockius quidem duas facultates ex genere sensibilibum solum in anima admittit *sensationem* et *reflexionem*, at hæc reflexio non aliud est quam *attentio* quædam ad facta sensibilia (5). Jam

1.° Lockius comparat animam tabulæ abrasæ cui nihil inscriptum sit, donec ipsa ideas et principia acquirat per experientiam.

2.° Experientia autem duplex est: *externa*, cujus objecta sunt qualitates corporeæ; et *interna*, cujus objecta sunt mutationes animæ; per illam *ideas sensuales*; per istam *ideas reflexas* anima acquirit.

3.° *Ideæ sensuales* sunt tempore priores *ideis reflexis*;

(1) *De Genes. ad litt. Lib. 18. c. 16. n. 33.*

(2) Natus Wringtoni in Anglia, an., 1636.

(3) Natus Gratianopoli, 1715.

(4) Sacerdos, apostata in gallica revolutione, natus 1757.

(5) *De humano intellectu, Lib. 2. c. 1.*

quia anima prius in res externas in se agentes, quam in se ipsam dirigitur.

4.^o Ideæ sunt vel *simplices* vel *compositæ*. Simples sunt quæ solâ experientiâ sive internâ sive externâ acquiruntur, ut sunt ideæ factorum et qualitatum sensibilium, item ideæ voluptatis, doloris, potentiæ, existentiae, unitatis, successione: in his acquirendis anima passiva est. At anima est activa cum ideas compositas acquirat, quod fit hoc modo: 1.^o ideas complexas format conjungendo simul ideas simplices, v. gr. conjungit plures ideas qualitatum per sensum tum externos, tum internum perceptarum in unam, et hæc est idea *substantiæ*: congregat in unam ideas omnium finitorum, et hæc est idea *infiniti*: considerat prius et posterius in successivis et sic acquirat ideam *causæ* etc.: 2.^o Si anima considerat binas ideas juxta-positas format ideas *relationum*: 3.^o cum idearum, quæ sunt reipsa conjunctæ, alteram abstrahit, ac retinet solum ideas qualitatum pluribus communium, acquirat ideas *genericas* et *specificas*. Hic est modus explicandi originem cognitionis humanæ, seu potius modus destruendi cognitionem intellectualem et æquiparandi hominem bestiis.

235. Post Lockium descendit in arenam Condillachus et has facultates nobis diripuit. Anima juxta ipsum unam facultatem sentiendi tantummodo habet; nihil aliud igitur in cognitione invenitur nisi sensatio, quæ septuplici modo transformata totidem diversa nomina sortitur. Nullam tamen ex iis facultatibus anima immediate à natura accepit; natura solummodo nobis organa commodat, ut per voluptatem nos doceat quæ sint quærenda, et per dolorem quid fugere debeamus; experientiæ deinde opus et cura est totum inceptum negotium per quosdam habitus consummare.

Ut hoc explicet Condillachus supponit, hominem esse quamdam *statuam* organis sensuum præditam, cui deinde successive sensus donat, dat visum, dat auditum, dat gustum et olfactum; his tamen sensibus parum proficit *homo*-

statua, solummodo enim acquirit cognitionem suiipsius ut subjectum variarum modificationum; dat tactum, et tunc anima cognoscit objecta externa, quæ in organum hoc per resistantiam agunt, unde infert, cæteras quatuor sensationes habere etiam aliquod objectum ab ipsis distinctum. Statuit igitur, tactum esse principem sensum, quo anima objectorum externorum notitiam accipit. Anima in his omnibus passivam se habet.

—Hæc vero sensationes non semper eâdem intensione animam afficiunt, cum itaque una aliis intensione prævalet, animæ obtutum occupat, cæteris quasi ablatis, jam hæc sensatio, quæ animam exclusive occupat, est *attentio*.

—Si fortasse duæ sensationes præ cæteris eâdem intensione animam simul percellunt, tunc est *comparatio*.

—Si ex his sensationibus aliquæ aliquantulum remittuntur et alia vivida remanet, ecce tunc *memoria*.

—Si contuemur et animadvertimus similitudines aut differentias inter duas sensationes, tunc *judicium* efformamus.

—Si deinde tale iudicium cum alio conferimus ac novas convenientiæ rationes detegimus, et sic congeriem sensationum in unum coadunamus, hæc operatio ex *reflexio*.

—Si hæc coadunatio et conjunctio est multarum qualitatum diversorum sensibilium in unum objectum, tunc talis operatio est *imaginatio*; non est aliud hæc facultas, quam sensationum coaptatio.

—Si prolato uno iudicio, affirmamus singulare aliud, seu in specie quod in illo implicitum erat, talis afirmatio est deductio, atque ideo est *ratiocinium*.

«Fieri nequit intellectûs idea accuratior» concludit talis impudens et levissimus homo (1), postquam nos bestiis æquiparavit.

(1) *Logique*, P. 1. Cha. 7. Hujus diversi tractatus quamplurimis erroribus scatent: scripsit; *Essai sur l'origine des connaissances humaines*, 1746.; *Traité des systemes*; 1749; *Traité des sensations*; 1754;

236. Laromiguière distinguit in anima cognoscente: 1.^o *sensibilitatem*, seu capacitatem modificationes ab extrinseco recipiendi, et *activitatem*, seu vim, quâ potest se ipsam modificare.

2.^o Omnia, quæ in intellectu deprehenduntur, reducit ad sensationes, ad actionem mentis in sensationes, et ad ideas ex ista actione et ex sensu morali ortas.

3.^o Docet ad hæc omnia perficienda sufficere et requiri tres facultates, attentionem, comparisonem, et ratiocinium. Has tamen facultates reducit, si non nomine, re vera ad sensationem et reflexionem Lockianas (1).

237. Quoniam omnis sensualistici systematis commune fundamentum ac cardo est negatio intellectûs et reductio omnium animæ facultatum ad sensum, planum est, hujusmodi systemata non solum non posse explicare originem idearum intellectualium, sed prorsus eas negare, ac funditus evellere et destruere omnem rerum cognitionem scientificam et hominis dignitatem deprimere in ipsiusmet bestię conditionem.

Jam supra (Disput. 9.^a) demonstravimus existentiam intellectûs et ejus essentialia differentia à sensu, itaque hîc erimus breves.

238. PROPOSITIO. *Empirismus sensualista est systema, quod procedit ex falso supposito, est absurdum in se et ad absurda consectaria ducit.*

Prob. 1. pars. Procedit ex falso supposito. Etenim supponunt sensualistæ intellectum non distingui à sensu, quod falsissimum est, ut alibi demonstrabimus (cons. Disp. 9.^{am}); supponunt, omnes animæ operationes esse ipsam

Traité des animal., etc. Compilavit deinde varios tractatus et edidit in lucem, 1782, sub titulo: *Cours d'études pour l'instruction du Prince de Parme.*

(1) *Lecons de philosophie.*

sensationem diversimode transformata, quod etiam falsissimum est; etenim attentio, iudicium, ratiocinium, cæteræ actiones intellectivæ tamquam sensationes transformatæ neque esse, neque intelligi possunt, sine aliqua vi activa á sensu diversa, quæ agens in sensationes ipsas transformet. Quam vim si sensistæ á sensatione non distinguunt similes erunt illi, qui fabrum á stipite, quem dolat, distinguere nescit. Atqui hujusmodi vix activa in sensationibus non invenitur, quia hæc, ipso Condillachio fatente, sunt operationes passivæ animæ. Ergo etc.

Prob. 2. pars. Es absurdum in se. Et sane: Absurdum est: 1 expoliare genus humanum omnibus cognitionibus, quæ necessitate atque universalitate gaudent, ut sunt principia scientiarum, et homines æquiparare equo et mulo, *quibus non est intellectus* (1). Atqui hoc faciunt impudentes sensistæ, quia sensus est tantummodo cognoscitivus singularium materialium et contingentium, numquam sensus enim attingere possunt res immateriales et abstractas: 2. Absurdum est, genus humanum expoliare notionibus moralibus, ut sunt notiones juris et officii, justi et injusti etc., quæ quidem versantur circa objecta insensibilia, ac consequenter homines supponere natos ad voluptates, vel dolores animales: 3. Absurdum est, homines expoliare libertate indifferentiæ, quæ quidem in systemate empiricorum impossibilis est: 4. Absurdum est dicere, ut dicit Lockius, ideam infiniti ex aggregatione finitorum exurgere, quasi finitum finito additum infinitum efficeret; idea infiniti enim est idea *esse absoluti*; item, ideam substantiæ esse ideam congeriei qualitatum; etenim hæc qualitatum congeries in aliquo per se subsistente inhæreant oportet. Ergo etc.

Prob. 3. pars. Ad absurda consectaria adducit. Ac 1.º, ut alia infinita omittam, sensualismus materialismo

(1) Psalm. 31. v. 9.

affinis spiritualitatem et immortalitatem animæ destruit; etenim, si nulla est in anima facultas superior his, quæ per organa corporea exercentur, anima, dissolutis organis, nihil agere potest; atqui si nihil agere potest, non vivit; ergo dissolutis organis ut desinat esse necesse est, etc. etc.

2.º Destruit sensualismus omnem Religionem ac societatem tum civilem et politicam, tum domesticam; facit enim impossibilem cognitionem et applicationem illarum veritatum, quæ sunt fundamentum ac ratio Religionis et societatis; homines secundum hoc systema unirentur per quoddam instinctum ad explendas organicas necessitates, ut uniuntur pecora in greges. Historia elapsi sæculi eloquenter id demonstrat. Nihil mirum si his philosophis morum regula non sit alia, quam voluptas, et mensura officiorum utilitas.

Eritne hocce systema, quod explicet originem humanæ cognitionis? Proh Deus!

SYSTEMA IDEARUM INNATARUM.

239. Nobiliores Philosophi rectius de præstantia animæ sentientes, oppositam empirismo viam ingressi sunt, ac in eam sententiam adduti fuere, quod anima cognitionem suam, saltem initialem, naturaliter præformatam habeat.

I.

Ideæ innatæ ad mentem Platonis.

Venit itaque in primis Plato, qui semina quædam à Socrate sparsa colligens atque excolens, statuit, *ideas* non solum à sensationibus, sed etiam à *notionibus* distingui. Notiones, quas intellectus ex rerum sensibillum observatione sibi conficit, communes ipsarum qualitates exhibent; ac proinde sunt genus cognitionum contingentium, quia

ex rebus sensibilibus efficiuntur, quæ contingentes et mutabiles sunt. Ideæ autem essentias rerum repræsentant, cumque hæ solæ necessariae, immutabiles et æternæ sint, anima, nisi ideis polleret, nullius scientiæ capax foret.

At quomodo anima ideas adipiscitur? Ad hoc *supponit* ipse, animas humanas, antequam corpori unirentur, extitisse, ideasque rerum æternas et immutabiles intellexisse, vel in se ipsis, vel, ut probabilius videtur, per species intellectuales á Summa Mente ipsis inditas (1).

Postquam vero in admissorum scelerum pœnam, corporibus, quasi carceribus, inclusæ fuerunt, retinuisse quidem ingenitas illas species, sed mole ac pondere corporum, quibus demersæ sunt, impediri, quominus per illas ad actum cognitionis determinantur. Itaque anima in hac vita oblitteratas secum fert ideas, quas in anteacta vita contemplata est.

Quoniam vero res externæ ad idearum exemplar conditæ sunt, efficitur, ut anima per sensationes, quibus res externas percipit, illas ideas, ex quarum participatione hæ res suam essentiam sortiuntur in se exsuscitet, atque in præsentia contempletur. Ex his concludebat Plato, nihil novi nos in dies intelligere, sed per ingenitas species naturaliter cuncta cognoscere, non tamen actu, sed habitu: hinc scientia rerum, quam in dies adipisci videmur, non nisi reminiscencia est (2).

Platonis hæc theoria inter doctas et ingeniosas fabulas amandanda est.

240. Recentes philosophi, qui in idearum origine ex-

(1) Dixi *probabilius* contra illos, qui dicunt, Platonem admississe formas separatas archetypas, quod habeo ut falsum, ut fortassis alibi probabo.

(2) Plato passim in Dialogis, præsertim, *Parmenides*, *Timæus*, *Phædrus*, et *Republica* lib. X.

plicanda quamdam primitivam cognitionem animæ naturaliter insitam adstruunt, theoriam Platonis, rejectâ animarum præexistentiâ et aliis fabellis, redintegrare tentarunt, sed diversa ratione, unde diversa idearum innatarum systemata exoriuntur, quorum præcipui auctores sunt Cartesius seu potius cartesiani, Leibnitzius et Wolfius, et Rosminius.

II.

Itaque RENATUS CARTESIUS, præter ideas *adventitias*, quæ sensuum ministerio comparantur, ut idea solis, arboris etc., et *factitias*, quas animus inde sibi efformat, ut idea hippocentauri (vid. Log. Lect. 4.^a n. 25. seq.), *innatas* admisit, quæ cum anima *concreantur*, id est, à Deo in actu creationis in anima insculpuntur, ut idea Dei, quam naturaliter habemus (1). Hæc tamen theoria suspicor potius adscribendam esse Cartesii asseclis, quam ipso Cartesio. Cartesius enim vocavit ideas innatas, quæ à sola facultate cogitandi procederent (2).

(1) *Meditat.* III. c. 7., in qua ait: «Ex his autem ideis aliæ in natæ, aliæ adventitiæ, aliæ à me ipso factæ mihi videntur etc..» Deinde veluti animi pendens hæc adjungit: «Vel fortasse etiam omnes adventitias esse possum putare, vel omnes innatas, vel omnes factas; nondum enim veram illarum originem clare perspevi.» Qua in re prudentius se gessit, quam ejus asseclæ, qui universim affirmant, cunctas ideas esse innatas, nullamque à sensibus proficisci, nisi per occasionem, quâ videlicet motus in cerebro excitati excitandi in mente ideis deserviunt.

(2) Semel enim professus est Cartesius, se nunquam scripsisse vel judicasse: «Mentem indigere ideis innatis, quæ sint aliquid diversum ab ejus facultate cogitandi: easque solum ideas vocasse innatas, quæ nec ab objectis externis, nec à voluntatis determinatione procederent, sed à sola cogitandi facultate.» Ita se explicat in *notis in Programma belgicum, ad art. 12.* Extant inter ejus *Epist.* Male igitur communiter proclamatur Cartesius, ut propugnator idearum innatarum; aliter dicendum est de ejus discipulis.

III.

GODOFRIDUS GUILIELMUS LEIBNITZ (1), quem sequutus est, evolvens ejus hypothesim, CHRISTIANUS WOLFIUS (2), censuit, esse infinitas monades diversi generis ac ordinis. Monades infimi ordinis, ex quibus corpora coalescunt, naturaliter præditas esse, ait ipse (3), obscura quadam perceptione, quâ rerum universitatem sibi repræsentant. Statuit alteram monadum classem, quæ claris ideis, sed confusis instructæ sunt; hæ sunt brutorum animæ. Tertiam statuit monadum classem, quæ sunt animæ humanæ, quæ non clarâ modo, sed etiam distinctâ rerum repræsentatione gaudent. Hinc essentiam animæ posuit in *Schemate*, sive confusa repræsentatione, in qua idealiter exprimitur universa natura, docuitque animam vi sibi insita illud evolvere, prout objecta exteriora mutationes producunt in corpore, quod est animæ conjunctum, atque ita repræsentatio universarum rerum, quæ principio erat confusa, distincta fiat, et etiam adæquata per partes et cum quadam successione, in qua antecedens repræsentatio sit subsequenti ratio sufficiens; quin tamen unquam anima possit videre omnium perceptionum suarum numerum, et quin vel anima dependeat à corpore in suis perceptionibus, vel corpus ab anima in suis motionibus (4). Hunc fere in omnibus sequitur Wolfius (5).

(1) Natus est Lipsiæ, 1646.

(2) *Psychol. rat.*, sect. 1. Ortus est Wolfius Breslovii, 1679.

(3) *Theodicea*, P. 1. §. 33.

(4) *Observat. ad recensionem, lib., De Fidei et rationis consensu;* tom. 2. pag. 257, edit. Genev. 1768.; *Epist. ad Hanschium*, §. 3.; *Theodicea*, P. 1. et 2.

(5) *Loc. cit.*, et in *Actis Lipsien.* ad an. 1728.

IV.

ROSMINIUS (1) denique, cui præivit M. Franc. Fenelonius (2), in hac nostra ætate novo apparatu et modo systema idearum innatarum proposuit (3). Docuit enim, unicam esse ideam innatam seu á natura animo inditam, nempe intuitionem *entis possibilis et idealis*, quæ sit veluti intelligentiæ forma et ipsum lumen rationis constituat. Ex hujus autem ideæ entis universalis ac necessarii diversâ applicatione et determinatione, accedente experientiâ tam internâ, quam externâ, ac per alias mentis operationes, ut sunt *generalizatio* et *abstractio*, reliquas omnes ideas genericas aut specificas mens sibi efformat, imo ex illa ipsa profluunt judicia, quatenus posita sensatione, quæ impressionem objecti concreti referat, idea entis illi adjungatur et in perceptionem quodammodo mutetur, quâ objectum exstare affirmamus.

Quælibet itaque humana cognitio duplici constat elemento; videlicet, elemento á *priori* et *formali*, quod est idea entis animo insita, et elemento á *posteriori* et *materiali*, quod determinationibus á sensu oblati continetur. Per has determinationes idea entis convestitur, limitatur ac in reliquas omnes ideas transformatur. Hæ autem determinationes materialiter suppeditantur á sensationibus, formantur vero duplici illa operatione, *universalizatione*, scilicet, et *abstractione*.

Illud autem Ens universale, necessarium et infinitum, cujus idea innata seu insita naturaliter est in anima nostra, est ipsum Ens divinum seu Deus; igitur idea Dei, saltem

(1) Antonius Rosminius natus est in Civitatæ *Revoredo* tridentinæ Diocesis, Comitatus tirolensis, an. 1797.

(2) *Existence de Dieu*, P. 2. ch. 4.

(3) Nuovo saggio sull' Origine dell' idee.

habitualis, immediata ac essentialis est intellectui humano. (Vid. sup. n. 221, nota 1).

Hoc Rosminianum systema, cujus summam vix attingimus, est profecto profundissimum et ingeniosissimum, tamen procedit ex falso supposito, ac in pluribus aliis gravissima incommoda præfert.

CRISIS.

241. Antequam hæc, quæ recensuimus, diversa placita fautorum idearum innatarum singillatim refutemus, opportunum duximus, nonnulla adnotare contra hujuscemodi systema in universum consideratum, quæ ejus falsitatem sufficienter arguunt.

Ac I. Systema idearum innatarum pugnat cum ipsa animæ natura. Nam: 1.° de natura animæ humanæ est, ut sit intellectiva; atqui intellectio quævis est actio vitalis et immanens animæ; omnis autem actionis vitalis et immanentis principium in ipso vivente esse debet; ergo intellectio ab ipso intellectu, tamquam causa proficisci debet. Atqui si cognitio ab ipso Deo animæ infunditur, anima illam non efficit, sed in se recipit, atque ideo anima in intellectione absolute passiva est; quod est contra animæ intellectivæ naturam.

II. Insuper, anima humana infimum locum tenet inter substantias intellectuales; ergo non potest ei convenire ille intelligendi modus, qui proprius est substantiis intellectualibus superioris ordinis. Atqui ad substantias intellectuales superioris ordinis, quæ sunt totaliter á corporibus absolutæ, pertinet suam perfectionem intelligibilem consequi per intelligibilem effluxum, quo á Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura. Ergo animæ humanæ habent potentiam intellectivam non completam naturaliter, sed completur in eis succes-

sive per hoc quod accipiunt species intelligibiles á rebus. Ita S. Thomas (1).

III. Pugnat cum experientia. Nam, ut jam alibi adnotavimus, illi, qui aliquo sensu carent, omni quoque destituuntur scientiâ illarum rerum, quæ per eum sensum percipiuntur. Sic surdus á nativitate nullam habere potest ideam sonorum, atque adeo vocum, quo fit, ut surdi á nativitate sint etiam muti (2).

IV. Pugnat cum sana ratione. Etenim certum omnino est, nos nihil posse intelligere, nisi per ideas. Atqui potestas animæ intellectivæ ad intelligendum est quodammodo infinita, ut ait S. Tomas (3) et nos demonstravimus (Disput. 10.^a, pag. 94.); possumus enim cogitare species numerorum, figurarum, proportionum in infinitum (4). Igitur si ideæ essent nobiscum creatæ, haberemus nobiscum infinitas ideas, scilicet, ideæ infinitæ numero essent in mente finita,

V. Postremo, systema idearum innatarum ducit ad idealismum. Nam mens ideis suis res extra se respondere nullo rationali argumento persuadere sibi posset. Etenim cum anima non sit causa rerum, neque ipsarum repræsentatrix esse potest, atque ideo ideæ, quæ animæ insitæ esse dicuntur, nullo modo ab ipsa anima possunt accipere vim repræsentandi res. Ergo si admitteretur systema idearum innatarum actum foret de realitate nostræ cognitionis.

Nunc jam breviter refutandæ sunt singulæ positiones patronum idearum innatarum.

(1) *Sum. Th.*, 1. P. q. 55, á 2 in corp.

(2) «Omnis surdus á nativitate, ait S. Thomas, (*De sensu et sensib. Lect. 2.*) ex necessitate mutus est. Non enim potest addiscere formare sermones significativos qui significant ad placitum. Unde sic se habet ad locutionem totius humani generis, sicut ille, qui numquam audit aliquam linguam ad imaginandum illam.»

(3) *Sum. th.* 2.^a 2.^æ, q. 30, á 4. ad 2.

(4) S. Pater Aug., *De Civit. Dei*, Lib. 12. c. 18.

242. PROPOSITIO I. *Platonis sententia de origine idearum manifeste absurda est.*

Prob. 1. Hæc opinio tota quanta est innitur duabus falsissimis hypothesis. Prima est, animas corporibus præextitisse ejusque unionem cum corpore non naturalem et in bonum utriusque, sed pœnalem et violentam esse; infra demonstrabimus hanc hypothesis absurdissimam esse. Altera est, immediatum nostri intellectûs objectum esse ideas divinas, atque adeo, juxta platonicos quosdam, ideas immateriales separatas, quod adversatur rationi et experientiæ, ut videbimus, cum agamus de Ontologismo.

2.° Si illæ ideæ per sensus excitantur, dicendum est, conjunctionem cum corpore esse causam, cur anima illarum recordetur; quia anima vim sentiendi acquirit ex eo quod cum corpore jungitur. Atqui conjunctio cum corpore, secundum eundem Platonem, est causa, cur anima illarum idearum obliviscatur. Ergo ob eandem causam anima obliviscitur et recordatur suarum idearum, id quod aperte absurdum est.

3.° Animæ rationalis cum corpore conjunctio naturalis est ac pulcherrimum naturæ opus. Est ergo in animæ rationalis bonum, non detrimentum. In magnum autem ejus detrimentum cederet conjunctio ista, si naturalem ejus cognitionem non modo non promoveret, verum etiam impediret ac pene aboleret, ut à Platone ponitur (1).

4.° Denique, Platonis sententia ducit necessario ad purum scepticismum. Etenim nullus est homo sanæ mentis, qui non sentiat se prorsus ignorare illas formas archetypas, secundum quas mundus visibilis conditus est. Aliunde plane cognoscimus, ideas nostras non esse rationes et causam rerum. Ergo vel admittimus nos efformare ideas ad præsentiam rerum, vel confiteamur necesse est, nos nul-

(1) Cons. Salv. Tong., *Inst. phil.*, tom. 3. c. 8. art. 2.

lius rei scientiam habere. Hoc argumentum valet respectu objectorum cujuscumque ideæ innatæ.

243. Ecce nunc speciosum Platonis argumentum: Quicumque homo, ait ipse, quantumvis rudis, si apte interrogetur, recte ac vere ad singula respondet; jam vero nemo respondere potest verum, nisi in iis, quorum cognitionem præhabet. Ergo omnes homines, antequam scientiam acquirant, veritatem cognoscunt.

Respondet S. Thomas; «Dicendum quod ordinata interrogatio procedit ex principiis communibus per se notis ad propria. Per talem autem processum scientia causatur in anima addiscentis. Unde cum verum respondet de his de quibus secundo interrogatur, hoc non est quia prius ea noverit; sed quia tunc ea de novo addiscit. Nihil enim refert, utrum ille, qui docet, proponendo vel interrogando procedat de principiis communibus ad conclusiones. Utrobique enim animus audientis certificatur de posterioribus per priora (1).»

244. PROPOSITIO II. *Nullæ sunt ideæ, quæ à sola facultate cogitandi immediate originem ducant.*

Est hæc propositio contra Cartesium. *Prob.* Nam si ponamus cogitandi facultatem esse ex se ad hasce ideas determinatam, eæ statim ab ipso suo ortu in mente vigerent, quod est contra experientiam. Ideæ enim, quæ hoc pacto innatæ dicuntur, solum post experientiam, ac post plures alias cognitiones, in humana mente versari incipiunt. Reponet Cartesius: tunc ex habitualibus fieri actuales et ex directis reflexas. Hoc autem est quod debet probare, sed quomodo probabit?

Deinde nulla est necessitas, cur cuiquam ideæ hujusmodi originem assignemus, ut ex dictis et dicendis patet (2).

(1) *Sum. th.*, 1. P. q. 84. a. 3, ad 3.

(2) *Cons. Salv. Tong.*, *loc. cit.*

245. PROPOSITIO III. *Nullæ sunt ideæ nobiscum creatæ et animæ insitæ.*

Est hæc propositio contra Cartesii discipulos.

Prob. 1.º Cartesianorum hypothesis his duobus pronuntiatis innititur: Primum est, quod animæ essentia in actuali cogitatione consistit; nam, secundum ipsos, sicut anima essentiam, ita etiam cognitionem á Deo habet. Alterum est, quod idearum intellectualium origo per sensus explicari nequit. Atqui utrumque falsissimum est.

Falsissimum est primum; etenim, ut suo loco ostendemus, non solum cognitio aut intellectualis operatio non constituit animæ essentiam, sed neque ipsa cognoscendi facultas. Quod si dicere solemus *primum habitum principiorum* intellectui naturalem esse, hoc intelligi debet, non de quibusdam cognitionibus in eo impressis et latentibus, sed de naturali dispositione ad prima principia formanda per primitivarum iderum analysim. Solummodo actualis sui sensus est animæ essentialis.

Falsum et gratuitum est etiam secundum, ut supra ostendimus. Insuper ex hoc minime inferri potest, esse ideas innatas, sed potius aliam in anima agnoscendam esse facultatem, quâ ipsa eas sibi comparet.

2.º Præterea, admissâ cartesianorum hypothesi minime explicatur idearum origo. Etenim cæteræ ideæ, quæ innatæ non sunt, si cum sensationibus, ut par est, non confundantur ¿quomodo, aut quâ vi produci dicuntur? Sane aut á Deo, aut á mente occasione sensationis. Si dicunt á Deo, dicent quod probare nullatenus possunt. Si á mente, inferemus, eadem vi mentis eas quoque ideas, quæ innatæ dicuntur, produci posse.

3.º Denique, respondeant Cartesiani ¿Quid sunt illæ formæ menti impressæ et habituali cognitione intellectæ? Etenim de hac cognitione nihil sensus intimus nos monet, nec umquam monere potuit. ¿Quomodo illæ consopitæ

delitescunt, aut quomodo deinde mens ad eas reflexe contuendas determinatur? Nescio profecto, an hæc omnia ab aliquo intelligi possint, probari saltem nullatenus possunt. Nihil mirum si Cartesius hac de re ambiguus hæsitavit.

246. PROPOSITIO IV. *Leibnitzii et Wolfii systema circa originem idearum tanquam ridiculum paradoxon rejiciendum est.*

Et profecto ridicula paradoxa sunt: 1.° Animam esse monadem quamdam, quæ in se naturaliter impressam habet ideam confusam totius universi, quæ evolvitur ac distincta fit, prout locum habent ac evolvuntur motus, qui in corporibus fiunt secundum legem harmoniæ præstabilitæ inter utrumque. Etenim 1.° hoc gratis asseritur: 2.° destruit naturalem unionem inter animam et corpus, atque ideo rationem humanæ personæ, ut infra demonstrabimus: 3.° inducit ineluctabilem idealismum; ideæ enim omnes proficiscuntur in hoc systemate ex evolutione virtutis cujusdam internæ, non determinatæ ab aliqua externa causa, sed sponte et cujus antecedens evolutio est ratio sufficiens subsequentis; abrumpit igitur omnem communicationem inter animam et mundum externum: ac 4.° impingit in eadem incommoda ac Platonismum.

2.° Secundum hoc systema anima ex sua essentia habet in se repræsentationem totius universi. Atqui hoc est absurdum paradoxon; nam solius Dei, qui est causa exemplaris et efficiens omnium rerum, proprium est earum similitudines in se essentialiter habere, atque ideo per suam ipsam Essentiam omnia cognoscere (1).

(1) «Si aliquis intellectus est, ait S. Thomas (*Sum. the. 1. P. Q. 84. a. 2.*) qui per essentiam suam cognoscit omnia, oportet quod essentia ejus habeat in se immaterialiter omnia. Hoc autem est proprium Dei, ut sua Essentia sit immaterialiter comprehensiva omnium,

Dolendum est, insanum amorum erga suum principium de *ratione sufficiente*, et de *harmonia præstabilita* adduxisse eximii ingenii virum ad tales nenas profitendas.

247. PROPOSITIO V. *Rosmini systema rejiciendum est.*

Ac. 1. Totum hoc systema huic innititur fundamento: ens in omni ideâ contineri: entis autem, si abstracte spectetur, attributa propria esse universalitatem, necessitatem, infinitatem, æternitatem. Etsi cl. Rosminius de ente ideali quandoque ita disserit, ut non tenui obscuritate laboret, tantâ, ut difficile admodum sit definire quid illud sit. Deinde ipsam entis ideam modo dicit esse ipsum rationis lumen, quod in nobis est; modo esse objectum à cognoscente distinctum, quod mens contempletur; modo esse ipsum Deum; modo aliquid à Deo sic diversum, quemadmodum mens hominis diversa est à Mente Divina (1). Quapropter difficillimum, imo fortasse impossibile est determinare quid proprie intelligendum sit nomine *ideæ entis possibilis et idealis*. Jam vero hæc hæsitantia et obscuritas saltem hoc probat, scilicet, Cl. Auctorem non satis certum ac probatum habere suum ipsum systema.

» prout effectus virtute præexistunt in causa. Solus igitur Deus per
» Essentiam suam omnia intelligit, non autem anima humana, neque
» Angelus.»

(1) Videte propositiones supra adnotatas, *Disp.* 15.^a n. 222. in nota 1., quibus has duas, quas ibi omissimus, addite:

Prop. 6.^a *Res creatæ sunt in Deo tamquam pars in toto, non quidem in formali, sed in toto infinito, simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit.*

Prop. 7.^a *Creatio sic explicari potest: Deus ipso actu speciali, quo se intelligit et vult tamquam distinctum à determinata creatura, homine v. gr., creaturam producit, Quid hæc significant, si non significant pantheismum, vix capio. Nihil mirum est igitur, si Rosminius habeat multos lectores, atque nullum aut paucissimos sectatores; etsi non desit, qui dicat: Rosminium esse philosophum, qui inter modernos D. Thomæ mentem fere unicus assequutus fuerit.*

Sed ipse statuit, illud, quodcumque demum sit, esse innatum et ex ejus applicatione ad sensibilia cæteras omnes ideas in mente gigni.

At vero id quomodo ipse probat? In omni judicio, ait, aliqua idea generalis continetur; siquidem attributum per se consideratum generalitate quadam semper gaudet. Atque ad efformandam ideam generalem semper prærequiritur aliquod judicium, non enim sufficit sola abstractio, quâ objectum á notis individuantibus separetur. Ergo, ne in circulum vitiosum labamur, statuendum est, esse in nobis aliquam ideam innatam maxime generalem, ex qua aliæ omnes proficiscantur. Jam vero hæc idea non est alia, quam idea entis; etenim hæc ex una parte cæteras omnes informat; ex alia vero neque á sensationibus tum internis, tum externis deduci potest, neque á ratione ipsa, neque á Deo conditur in instante ipso, quo intelligimus. Speciosum argumentum, sed facile corruiat his animadversionibus:

248. I.^a Idea entis ideo in omni idea continetur, quia hæc est prima nota, quæ ab intellectu vi sibi propria in rebus deprehenditur. Etenim quidquid mens apprehendit esse habeat oportet; *non-esse* per se minime apprehendi potest. Jam vero cum intellectus ens reale apprehendit, potest absdubio á conditionibus existentiae contingentis præscindere, et retinere solummodo notionem *esse*, quod in eo contuetur, et tunc statim intelligitur, cur ens ab eo conceptum sit ex se et in ordine ideali aliquið universale, necessarium, indefinitum, quemadmodum sunt omnes rerum essentialium.

II.^a Falsum est ad ideam generalem saltem directam efformandam, prærequiri judicium; sufficit enim abstractio simplex seu directa, quâ mens ab objecto per sensus oblato separat essentialiam seu quidditatem á conditionibus seu characteribus individuantibus existentiae contingentis. (Cons. Log. Appendix: De idearum univ. etc., pag. 236.n. 294.)

III.^a Illud iudicium, quo mens, juxta Rosminium, applicat ideam *entis possibilis seu idealis* elementis sensibilibus, tamquam formam materiæ, et ex quo cæteræ omnes perceptiones seu ideæ rerum gignuntur, impossibile est et naturæ iudicii repugnat. Etenim mens, secundum Rosminium, non cognoscit rem, quæ sensationem producit, nisi antea efformet iudicium, quo ideam innatam entis ipsi applicet; quapropter mens, cum hoc iudicium conficit, applicat ideam entis rei, quam nondum cognoscit. Atqui hoc est absurdum; nam «nullus potest applicare aliquid ad alterum, nisi utrumque præcognoscat; unde dicta applicatio non potest esse ratio cognoscendi particularia, sed cognitionem singularium præsupponit (1).» Ergo impossibile est tale iudicium.

Præterea, nisi subjectum et attributum ab una eademque facultate percipiatur, iudicium impossibile evadit; quia iudicium consistit in unico et indiviso actu, quo relatio inter subjectum et prædicatum perspicitur; at hæc relatio hoc modo perspicere non potest, nisi una eademque sit facultas, quæ subjectum et prædicatum cognoscit: in primitivo autem iudicio, juxta Rosminium, subjectum et prædicatum pertinent ad diversas facultates; quia subjectum est id, quod per sensus extrinsecus animæ advenit, prædicatum autem est idea intelligibilis entis, quæ innata supponitur, et intrinseca animæ est. Ergo iudicium primitivum eo modo, quo à Rosminio explicatur, naturæ iudicii repugnat.

IV.^a Ut alia omittam, in hoc systemate sensatio in ideam transformari dicitur, quia sensatio ens ideale determinat. Jam vero sensatione posita, mens, præter ideam entis possibilis, quam contempletur, vel deprehendit in ipsis objectis illud esse reale, quod ipsis est proprium, vel non. Si primum, ruit totum Rosminii systema. Si vero.

(1) S. Thom. *Sum. th.*, 1. P. Q. 14. a. 11., in corp. post med.

secundum, quod Auctoris menti conformior est, jam cum affirmamus: *id quod sentio existit* (1), subjecto prædicatum tribuimus, non quia hoc illi convenire perspiciamus, sed ex subjectiva necessitate ac sine fundamento, quo posito, objectiva realitas cognitionum intellectualium, imo existentiae ipsius *ego* seu subjecti cogitantis problematica efficitur, cujus solutio dabit absdubio purum *subjectivismum*.

Quamplurimis aliis incommodis laborat hoc systema, magis vero transcendentalia notata sunt á S. R. et U. Inquisitionis Congregatione supra citata.

SYSTEMA ONTOLOGICUM,

SEU IMMEDIATE INTUITIONIS DIVINÆ ESSENTIÆ.

249. Radicale vitium et magis transcendentalia systematis idearum innatarum est negatio realitatis objectivæ humanæ cognitionis; etenim eo ipso quod statuatur, ideas nihil aliud esse, quam formas impressas *á priori* in mente, impossibile est demonstrare objectivitatem intellectualis cognitionis. Hoc radicale vitium debitare volentes nonnulli Philosophi in aliud periculosius et absurdus inciderunt; statuerunt enim hi Philosophi: *Deum immediate perceptum omnis cognitionis fontem et originem esse*; unde sequitur, ideas humanæ mentis non esse medium, quo objecta intelligibilia cognoscuntur, sed esse objectum ipsum ac terminum cognitionis, ac propterea mens humana est facultas mere passiva et scientia seu cognitio rerum, omni *subjectivitate* remota, non acquiritur, sed reci-

(1) Notandum etiam est, per sensationem, juxta Auctorem systematis, non attingimus objectum externum in se, sed solummodo organicam impressionem in corpore nostro effectam.

pitur. Systema horum Philosophorum vocatur *Ontologismus*, seu potius systema *intuitionis Divince Essentiae*.

Ontologismus itaque est systema illud, in quo á Deo, tamquam unico intelligibili, et unico intelligibilitatis fonte, cognitionem nostram repetendam esse statuitur.

Hujusce systematis parens est Malebranchius (1) nominis autem Vincentius Giobertius. Elementale opus non permittit horum systema illâ omni, cui se præstat, extensione exponere, summam igitur tantummodo attingimus.

250. Itaque Ontologorum systema huc redit: Deus immediate perceptus omnis cognitionis fons et origo est; omnia, quæ *intelligibiliter* mens cognoscit, in Eo videt. Quatuor tamen existunt rationes seu modi videndi res, videlicet, per se ipsas, per earum ideas, per sensum intimum, per conjecturam.

Ac 1.^o Deum per se ipsum ac immediate contuemur; etenim cum mens nostra intimior Deo, quam sibimetipsi sit, necesse est, ut Deum, et quidquid in Deo est, videat, et quoniam in Deo sunt ideæ, sive exemplaria omnium rerum, necesse quoque est, ut ipsa res intelligat ex eo quod *illarum ideas in Deo videt*. Hinc statuunt, in Deo solo esse Lumen, quod Eum cæterasque intelligentias illustrat (2), seu quod idem est, Ipsum solum esse per se intelligibilem, cæteraque omnia non esse intelligibilia nisi ex Eo, et per idem lumen, quo Deus ipsa intelligit. Ideas vero entis sim-

(1) Ontologi, ait Caj. Sansev., suam sententiam cum philosophia Platonis consentire falso asserunt. Et profecto Plato, ut ex dictis (pag. 217. seq.) patet, non docuit, animam nostram hac in vita ideas intelligibiles in Deo intueri, sed illas, antequam in corpore obtruderetur intuitam fuisse per species intellectuales á summa Mente ipsi inditas; neque sensit, animam in hac vita res intelligere lumine increato Dei, quod sibi præsens est, sed penes se ideas velut consopitas habere, earumque reminisci, cum occasio ei á rebus sensibilibus offertur.

(2) Malebranch., *Entrètiens sur la métaphysique etc. Entret.* 8.

placiter, veri, pulchri, honesti et similes, dicunt, esse ipsum Ens infinitum sub diverso respectu consideratum.

2.^o Ideas omnes, quæ rerum materialium essentiam intelligibilem exhibent, mens immediate conspicit in ipso Ente infinito, id est, Deo; ideoque eas cognoscit per ideas archetypas, secundum quas Deus res condidit, primo directe, deinde reflexe. Directa illa cognitio perpetua est et indeterminata; reflexa vero determinata est, et successive augetur, ejusque occasio sunt sensationes et vocabula.

3.^o Animam vero nostram nec per se ipsam nec per ipsius ideam, sed per conscientiam seu sensum intimum cognoscimus.

4.^o Denique cæteros spiritus, ac puras intelligentias solummodo per conjecturam seu analogiam cognoscimus.

251. Hæc sunt præcipua Ontologorum dogmata, omissis nonnullis parvi momenti differentiis; solum Giobertius, quoad modum videndi res aliter se explicat. Etenim secundum Giobertium, res à nobis cognoscuntur, non per Ideas Divinas, sed quatenus mens nostra intuetur actum *creativum* Dei, cujus terminus sunt. Igitur cognitionis omnis principium est *intuitus idealis*: immediatum hujus objectum est *Idea*, quæ non est forma quædam repræsentativa ac subjectiva, sed verum ipsum objectivum et absolutum, ipsum Ens, seu Deus ut Ens. Hæc prima idea (*primum psychologicum*), et prima res (*primum ontologicum*) identica sunt, ac primum unum, quod merito primum *philosophicum* appellari potest. Sed hoc Ens, seu Deus à nobis videtur, non in sua abstracta realitate, sed ut est ens reale et concretum, ut in seipso re vera est, est autem *creans existentias* (1). Ex quo consequitur, mentem nostram Deum intuentem tria conspicerere: 1. *Ens absolutum*,

(1) Giobert., *Introduzi. allo studio della Filosofia*, lib. 1. c. 4. Tom. 2., pag. 149, Brusselle 1843. *Digli errori filos. di A. Rosminii.*, ibid.

infinite, quod ex se et in seipso existit: 2 *actionem creativam* liberam, quâ hoc Ens se cum suis operibus externat, ipsis existentiam communicando: 3 *res finitas* seu existentias contingentes, quæ actionis creativæ sunt terminus. Quapropter principium ac fundamentum universæ scientiæ est hæc formula idealis, quam vocant iudicium primitivum: *Ens creat existentias*.

252. Ex hoc sequitur, omnia nostra iudicia esse synthetica *à priori*, non quidem synthesi subjectiva, sed objectiva, quæ sita est in Entis revelatione. Primum tamen iudicium: *Ens necessario est*, analyticum est; quia Divini Iudicii, quo *qui est*, seu Deus coram mente nostra sistens dicit: *ego sum necessario*, est repetitio. Ac primum istud iudicium prima reflexio est, et philosophiæ initium esse debet. Unde etiam sequitur, Dei existentiam demonstrari non posse.

Inter hos annumerari potest *Schellingius*, cum hac sola sed absurdissima differentia, scilicet, quod illud Ens absolutum est simul omnia, subjectum et objectum, res et idea, existentia et cognitio, spiritus et materia.

Sit jam

PROPOSITIO. *Ontologismi theoria est omnino falsa et periculosa.*

253. *Prob. 1.^o pars.* Caput et summa ontologismi his duobus assertionibus continetur: prima est: *Nos Deum immediate intuemur ac cognoscimus*: altera est: *Hæc immediata Dei cognitio intellectualium omnium cognitionum medium est, ipsumque intelligentiæ lumen constituit*. Atqui utraque assertio falsa est et periculosa. Ergo etc.

254. *Prob. min.* Falsum est, *Deum immediate à nobis cognosci*.

Ac 1.^o Si Deus à nobis immediate intueretur, beatis similes essemus, quia non *per speculum et in ænigmate*, sed *facie ad faciem, ipsum videremus*, ut inquit Aposto-

lus (1) et exponit S. P. Augustinus. Etenim Deus non potest cognosci immediate per se ipsum, nisi videatur per suam Essentiam. Atqui hoc repugnat non tantum cum sensu communi verum etiam cum intima experientia et ratione. Ergo etc. (2).

Prob. min. 1.º Pugnatur cum sensu communi. Omnibus enim hominibus, inclusis Ontologis, conscientia pernegat, se hunc intuitum in animo deprehendere, quantumlibet intimas ejusdem latebras perscrutemur. Atqui hunc maxime intuitum, si is vere in nobis esset, præ aliis omnibus internis factis, occurrere conscientiæ necesse foret: esset enim factum internum ad solum pertinens spiritum, non compositi proprium, illudque perfectum, totumque ad se rapiens intellectum atque omnis cognitionis, secundum Ontologos, et appetitionis elementum. Si ergo hic intuitus in intellectu esset, non posset intellectus in se rediens, ipsum non deprehendere. Ergo etc.

2.º Pugnatur cum intima experientia. Etenim omnes experimur, cognitionem, quam de Deo in hac vita assequi nos possumus, imperfectam admodum esse, et non per immediatum et directum intuitum habemus, sed per discursum

(1) Ep. 1. ad Corint. c. 13. v. 12.: vide 1. ad Rom. c. 19. v. 20.: Joan. c. 1. v. 18. Sap. c. 13.

(2) «Cum legis, ait S. P. Aug. Ep. 92. al. 6. n. 4.: videmus »nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: intellige inde nos tunc visuros facie ad faciem, unde videmus nunc per »speculum in ænigmate. Hoc autem utrumque interioris hominis »munus est, sive cum in ista peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua utitur speculo et ænigmate, sive in illa patria, cum per »speciem contemplabimur, pro qua visione positum est: facie ad faciem.» Et, Lib. 1. de Trinit. c. 8. n. 17. ait: «Quod dixit famulo suo Moysi: »Ego sum qui sum: hæc dices filiis Israël. Qui est misit me ad vos: »hoc contemplabitur, cum vivemus in æternum.» Et, Lib. 12. de Gen. ad litt. c. 27. inquit, «Eum (Deum) nemo videns vivet vitâ istâ, quâ mortaliter vivitur in istis sensibus corporis.»

multiplexque ratiocinium á perfectionibus rerum finitarum adjecta notione excessûs et negatione imperfectionum omnium ascendendo progredimur. (vid. *Disp.* 15.^a n. 227.)

3.^o *Pugnat cum ratione.* Etenim si Deum in se ipso immediate intueremur, ipsam ejus Essentiam immediate conspiceremus. Atqui hoc est absurdum; quia quicumque intellectus, qui aliquid intelligit, necesse est, ut habeat naturalem dispositionem ad principium, quo illud intelligit, seu ad formam intelligibilem, ex qua in actu intellectio- nis constituitur, atque ut hæc forma intelligibilis pertineat ad eundem ordinem idemque genus, ad quod intellectus pertinet; alioquin effectus superaret virtutem causæ, et totum containeretur in parte ac majus in minori. Atqui Essentia Divina neque est in eodem ordine, in quo est intellectus creatus; neque in eodem genere, ad quod per- tinet intellectus finitus; hunc enim ex omni parte infinite supergreditur. Ergo absurdum est dicere, intellectum crea- tum *naturaliter* intueri posse Divinam Essentiam (1).

Hæc conclusio nec ab ipsis Ontologis negatur: hi enim dicunt, Deum á nobis videri ut Ens absolutum, ut Ens perfectissimum et infinitum, ut Ens creans finitas exsis-

(1) Dixi *naturaliter*, et profecto intellectus creatus suis naturalibus viribus tantummodo præditus, nec de Potentia Divina Deum intueri potest: repugnat enim; ideoque ut intellectus quicumque creatus Deum immediate intueatur et contempletur, necesse est, ut ad altiorem ordi- nem elevetur mediante *Lumine gloriæ*. Concilium generale Viennense celebratum an. 1311. sub Clemente V., damnavit errorem *Beguardo- rum* et *Beguiinarum* esserentium, quod: *Qualibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata; et anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, et Eo beate fruendum.* Art. 5. Quid sit hoc *Lumen gloriæ* in Scholis disputatur. Mihi probabilius videtur, Lumen gloriæ esse ipsum Deum, sive divinum et increatum Lumen beatorum menti intime affulgens, suoque fulgore ac motione imprimens illi qua- litatem et habitum; qui tamen non est entitas quædam realiter distincta ab anima, sed ejus ordo, affectio et modificatio.

tentias; nequaquam tamen ipsam ejus Essentiam nobis manifestari. Ast immerito Ontologi hoc negant. Etenim Deus in se ipso simplicissimus est: nulla penitus est in Eo distinctio, nec distinctionis fundamentum Essentiæ ab Existentia, attributorum vel operationum á natura. Nequit igitur in se inspectus concipi per partes: nequit in se percipi ut Ens, ut perfectum, ut necessarium, quin hoc ipso ejus Essentia percipiatur (1). Itaque vel Deus nullo modo in se ipso et immediate videtur, vel videtur ut est in se ac secundum ipsam Essentiam.

Denique Doctrina catholica est, Deum in se cognitum esse beatitudinis objectum: hinc ab homine mortali nullatenus immediate videri, sed solummodo cognitione abstractiva et deducta ex rebus creatis cognosci posse. Quæ doctrina non modo apud SS. Patres, et in Catholicis scholis communis est, sed etiam in sacris Litteris non dubia habet fundamenta. Hæc autem doctrina, si vera sunt Ontologorum placita, nonne esset desserenda, aut saltem limitanda multipliciter, et explicationibus, certe non obviis, interpretanda? (2).

255. Falsum quoque est, *immediatam Dei cognitionem intellectualium omnium cognitionum medium esse, ipsumque intelligentiæ lumen constituere*. Hujusce assertionis falsitas ex falsitate alterius primæ consequitur; si enim Deus immediate intueri á mente nostra naturaliter non potest, neque veritates quidem rerum in Eo et per Eum cognoscere potest. Insuper hæc assertio adversatur naturæ intellectûs et progressioni humanæ cognitionis, ut ex alibi dictis patescit.

(1) S. P. Aug. *De Trinit. Lib. 7. c. 5.* docet: «Fortasse solum Deum dici oporteret essentiam. Est enim vere solus, quia incommutabilis est.»

(2) Cons. Salv. Tong., *Inst. phil. vol. 3. Psychol., lib. 3. c. 7. art. 2.*

Insuper, «Ontologi hanc assertionem vel intelligunt de cognitione Dei, ut est Ens simpliciter et Ens infinitum, vel de cognitione idearum exemplarium, quæ sunt in Mente Divina.

Si primo modo intelligunt, jam falsum esset, nos rationes rerum æternas in Deo intueri. Nam infinitum in se cognitum nullius rei finitæ ideam nobis suppeditare potest. Rerum enim æternæ rationes in Divina perfectione non sunt formaliter, sed tantummodo ut in fundamento, eminenti quodam modo (1). Proinde etiam hac infiniti cognitione posita, non idcirco rerum finitarum ideas proprias in Eo reperiremus, sed ad summum ex ejus consideratione aliquas earundem ideas analogicas efformare possemus.

Si intelligunt de cognitione exemplarium idearum; in primis gratuita prorsus est isthæc assertio. Deinde ex ea sequeretur, nos intimas rerum essentias plane cognoscere; id quod est omnino falsum. Insuper, cum ideæ Dei archetypæ sint id quod Divinus Intellectus vitali actu intelligit, quatenus suam Essentiam ut imitabilem cognoscit; et cum hujusmodi rerum rationes nihil aliud sint in Deo, quam ipsa Divina Essentia prout á Divino Intellectu cognoscitur ut imitabilis á rebus á se distinctis; non solum inexplicabile, sed absolute impossibile est, ut hæc ideæ Divinæ et rerum rationes sint objectum intellectûs nostri (2).»

256. *Prob. 2. pars. Ontologorum theoria est periculosa.* Quamplurimi sunt errores, ad quos recta via ducit ontologismus, tamen duo vel tres, brevitatis gratia, solummodo adnotabimus.

Ac 1.º Ontologismus confundit, seu potius destruit ordinem supernaturalem, ac consequenter inducit purum

(1) Ontol., *Disp.* 6.º n. 70.

(2) Cons. Salv. Tong., *loc. c.*

rationalismum. Etenim si Deus intuetur naturaliter et immediate ab intellectu creato, intuetur ut in se est; ac per consequens intuetur intellectus æternam Verbi Generationem, Spiritûs Sancti á Patre Filioque Processionem; actiones creationis, sanctificationis, justificationis etc. et hæc omnia sine *Luminis gloriæ* auxilio, quæ omnia, non solum hæretica, sed absurdissima sunt.

2.º Quemadmodum Ontologi contendunt, intellectum res finitas non cognoscere, nisi quatenus summum Ens cognoscit; ita quoque ratum habent, voluntatem nullum infinitum bonum appetere, nisi quatenus summum Bonum appetit. Unde sequitur, omnes voluntatis motus honestos esse. Recta siquidem et honesta est illa dilectio, quâ aliquid propter Deum et in Deo diligimus. Hoc autem si semel admittatur, homo amplius peccare non potest, quia nulla actio inhonesta est amplius possibilis (1).

3.º Ontologismus ad pantheismum ducit. Etenim res sunt intelligibiles, quatenus sunt, quapropter quidquid habet *esse* in se, intelligibile etiam in se est, et quidquid non est intelligibile in se, non habet *esse* in se; intelligibilitas cum realitate convertitur. Atqui Ontologi autumant, res non esse intelligibiles in seipsis, sed solummodo in Deo. Ergo secundum Ontologos, res non habent esse proprium, sed dumtaxat ad Esse divinum pertinent, eruntque quædam derivatio ipsius Esse Divini (2). Præterea pluri Ontologi dicunt, ipsam *entis* ideam nihil aliud esse, quam Deum cognitum ut Ens. Jam vero, hoc posito, sequitur, quod cum dicimus v. gr. *homo est ens*, non esse hoc ita intelligendum: *homo est aliquod ens*, sed ita prorsus: *homo est ipsum Ens contractum, ac certo quodam modo determinatum* (3).

(1) Cons. Salv. Tong., *loc. c.*

(2) Cons. supra, *Disp. 10.º, n. 112.*

(3) Merito igitur et suis principiis consentiens, ajebat Giobertius:

257. Quod vero attinet ad Malebranchium, ipse sibi passim contradicit: Dum enim adstruit 1.^o visionem corporum in Deo et per Deum, rejicit visionem substantiarum spiritualium, quæ tamen potiori jure in Deo, et per Deum videri debuissent, minus enim distant á Deo, quam corpora. Asserit 2.^o nos corpora in Deo et per Deum videre, ac postea contendit, corporum existentiam probari non posse, nisi per Divinam Revelationem. Postquam affirmavit 3.^o nos habere de corporibus perfectissimam cognitionem, profitetur difficile esse determinare, num materia alia attributa habeat præter extensionem.

258. Quod attinet ad visionem Giobertianam de actione Dei *creatricæ*, sufficit animadvertere, hanc impossibilem esse: Etenim actio creatrix, seu actus creationis active sumptus, seu ex parte Dei est ipsa Divina Essentia æterna et immutabilis; passive vero, seu ex parte terminorum est instans, quo possibilea esse reale accipiunt, quæ itaque videri possunt in suo physico esse, quodque non paucis ab hinc sæculis acceperunt. Somniatur Giobertius.

259. Quod attinet ad Joseph Schillingium, cum purus putusque pantheismus sit ejus theoria, vos remitto ad *Cosmologiam*, Disp 4.^a n. 76. et 119.

260. *Objicies* illud S. P. Augustini: «Omnia in luce Primæ Veritatis cognoscimus et per Eam de omnibus judicamus.»

Respondet S. Thomas: «Dicendum quod omnia dicimus in Deo videre, et secundum Ipsum de omnibus judicare, in quantum per participationem sui Luminis omnia cognoscimus et judicamus. Nam et ipsum lumem naturale rationis participatio quædam est Divini Luminis; sicut

Firmiter persuasum habeo, Pantheismum esse unicam solidam ac veram Philosophiam: In Epist., sub pseudonimo: Demofilo, alla giovine Italia, cujus authentia indubia est. Cons. Ephem., La Scienza e' la Fide, tom. 18, pag. 305. seq.

»etiam omnia sensibilia dicimus videre et judicare in Sole,
»id est, per lumen Solis. Sicut ergo ad videndum aliquid
»sensibiliter non est necesse, quod videatur substantia
»Solis, ita ad videndum aliquid intelligibiliter, non est ne-
»cessarium quod videatur Essentia Dei (1).»

SYSTEMA EXTERIORISTICUM

SEU TRADITÆ REVELATIONIS.

261. Existit ab hujus sæculi initio et in Gallia et in Belgio *Schola religiosa* seu *theologica* (2), quæ etiam in aliis regionibus suos nacta est sectatores, quæ si in pluribus aliis, ob rationum pondus, auctoritatem et *religiositatem*, omni honore digna sit, quod attinet ad originem humanæ cognitionis explicandam multum à veritate distat et viam aperit illis ipsis erroribus, quos oppugnare pertentat. Extrema se tangunt; qui sine arte scyllæ periculum vitat, facile est, ut in charibdim incitat. Hæc schola, ut *Rationalismum* impeteret, labitur in extremum oppositum et jura rationis invadens eam ad *nihilismum* fere reducit, atque ideo expugnat ac destruit ipsa Religionis fundamenta seu credibilitatis motiva; unde sequitur, Divinam Religionem amandandam esse inter pulchras fabellas à *fanatismo* inventas.

Auctor hujusce scholæ est Ludov. Gabriel. Ambros., vice-Comes de Bonald (3), præcipui sectatores Tradi-

(1) *Sum. th.* 1. P. Q. 12. à 9. ad 3.

(2) Communiter vocatur *Traditionalismus* et *Schola exterioristica*.

(3) Natus est an. 1754, et post varias vicissitudines ob gallicam revolutionem, mortuus est an. 1840. Præcipua hujus opera sunt: 1. *Recherches philosophiques sur les premiers objets des connaissances humaines*, Duo vol. in 8.—2. *Legislation primitive*. Tria vol. in 8.—3. *Mélanges littéraires, politiques et philosophiques*. Duo vol. in 8.



tionalismi habentur Bonnetty (1), et ex parte P. J. Vent. de Raulica (2).

262. Bonnard exaggerans rationis humanæ imbecillitatem et ineptitudinem ad verum per se inveniendum, statuit:

1.° Mentem humanam sibi relictam ideas universales ac notiones abstractas sibi eudere non posse, sed egere externo magisterio, seu auxilio rationis alterius, quæ et ideas universales, et veritates, quæ ex his ideis efflorescunt, ei tradat et communicet.

2.° Has ideas ac notiones, præsertim quæ continent veritates ordinis metaphysici et moralis, ut sunt Dei existentia, animæ humanæ spiritualitas, libertas et immortalitas, atque moralium officiorum, primum hominem et in eo genus humanum à Deo immediate accepisse.

3.° Sine hujusmodi externo magisterio seu educatione sociali per loquelam, impossibilem esse, ut ratio cogitare incipiat ac sese evolvat: propterea primitivam revelationem absolute necessariam fuisse ad intellectum rationemque hominis formandam.

(1) *Annales de philosoph. chet.*, serie IV., tom. 8.

(2) Variis in operib., præsertim: *La razon catolica y la razon filosofica*. Confs. 1. et 2., Madrid 1859. *La tradicion y los Semipelagianos de la filosofia*, Madrid 1862., Hic Auctor theoriæ traditionalium oblitus systema idealogicum D. Thomæ pro viribus exponit ac tuetur in opere: *La filosofia cristiana*, Madrid 1864. Et profecto P. Ventura exaggeratum Bonnardi systema, suâ sententiâ, nervose refutat, ipse enim eandem originem idearum cognitivum agnoscit ac tuetur, quam agnoverunt Scholastici cum D. Thoma; in operibus autem: *La tradicion etc. et La razon católica y la razon filosofica* in viribus rationis perpendendis et existimandis nonnihil videtur ab hac sententia declinari atque traditionalismum valde temperatum condit et tuetur.

Inter membra hujusce scholæ plus minusve adiecta annumerari possunt A. Rosminius, Giobertius, P. Romanus et scriptores scholæ catholicæ belgicæ (de Lovaina).

4.° Quapropter rationem humanam esse mere passivam seu receptivam cognitionum, quæ ipsi cum verbo communicantur.

5.° Nullam veritatem ordinis intelligibilis per se rationem nostram acquirere posse, omnes igitur veritates accipimus á societate per actum fidei.

6.° Impossibile prorsus esse, ut homo efformare queat, seu proprio Marte adinvenire potuerit verba, aut quælibet alia idearum signa, quæ humanum sermonem constituunt, et quocum tot mirabilia patrantur.

263. Originariam hanc cruditatem hujusce doctrinæ emollire conati sunt variis mediis temperantiores *traditionalistæ*.

Bonnetty statuit, rationem sine exteriori disciplina, quæ á traditione atque idcirco á revelatione proveniat, posse quidem nonnullas veritates ac notiones generales et abstractas ad ordinem physicum et materiale spectantes, sibi suis viribus comparare; at impotentem prorsus esse ad detegendas illas veritates, quæ ad ordinem moralem et metaphysicum pertinent, ut sunt prima generalia moralitatis principia, jura et officia, Dei existentia et attributa, animæ natura et cæteræ proprietates; quas veritates ratio, quantumcumque evoluta ac exulta supponatur, nunquam poterit per se sine sociali magisterio *detegere ac demonstrare*.

P. Ventura vero concedit, has veritates, postquam ratio per traditionem et revelationem acceptas intelligat, poterit demonstratione collustrare atque ad deducendas alias illationes adhibere.

Sunt denique alii, qui solummodo exigunt externum societatis magisterium, ut conditionem, *sine qua non*, ad claram, distinctam ac certam cognitionem comparandam illarum veritatum. His magna ex parte ego libenter subscribo.

264. Igitur quod attinet ad idearum originem, Bonnal-

dius ideas innatas, saltem quæ ordinem religiosum, moralem, socialem ac metaphysicum spectant, admittit, etsi has ideas dicat in mente delitescere et quasi informes et obtenebratas manere, adinstar quorundam propemodum characterum acromaticorum, quæ per verba coloranda sunt; ope vero verborum seu externi magisterii fœcundatas et illustratas, apparere, evolvi, ac perspicuitatem et distinctionem acquirere.

Bonnetty vero, P. Ventura et alii *traditionalistæ* omnes ideas innatas excludunt. Nonnulli vero plus minusve ad ontologismum accedunt, quod mirandum non est.

Nos autem, omissis quæstionibus, quæ in hoc systemate involvuntur, sequentibus propositionibus ea, quæ ad propositum scopum pertinent aperiemus (1).

265. PROPOSITIO I. *Primæ ideæ per verbum aut per quodcumque aliud signum arbitrarium recipi nequeunt.*

Prob. 1.° Non minus absurdum videtur dicere, ideas per verbum aut aliud arbitrarium signum tradi aut gigni, quam dicere ideas gigni aut fieri per sensationes transformatas. Etenim verbum auditum ex se mera sensatio est; quomodo itaque mera hæc sensatio ideas, quæ sunt quidam à sensatione prorsus diversum, quæque nullam relationem naturalem cum vocabulis habent, in mente producit?

2.° Verbum aut signum quodcumque nullum subsidium intelligentiæ afferre potest, nisi mens ejus significationem intelligat. Significatio autem est nexus quidam inter signum et rem signatam; et in signis arbitrariis est nexus ex arbitrio institutoque hominum inductus (2). Cum itaque

(1) Has propositiones, paucis mutatis nonnullisque additis, reperietis apud Salvat. Tong.; nihil enim opportunius dicere possum. *Cons. Inst. phil. tom. III., Psychol., lib. 3. c. 9. art. 2.*

(2) *Logic. Lect. 7.ª n. 46. seq.*

verbum in aure sonat, vel hunc nexum mens jam cognoscit, vel non. Si non cognoscit, numquam per ipsum in rei significatæ cognitionem deveniet, ut quotidianâ experientiâ constat (1). Si vero hunc nexum cognoscit, hunc cognoscere nequit, nisi rei significatæ ideam jam possideat, aut sibi propriam efformet. Nam verba is solus intelligit, qui scit quodnam objectum significant. Ergo ut verba utilia sint, supponendæ sunt in mente audientis ideæ, quas illa significant; proindeque verba ideas in mente producere primo non possunt (2).

(1) ; Qua de causa, si legimus *Lexicon linguæ sinensis*, vel si audimus aliquem loquentem linguâ ignotâ, non intelligimus, quid significare ipsum velle? Non alia profecto ex causa, nisi quia nexum inter verba et res signatas ignoramus.

(2) Ad rem S. P. Augustinus (*Lib. de Magistro, c. X. n. 33. et 34. edit. Maur.*) «Quod si diligentius consideremus, fortasse nihil invenies, »quod per sua signa discatur. Cum enim mihi signum datur, si nescientem me invenit cujus rei signum sit, docere me nihil potest; si »vero scientem, quid disco per signum? Non enim mihi rem quam significat ostendit verbum cum lego: *Et saraballa eorum non sunt immutata* (*Dani 3.-94.*) Nam si quædam capitum tegmina nuncupantur »hoc nomine, num ego hoc audito, aut quid sit caput, aut quid sint »tegmina didici? Ante ista noverant, neque cum appellarentur ab aliis, »sed cum á me viderentur, eorum est mihi facta notitia.... Itaque magis signum re cognita, quam signo dato ipsa res discitur.»

«Quod ut apertius intelligas, finge nos primum nunc audire quod »dicitur, caput; et nescientes utrum vox ista sit tantummodo sonans, »an aliquid etiam significans, quærere quid sit caput (memento nos »non rei quæ significatur, sed ipsius signi velle habere notitiam, quæ »caremus profecto quamdiu cujus signum est ignoramus:) si ergo ita »quærentibus res ipsa digito demonstretur, hæc conspecta discimus »quod audieramus tantum, nondum noveramus. In quo tamen signo »cum duo sint, sonus et significatio, sonum certe non per signum percipimus, sed eo ipso aure pulsata; significationem autem re, quæ significatur, adspecta. Nam illa etc.»

266. PROPOSITIO II. *Fieri nequit, ut homo hominem veritatem aliquam doceat, nisi ratio discentis vi sibi propria veritatem cognoscere possit, atque adeo nisi aliquid sciat, antequam instruat.*

Prob. 1.^a pars. Instructio hoc tantum discenti conferre potest, ut ejus rationem dirigat ac propemodum mandeducat ad quasdam operationes successive et ordine quodam exserendas; ut v. gr. revocet primo quasdam ideas, ex quibus per analysim et synthesim mentis novas ideas sibi procudat, deinde ut quasdam idearum relationes percipiat et ut quædam principia ipsi nota ad particularem aliquam materiam applicet, et ex inde particulares aliquas conclusiones inferat. Ergo instructio discipulum extrinsecus juvat, sed in eodem supponit et ideas aliquas jam evolutas, et vim eruendi ex ipsis novos conceptus et judicia et deductiones, modo ideis, quas possidet, attentionem affigat. Pone nunc discipuli rationem non esse potentiam activam, sed mere passivam, ut ponitur á rigidioribus traditionalistis, quid, quæso, poterit ex instructione proficere?

Prob. 2.^a pars. Si prima rationis principia discipulus ignorat, ac certa non habet, conclusiones addiscere nunquam poterit. At prima principia nec addisci possunt, nec certa haberi, nisi per idearum intuitionem. In his enim predicatum ex ipsa subjecti notione eruitur, ope luminis intellectualis, quo mens intrinsecus fruitur, atque ideo evidentissima sunt ac certissima, quia prædicatum quod in iis est, de ipsa subjecti ratione esse immediate cernitur. Ergo nisi hæc principia per se addiceret mens, addiscere ea nunquam posset per disciplinam (1).

(1) Ad rem S. Thomas ait: «In lumine intellectûs agentis nobis est quodammodo omnis scientia originaliter indita, mediantibus universalibus conceptionibus, quæ statim lumine intellectûs agentis cognos-

Hinc jam sequitur

267. PROPOSITIO III. *Falsum omnino est asserere, mentem humanam, sine revelatione per traditionem communicata, nullam veritatem ordinis religiosi, moralis et metaphysici ex se assequi ac cognoscere posse.*

Est hæc propositio contra P. Ventura et Bonnetty.

Notandum tamen est, nos non negare necessitatem *moraalem* et etiam *physicam* Divinæ Revelationis et institutionis socialis ad hoc, scilicet, ut ratio possit sibi *conficere integrum et ab omni errore immune systema illarum veritatum*; propositionem applicamus ad quamplurimas saltem ideas et veritates dictorum ordinum (Cons. Log. *Lect.* 44.^a prop. IV., et *Lect.* 51.^a)

Prob. prop. Mens humana veritates metaphysicas, morales et religiosas ratiocinatione cognoscit, si ipsas, ope quorundam principiorum abstractorum, deducit ex contemplatione sui rerumque, quibus circumdatur. Atqui mens humana, fatentibus ipsis adversariis, potest: 1.^o sine ullo traditionis revelatæ præsidio et cognoscere res, quæ in sensus incurrunt, et ex iis ope abstractionis conficere

»cuntur, per quas, sicut per universalia principia, judicamus de illis, »et ea præcognoscimus in ipsis.» (*Quæst. de Mente, art. 6. in corp.*)

Et alibi «Similiter etiam dicendum est de scientiæ acquisitione quod »præexistunt in nobis quædam scientiarum semina, scilicet primæ »conceptiones intellectûs, quæ statim lumine intellectûs agentis cognoscuntur, per species à sensibilibus abstractas, sive sint complexa ut »dignitates (*prima principia*), sive incomplexa sicut ratio entis et unius »et hujusmodi, quæ statim intellectus apprehendit. Ex istis autem »principiis universalibus omnia principia sequuntur, sicut ex quibusdam rationibus seminalibus. Quando ergo ex istis universalibus cognitionibus mens educitur, ut actu cognoscat particularia, quæ prius »in potentia, et quasi in universali cognoscebantur, tunc aliquis dicitur »scientiam acquirere» *Quæst. de Magistro, a. 1.*

principia abstracta et generalia (1); 2.^o vim habet non solum apprehendendi res per sensitivas facultates, sed etiam cognoscendi ex rebus apprehensis alias, quæ sub apprehensione non cadunt mediantibus abstractione et illuminatione intellectûs et aliis operationibus, ut ex supra dictis patet. Ergo mens humana potest cognoscere quamplures veritates metaphysicas, religiosas et morales, sine sermonis et institutionis socialis auxilio, id est, sine Tradita revelatione.

268. *Confirmatur prop.* Etenim ad cognoscendam supremi alicujus Numinis existentiam, hæc tria requiruntur ac sufficiunt, scilicet: ideæ primitivæ entis, notiones causæ et effectûs, atque exinde principium causalitatis, nempe: *non datur effectus sine causa*. Atqui hæc omnia fatentibus ipsis adversariis, potest mens humana sibi comparare; insuper potest contemplari se ipsam atque res extra se existentes, ac tum harum, tum suiipsius naturam cognoscere, quod nemo negabit, nisi ille qui omnem vim rationi denegaverit, atque ideo illam haberet ut titulum sine re. Ergo negari nequit, rationem, postquam se satis explicuerit, Dei existentiam posse cognoscere.

Idem dicendum de primis ac fundamentalibus moralis ordinis ideis ac veritatibus. Ad eas assequendas veritates, quæ deductione plus minusve implexa ex hisce primis inferuntur, profecto quilibet homo per se non sufficit, multo minus ad perfectam moralis legis cognitionem assequendam. Sed ad prima moralitatis principia cognoscenda cujuslibet hominis ratio, quæ primis ideis primisque theoreticis principiis ditata sit, sufficere dicenda est.

Idea enim ordinis una est ex primitivis ideis: hanc ergo ideam ratio per se assequi potest, et fatentur ipsi

(1) Quoad effectationem principiorum ordinis metaphysici cons. *Ontol. Disp.* 2.^a Prima vero universalia principia ordinis moralis signata sunt super nos á Deo per lumen rationis.

adversarii. Potest igitur ratio entium ordinem cognoscere, v. gr. parentes esse supra se, alios naturâ sibi æquales, et rerum omnium Auctorem esse supra omnes. Quod si ordinem entium cognoscit, cognoscet quoque, saltem ubi deliberandum sibi sit, quid agere oporteat, cognoscet, inquam, actiones quasdam juxta ordinem, quasdam contra illum esse. Quapropter per comparationem idearum et ratiocinandi facultatem potest pervenire ad cognitionem plurium veritatum hujusmodi. Cum autem cognoverit aliquid juxta ordinem esse, aliquid ordini contrarium, nil facilius, nil magis in promptu positum est, quam cognitio illius veritatis moralis, scilicet: *ordinem à se in suis actionibus servandum esse*. Et sane plurimæ rerum naturalium theoreticæ cognitiones primis moralibus cognitionibus sunt longe difficiliore. Si itaque ad illas cognoscendas rationem pertingere posse adversarii fatentur, multo magis fateri debent, has extra ejus naturalis activitatis limites non esse constitutas.

269. PROPOSITIO IV. *Vocabula quamquam ad intellectûs perfectionem promovendam sint summopere utilia, quod nemo negat, non sunt tamen ad cogitandum administranda absolute necessaria.*

Nam 1.° Intellectus noster multarum rerum, quas sive sensu usurpavimus, sive imaginatione composuimus, ideas habet claras oppido atque distinctas: iisque in suis operationibus utitur, quin tamen vocabula, quibus illæ significantur, cognoverimus.

2.° Sæpe recordamur quorundam conceptuum, quin verba iis significandis attributa memoria retineamus. Unde fit, ut circumlocutiones aliquas quærere debeamus, cum hos conceptus manifestare volumus.

3.° Quandoque adeo velox ac fulguri similis est apprehensio nostra, ut impossibile sit, eam vocabulorum seriem, quæ ad illam exprimendam in imaginatione ordinate repro-

ducenda fuisset, adeo celeriter fuisse productam. Ita contingit v. gr. cum aliquod ratiocinium audientes, extemplo vitium in eo latens intelligimus; ita accidit ei, qui aliqua vehementi passione raptus, præsertim amore, suas affectiones velit exprimere (1).

4.º Plures experimur affectiones internas, quas reflexione adhibita, non modo sine vocabulis cogitamus, sed nec vocabula invenire possumus, quibus ea significemus, nisi illud *nescio quid*. Appetitûs item ac voluntatis inclinationes et actus, sine ullius vocabuli phantasmate mente relegimus.

5.º Denique apud omnes in comperto est, nomina res non ex natura sua, sed ex arbitrio hominum significare: unde consequitur: 1. cognitionem rerum inventioni nominum seu verborum præcedere oportere, quia homines, nomina rebus imponere volentes, res non aliter denominare possunt, quam prout ipsas cognoscunt: 2. illos, qui nomina rebus jam imposita audiunt, non posse scire quasnam res ipsa significant, nisi cognoscant quos conceptus auctores eorum significare voluere. Jam vero si sermo expostulat cognitionem rerum, quas significat, tum in animo sermonem instituentis, tum in animo sermonem audientis, ipse ad cognitionem rerum acquirendam non est profecto necessarius; alioquin causam sive conditionem *sine qua non* posteriorem esse effectui dicendum foret, quod absurdum est. Concludendum igitur est cum S. P. Augustino: *Nos loqui quia cogitamus, non cogitare quia loquimur. Formata quippe cogitatio ab ea re quam scimus, verbum est quod in corde dicimus: quod nec Græcum est, nec Latinum, nec lingue alicujus.... Proinde verbum quod foris sonat, sig-*

(1) Cons. P. M. Ludov. de Leon; Prólogo á la Exposicion del libro: *Cantar de los cantares*.

num est verbi quod intus lucet, cui magis verbi competit nomen (1).

Potissima traditionalium objectio hæc est.

270. Quicumque, quavis de causa, sociali institutione caruerint, usu quoque rationis carere reperti sunt. Id videre licuit in pueris quibusdam, qui extra societatem hominum quandoque adoleverunt (2): idemque perspicimus in surdo-mutis, qui antequam instruantur, omni idea intellectuali ac morali carent (3).

Resp. Dist. Hi, de quibus sermo est, carebant usu rationis, id est, omnibus omnino ideis rationis, atque omni veritatis cognitione, *nego*; carebant ideis Dei et moralium officiorum, *subdist.*; carebant ex nativo rationis humanæ defectu, *nego*; carebant ex aliqua accidentali causa, *iterum subdist.*; carebant hujusmodi ideis claris ac distinctis, *trans.*; carebant omnino hujusmodi ideis saltem confusis, *nego*.

Quoad facta vero historica quæ adversarii afferunt.

Resp. 1.º Hæc facta carent sufficienti fundamento historico; etenim vel unum tantum testem eumque remotum habent; vel certe non illa adjuncta nobis suppeditant, quibus ad quæstionem momenti adeo gravis dirimendam opus foret.

Resp. 2.º Dist. Et ex illis factis, etsi vera forent, sequitur, eos, qui extra omnem humanam societatem, enutriuntur, destitutos esse omni loquela, seu verbis articulatis ad exprimendos suos conceptus, *trans.*, vel *conc.*;

(1) *De Trinit.*, lib. XV. cap. 10.—11. n. 19. et 20. Cons. Balme-
sium, *Filosofia Fundam.* Lib. 4. c. 29. et lib. 10. c. 17.

(2) Herodotus, *Hist.* lib. 2. c. 2., Juveney, *Hist. Soci. Jesu*, part. 5.
lib. 18.

(3) Breton, *Dissert. sur l'origine des idees*; *Hist. Acad. scient. Paris.*
ad an. 1703.

sequitur, eos destitutos esse omni idea et intellectuali cognitione supremi Numinis et moralium officiorum, *nego*.

Ac primo, non agitur de majori vel minori gradu perfectionis cognitionum intellectualium hominis enutriti extra omnem humanam societatem, sed an sine hujusce societate acquirat ac possideat aliquas ideas ordinis metaphysici, religiosi, ac moralis, quod absque ullo dubio affirmandum est, ut ex dictis patet.

Secundo quis tuto aestimare potest, hominis selvatici internum statum vel satis exploratum fuisse, vel satis potuisse explorari, ut tota theoria de viribus humanæ rationis, quæ tanti ponderis est, iis superstrui queat?

271. De surdo-mutis vero hæc jam certa sunt:

1.° Ante educationem ideis primitivis ac fundamentalibus eos non carere.

2.° Non sine exaggeratione dictum fuisse, eos nullam ideam religiosam et moralem spontanea rationis operatione fuisse adeptos.

3.° Eos instrui per signa maxime naturalia, ac certe per hæc ante omnia alia signa.

4.° Si diu simul degant aliqui surdo-muti, eos signa quædam artificialia ex se ipsis invenire, ut se mutuo intelligant. Hæc præter alios nuper ostendit Cl. institutor surdo-mutorum Berthier, qui magnam in hac controversia auctoritatem habet, siquidem, præter observationem, habet internam experientiam, nam et ipse surdo-mutus est (1).

(1) Berthier, *Opusc., Sur l'opinion du Dr. Stuard etc.*, Paris 1852. Cons. Degerand., *De l'education des sourds muets*, Paris 1827.; Bouvetum, *Demonstration des fondemens de la Foi*, Malines 1845.

SYSTEMA IDEALISMI TRANSCENDENTALIUM (1),

TAM FORMALISMI SUBJECTIVI, QUAM OBJECTIVI.

272. David Humius insistens in sensualistica Lockii theoria, nullam facultatem agnoscebat in anima præter sensationem et reflexionem, quæ nihil aliud nobis exhibere possunt, quam affectiones subjectivas sibi succedentes; quapropter realitas objectiva est gratuita suppositio, quæ probari nullatenus potest; unde absolutum statuebat scepticismum. Jam vero tam inauditum supinumque errorem ut profligaret Emmanuel Kantius (2), aliam ingressus est tortuosam arcanamque viam, in cuius fine assidet letalis idealismus. Statuit enim ipse, elementa cognitionis ita insita esse in anima, ut ea experientiam non solum præcedant, sed etiam efficiant, atque ideo animam ex innatis sibi legibus seu formis objecta ipsa cognitionis á priori perficere.

Limites nobis propositi non patiuntur exponere singillatim universum systema, principia igitur, quibus innitur, tantummodo consignabimus.

273. *Kantius* facultatem mentis cognoscitivam dividit in *sensibilitatem*, in *intellectivitatem*, et in *rationem proprie dictam*; deinde sibi constituit investigare: utrum omnes cognitiones animæ ab experientia solummodo proveniant, ut statuerat Lockius; etenim ab hujus problematis solutione vis argumentorum David Humii dependet tota.

(1) Ratio hujus nominis ex eo desumitur, quod Kantius revocans ad examen *transcendentale*, ut ipsemet ait, universam cognoscendi facultatem, omnem experientiam *transcendit* seu *transilit*, ac originem cognitionis humanæ á priori, id est, ab ipsa analysi cognitionis remotæ ab omni experientia demonstrare studet.

(2) Natus est Regiomontii (*Kœnigsberg*) an. 1724.

At ipse statim animadvertit ac apprehendit, esse quamplurima judicia, quæ ab experientia nullo pacto exurgunt, ut v. gr. hoc: *omnes circuli radii sunt æquales*, et cætera theoremata matheseos. Hujusmodi judicia vocat ipse *analytica*, quorum attributum est de ratione subjecti ac in ejus idea continetur. Sunt alia judicia, quorum attributum non est de essentia subjecti, sed est idea ab ipso distincta, ut v. gr. *effectus habet causam*, hujusmodi judicia vocat ipse *synthetica*. Hæc judicia novis cognitionibus mentem ditant ab experientia haustis, non ita illa prima.

Omnia analytica judicia sunt necessaria et *á priori*, innitunturque in identitate subjecti cum attributo; synthetica vero non omnia sunt á posteriori, videlicet ab experientia, sed sunt quædam judicia simul *synthetica* et *á priori*. *Synthetica*, quia in iis attributum non est de ratione seu essentia subjecti, neque ideo ex ejus analysi educitur; *á priori*, quia necessario, independenter á quacumque experientia, per quamdam anticipationem ac formam subjectivam attributum subjecto conjungitur.

At quomodo probabitur, animam habere facultatem efficiendi judicia *synthetica á priori*, ac consequenter, hæc judicia possibile esse? Solutio hujus problematis est objectum *Criticæ rationis puræ* (1), in qua, post infinitas circumlocutiones, hæc statuit:

274. Quidquid in nostris cognitionibus necessarium est, invariabile et universale, id totum est *á priori* et subjectivum; quidquid vero accidentale, variabile ac contingens est, *ab experientia* est et objectivum. Igitur in quavis cognitione hoc duplex elementum distinguendum est, *purum* et *empiricum*.

1.º Sensibilitas passive recipit objectorum impressiones, ipsasque in intuitiones convertit: unde in sensibilitate includitur *receptivitas* seu aptitudo ad recipiendas objec-

(1) *Critique de la raison pure*, trad. par Tissot, Paris 1835.

torum impressiones et *spontaneitas primi gradus* seu facultas agendi in impressiones. Sed in exercitio hujus facultatis distinguenda est *materia à forma*. Materia sunt elementa seu objecta sensibilia, quæ extrinsecus adveniunt ac per experientiam sive internam sive externam nobis manifestantur, contingens est et mutabilis, estque objectum *intuitionis empiricæ*. Forma ex ipsa subjecti natura exurgit, necessaria est et universalis, est, scilicet, notio seu *intuitio pura* spatii et temporis, quibus attribuimus omnia sensibilia phænomena. Ut melius hoc intelligatur animadvertendum est, res externas nonnisi prout in quodam spatio existunt, et ipsum *ego* nonnisi per affectiones sibi invicem succedentes, sive prout in quodam tempore existunt, nobis necessario repræsentari. Cum vero hæ repræsentationes maneant in mente, etiamsi cogitationem ab objectis avocemus, et etiam quamvis omnia sensibilia objecta ad nihilum redigantur, sequitur, hujusmodi *intuitiones* seu *formam puram* non ab experientia pendere, sed esse in mente à priori respectu sensibilitatis. En igitur duas sensibilitatis formas à priori, scilicet, *intuitiones puras spatii et temporis*, quarum illa ad sensibilitatem externam, spectat, ista ad sensibilitatem internam. Secundum hoc etiam notare oportet spatium et tempus, in sententia Kantii, non esse quid reale in rebus.

2.º *Intellectivitas* (intellectus) varias illas intuitiones in unitatem conscientiæ conjungit et in conceptiones transmutat, id est, efformat judicia; unde *spontaneitas secundi gradus* ab ipso etiam vocatur. Attamen sicut necessaria est *forma* sensibilitatis, ut materia seu sensibiles impressiones convertantur in intuitiones, ita necessariae sunt *formæ* intellectûs, ut intuitiones in conceptiones et judicia transformentur. Jam vero hæ *formæ* sunt Categoriæ, quæ quidem, non secus ac illæ formæ sensibilitatis, non empiricæ, sed *à priori* ac subjectivæ in mente insunt.

275. At hîc præmonendum oportet atque adnotandum

est, secundum Kantium neque *intuitiones empiricas*, neque *intuitiones puras* aliquid objectivum reale nobis repræsentare, sed tantummodo *phænomena*, id est, *apparitiones*, *noumena* vero seu objecta omnino ab hujusmodi intuitionibus præterlabi: ideoque incidit ipsummet errorem, quem profligare conatur.

276. Jam, quatuor primariæ formæ subjectivæ et à priori in *intellectivitate* ad judicia efformanda distinguendæ sunt: nempe *quantitas* ratione extensionis subjecti; unde exurgit iudicium vel *singulare*, vel *particulare*, vel *universale*: *qualitas* ratione attributi, id est, prout attributum convenit vel repugnat subjecto, vel cum aliqua limitatione ipsi connectitur, ut evenit cum sive subjectum sive attributum aliqua negatione afficitur; v. gr. *homo est non mortalis*; unde iudicium *affirmans*, vel *negans*, vel *infinitum*: *relatio* ratione nexûs inter subjectum et attributum, prout nempe attributum dicitur de subjecto vel absolute, vel conditionate, vel exclusive, vel exceptive; unde iudicium *categoricum*, vel *hypotheticum*, vel *disjunctivum*: denique *modalitas* ratione modi, quo subjectum et attributum ad mentem nostram referuntur, hoc est, prout consensus inter utrumque à nobis concipitur vel ut *possibilis*, vel ut *realis*, et rursus *realis* vel ut *contingens*, vel ut *necessarius*: unde iudicium exurgit vel *problematicum*, vel *assertorium*, vel *necessarium*. Ex his jam colligitur, unamquamque illarum formarum tres alias formas continere, ac proinde *duodecim* esse intellectûs *formas*, seu categorias. Ab his recensendis abstinemus ne alibi dicta repetamus (Cons. Log. Lect. 5^a n. 38). Hæ sunt ideæ puræ ac primitivæ intellectûs, quæ nullum per se valorem objectivum habent, non enim exhibent objectorum conditiones, sed sunt leges intelligentiæ ac subjectivæ formæ, quibus nos ipsi objecta formamus.

277. At nunc quæri potest: 1.° Quodnam est centrum synthesis intellectualis et nucleus ille, ad quem *intuitio-*

num empiricarum multiplicitas confluit, et in quo hujusmodi intuitiones per categorias ad unitatem syntheticam revocantur? Respondet ipse: Centrum hoc ac nucleus est hæc *apperceptio pura et originaria*; EGO COGITO, quæ una cum sit, omnem empiricam intuitionem comitatur, quæ unitas, appellata á Kantio *unitas transcendentalis conscientie*, est fundamentum unitatis syntheticæ, quæ per categorias inducitur.

278. Quæritur 2.º Quo ordine perficitur hæc synthesis et construuntur conceptus et iudicium?

Respondet ipse: hoc modo: Ante omnia mens conjungit formas puras sensibilitatis, intuitiones, videlicet, puras spatii et temporis cum categoriis intellectûs, et sic efformat *schemata* seu typos quosdam primitivos, in quibus categoriæ figuram sensibilem adipiscuntur, v. gr. *numerus* est *schema* ex intuitione pura temporis et ex categoriis quantitatis. Cum *schema* majorem aliquam determinationem accipit, transit in *imaginem*; v. gr. *duo* est imago, quæ fit á *schemate* numeri. Tandem cum his accedunt sensationes, conjungit eas intellectus cum imaginibus, atque hoc pacto conceptus format.

3.º Denique, *ratio proprie dicta*, sive *spontaneitas ad maximam potentiam erecta*, plures conceptiones ad unam revocat et sic in conclusiones transformat assurgens á conditionatis ad inconditatum et absolutum. At quomodo? Hoc fit ope *trium idearum*, quibus naturaliter prædita est anima. Hæ ideæ sunt: 1.ª *idea psychologica*, per quam ad unitatem absolutam redigit mens omnia phænomena interna, atque subjecti absoluti, quod inter illa phænomena invicem sibi succedentia idem semper et immotum in se manet, cognitionem sibi præbet. Hoc absolutum subjectum si objective consideretur est *Ens* in genere, de quo disserit Ontologia, subjective autem nihil aliud est, quam ipsum *Ego*, de quo Psychologia disserit. Hujusmodi operatio perficitur mediante ratiocinio *categorico*: 2.ª idea est *idea*

cosmologica, per quam phænomenis externis absolutam unitatem impartitur et sic efflorescit idea *absolutæ totalitatis*, quæ non est pars alterius rei, hæc Mundum repræsentat, de hoc disserit Cosmologia. Hæc operatio perficitur ratiocinio *disjunctivo*: 3.^a denique est *idea Theologica*, per quam ad Ens supremum, quod *omnium causa absoluta* est, ratio assurgit. Hoc fit ope ratiocinii *hypothetici*.

Hæ vero ideæ proveniunt ex necessitate quadam ac lege rationis, quæ cum ex elementis mere subjectivis educantur, nihil exhibent quod sit objectivum. Itaque sicut intellectus applicans formas sibi inhærentes elementis sensibilibus, objecta suæ cognitionis sibi format, ita ratio applicans ideas sibi inhærentes conceptibus intellectûs universam scientiam seu omne intelligibile sibi construit, et, quemadmodum ope intellectûs mens res cognoscit, non quales in se sunt (*noumena*), sed quales nobis apparent (*phænomena*), ita, ope rationis inconditatum et absolutum, non tamquam reale, sed tamquam legem, secundum quam ratio in nobis evolvitur, cognoscit.

279. Ex præcedenti analysi humanæ cognitionis jam clare perspicitur, rationem operationes et actus suos necessario exercere in judicia juxta formas sibi inditas; judicia itidem in ideas seu intuitiones puras spatii et temporis; id est, in phænomena seu facta sensibilia, quæ relate ad cognitionem nostram sunt=X, id est, idem ac quantitas incognita; quia tota formalis cognitio *formatur* per superadditas á mente formas, quatenus mens illud X necessario concipit ut unum aut multiplex, possibile vel necessarium etc. Illæ intellectûs ac rationis formæ ex se solæ insufficientes sunt ad cognitionem gignendam; ergo necesse est ut applicentur materiæ, id est, elementis sensibilibus et conceptionibus; cum autem hæc applicatio fiat necessario independenter ab ipsa experientia ac per anticipationem quamdam, demonstrata manet existentia judiciorum syntheticorum á priori.

Ex Kantii formalismo hæc duo corollaria, quæ ipsemet cognovit, consequuntur: 1.^m Nos nihil, absolute nihil cognoscere possumus, nullam omnino cognitionem assequimur de iis rebus, quibus intuitiones spatii et temporis non applicantur, id est, quæ experientiæ sensibili non subjiuntur, quales sunt Deus, libertas et immortalitas animæ humanæ et cætera hujusmodi: 2.^m Nihil cum certitudine affirmare possumus de cæteris veritatibus quibuscumque objective spectatis, omnes enim exiguntur ad normam formarum subjectivarum.

Hoc Kantianum systema necdum originem cognitionum nostrarum explicat, verum etiam omnem non solum scientiam, sed simplicem cognitionem ac universam religionem evertit. Sensit hoc ipse Kantius, et ut tantam perniciem effugeret, utque alterâ manu ædificaret quod altera destruxit, distinxit in homine rationem speculativam à *ratione practica*. Ratio speculativa pro objecto habet hoc problema: *Quid possum scire?* Ratio vero practica hoc: *Quid debeo agere, et quid mihi licet sperare?* Ratio practica realitatem objectorum, quæ intellectui et rationi *puræ* impervia sunt, attingit, atque principia et leges morum suggerit. Attamen hæc ratio in systemate Kantiano sero venit, subdititia est ac nihil omnino juvat ad problema originis cognitionum solvendum.

Formalismus subjectivus.

280. Kantii systema non omnino probatum est Joanni Theophilo Fichte (1), is enim, scite pervidit, pronuntiata philosophiæ kantianæ sibi haud cohærere. Etenim 1.^o si anima non alium mundum, nisi quem ipsa sibi construit,

(1) Natus est hic Rammdnovii, in Lusacia, an. 1762.

Varios hic Philosophus scripsit parvos tractatus in quibus omnibus elucet purus idealismus pantheisticus.

potest intelligere, certe illius cognitionem ab objectis extra se positis derivare nequit; nam si cognitio ab objectis extra mentem positis materiam acciperet, mens per illam objecta, prout in se sunt, assequeretur ac cognosceret. 2.^o Si tantummodo formæ subjectivæ sunt necessariæ et immutabiles, cætera vero omnia sunt quid contingens ac phænomenicum seu apparens, mens nullam jam ideam necessariam, nullam scientificam cognitionem adipisceret. Quapropter non á duplici principio, nempe *subjectivo* et *objectivo*, quemadmodum putavit Kantius, sed á sola libera activitate *subjecti*, hoc est, ex sola energia subjecto insita, sine ullius elementi exterioris ope, derivanda est universa cognitio. Quomodo hoc paradoxon Fichteus intelligat videte supra, ne dicta repetamus, *Cosmologia, Disp. 4.^a §. II. n. 74. seq. pag. 220.*

Formalismus objectivus.

281. Fridericus Schellingius (1), et Georgius Heghelius (2), Fichteo concesserunt unicum esse universæ cognitionis principium, sed contenderunt, illud non posse esse relativum, quemadmodum est *to ego*, alioquin objectiva scientia rerum omnino evanesceret, siquidem elementum pure subjectivum illam parere non potest: oportet igitur ut hujusce principium sit aliquid *absolutum* ac tale, ut tam *subjecti*, quam *objecti* principium et causa sit.

282. Jam vero Schellingius voluit hocce principium esse *Identitatem absolutam*, quæ *cognoscens* et *cognitum*, *spiritum* et *materiam*, *ideale* et *reale* sine ulla differentia in se complectitur. Hæc *Identitas absoluta*, quæ se evolvens ac limitans omnia fit, est Deus. Cons. *Cosmologiam, l. c. n. 76.-119. 3.^o*

(1) Natus Schorndorfii (Leomberg in regno de Wittemberg), 1775.
(2) Berolini 1770.

283. Heghelius vero contendit contra Schellingium, principium absolutum universæ cognitionis non esse aliquid, in quo objectum et subjectum sive reale et ideale identificentur, sed esse *Ideam* absolute sumptam sive cogitationem puram, quæ nullam neque ad subjectum, neque ad objectum relationem habet, quæque seipsam secundum quædam momenta et leges necessario evolvit, ac in diversis hujus suæ evolutionis gradibus universam existentiam seu rerum ordines constituit. Quomodo hoc fiat Heghelii mente subindicatum est in *Cosmologia*, l. c. n. 77.-119. 4.°

Adnotationes contra prædicta systemata.

284. Non est mens nostra hîc singillatim persequi ac confutare errores et alia paradoxa in horum Philosophorum systematibus contenta: 1.° quia limites propositi prohibent: 2.° quia, si bene intelligantur, quod difficile est, tum quia sermone barbaro et inextricabili utuntur hi novatores, tum quia nequit mens sibi persuadere esse philosophos, qui serio possint tot tantasque effutire ineptias, nulla jam egent refutatione; etenim impossibile est, ut tot portenta absque ulla demonstratione, sed tantummodo *quia magister dixit*, proselytos alicujus frugis faciant: 3.° quia eos, qui affectatæ eruditionis auram quærentes prurigine novitatis moventur, neque evidentissimæ demonstrationes convincent. Quapropter nonnullas breves adnotationes apponemus, quæ vestro sano ac recto criterio sufficientes sint.

285. Ac primo ad Kantium quod attinet: 1.° ipsum ipsius consilium *criticæ* rationis instituendæ absurdum est. Quo enim medio, qua facultate se supra rationem elevabit, atque hoc negotium expediet criticus iste? Sane ratione ipsa. Nempe dum dubitat, imo dum negat, rationem aptam esse veritati assequendæ, non aliter ac rationis testimonio probare intendit veritatem eorum, quæ dicit.

II. Millies sibi contradicit. Ac 1.^o Dum methodum *a priori* sibi proposuisset, vi cujus ab omni experientia præscindere debuisset, mox a positione subjecti et objecti, ut conditiones necessariæ ad cognitionem, seu ab experientia exorditur: 2.^o Ipse objectivam existentiam rerum sensibilibum sub ipsum suæ critices initium pro certa sumit, et docet omnem humanam cognitionem ab his proficisci; deinde in ejusdem critices progressu totus in id incumbit, ut demonstret, illas perceptiones sensiles non esse aliud, nisi *phænomena*, quæ animus ex illis per *formas* sensibilitatis, et per categorias intellectûs sibi confingit. Et quamquam id non ut certum assumpsisse dicatur Kantius, sed ut hypothesim ad philosophandum necessariam, non tamen idcirco repugnantiam declinat. Primo quia si hypotheticum est fundamentum, super quo Kantius *Criticem* rationis posuit, sequitur, totam criticam hypotheticam esse, ideoque ineptam ad possibilitatem experientiæ evincendam, & quo igitur jure Kantius construit scientiam super tale fundamentum? Deinde ad quemcumque scientiæ progressum ac ratiocinationem est absolute necessarium aliquod immobile principium, aliqua positio certa, quæ nullis argumentis labefactari possit; igitur Kantius vel inepte ac stulte se gerit proficiscendo ab hypothesi, vel & quo jure hoc necessarium principium postea negat?

III. Præpterea Kantii incohærens systema ducit ad idealismum; quia solas intuitiones sensuum admittit tanquam objecta, quibus aliquid reale correspondeat, quod tamen non potest ostendi, nisi per causalitatem, quæ secundum ipsum aliquid pure ideale est. Ducit etiam ad scepticismum; etenim cognitionem objectivam et realem subjecti cogitantis de medio tollit, illudque in phænomenorum numero collocat, deinde asserit sensationes esse pure subjectivas. Contra hos errores consulite *Logic. Lect.* 34.^a 35.^a 36.^a et 42.^a 43.^a

IV. Falsissimum est, quod Kantius *pro auctoritate*

sua obgannit, rationem, videlicet, esse facultatem ab intellectu distinctam, et rationem speculativam distinctam à ratione practica; hæc enim duo pronuntiata sunt prorsus absurda, ut alibi notavimus, et ex ipsis functionibus, quas Kantius ipsis tribuit, patescit.

V. Intelligi nequit, unde existant illæ *formæ* sensibilitatis et intellectûs, et illæ ideæ rationis, quæ nec ab experientia provenire, nec ab intellectu formari dicuntur.

VI. Denique, doctrina Kantii de judiciis *syntheticis à priori*, quibus suum imaginarium ædificium totum innititur, naturæ mentis humanæ aperte repugnat. Judicium enim *à priori* efformatur, cum attributum in subjecti analysi vel immediate, vel mediate seu per ratiocinium invenitur; unde quodlibet iudicium *à priori* est analyticum. *Synthetica* autem iudicia sunt naturâ suâ *à posteriori*, quia, cum mens internum nexum inter subjectum et attributum non perspicit, experientiæ vel auctoritatis subsidio indiget, ut utriusque relationem statuere possit; mens enim *per se* non iudicat ne iudicare potest, nisi subjecti ac prædicati identitatem vel diversitatem objectivam percipiat; alioquin non secundum rationis naturam, sed ex cæco instinctu iudicaret, quod absurdum est. Exempla, quæ Kantius adducit in confirmationem iudiciorum syntheticorum non solum nihil concludunt, sed confirmant non extare alia iudicia (1). Infinita res foret, si omnia absurda ac portenta, quæ in theoria Kantiana monstruose collecta reperiuntur, referenda essent; præcipua jam in apertum protulerunt ejus nonnihil discipuli, qui nullam animo requiem dederunt, donec omnia vera philosophandi principia susque-deque evertentes in purum pantheismum et rationis nihilismum prolapsi sunt.

286. Quod attinet ad Theophilum Fichte, ipse 1.º ad

(1) Ea ad examen revocat Salv. Tong., *Inst. etc. Log. part. 2.ª, lib. 2. c. 4. art. 3.*

mittit cogitationem sine subjecto cogitante, quod prorsus repugnat.

2.° Tollit omnem certitudinem; secundum ipsum enim nullius rei objectivitas realis cognosci potest, sed sola phænomenalis.

3.° Subjectum cogitans, seu conscientiae individualis activitas constituitur omnia, *spiritus, materia* etc. *ego, mundus, Deus*, ¡ Oh scelestissima insania!! (1). Cons. *Cosmol.* l. c.

287. Quod ad Schellingium attinet atque Heghelium, ipsi verbis potius quam re á Fichteo dissentiunt. Etenim quemadmodum *ego purum* Fichtei est mera abstractio; quia Fichteus illud ex remotione subjecti et objecti effici dixerat; ita mera abstractio est *Absolutum* seu *Identitas-Absoluta* Schellingii, quæ perficitur per remotionem ab omni eo, quod conscientia testatur, est itaque illud *Absolutum merum nihil*, ut ait Heghelius, seu *Magnum Nihil*, ut appellat Oken (2), quod deinde Schellingius, quin contradictionem advertat, transmutavit in Ens realissimum. Pariter mera abstractio est *Idea-Ens* Heghelii, quippe quod hic asserit, hanc *Ideam* esse ultimum abstractionis, ad quam mens pervenit.

Deinde intuitio intellectualis Schellingii operationem

(1) En quomodo ipse Fichteus se explicat in *Dialogo*, quem se habuisse fingit cum spiritu: «Nihil est; ergo ipsemet non sum. Circa me realitas conversa est in inconditum somnium, quin vita ulla realis ad somnium detur, aut spiritus, qui somniet, aut somnium, quo somnium ipsum somnietur. Et sane ejusmodi somnium esset cogitatio. Sed cogitatio, cogitatio ipsa! quam ego ut meam nobilissimam proprietatem considerabam, et tanquam scopum vitæ meæ, in quo fontem reperirem totius realitatis; cogitatio quoque, hujus somnii est somnium.» O amentia omnium princeps! *Destination de l'homme*, trad. par Barchon de Penhoen, Paris 1836.

(2) *Enchiridion philosophiæ naturæ*.

omnem conscientiæ antecedit, ipso asserente, et est visio imaginaria, quia mens, omni realitate remota, nihil, nisi vanum phantasma intueri potest. Erit hoc solidum ac imotum fundamentum scientiæ philosophicæ? Philosophiam schellingianam non modo cum poësi, ut comparavit Aug. Grohmann (1), sed cum maxima dementia, quæ imaginari possit, comparanda est. Vid. *Cosmol. Disp.* 4.^a

Heghelius vero ait, principium absolutum universæ cognitionis esse illam *Ideam-Ens* absolute sumptam, quæ nempe neque subjectum, neque objectum est. At si neque subjectum, neque objectum est. Quid est? est quid simul ideale et reale, ait ipse, et aliquid *privative* determinatum, ex quo emergit Ens absolutum seu Deus, spiritus, et mundus. Futile adeo et lubricum hoc non est dignum honore refutationis. Nonne stultitia erit, argüere cum homine, qui ideas esse res, et res esse ideas non solum serio asserit, sed pertinaciter tuetur? Vid. *Cosmolog. l. c.* (2), Horum philosophorum incohærentia systemata, non solum non explicant originem humanæ cognitionis, sed eam omnino impossibilem reddunt.

COROLLARIUM. Ex brevi ac simplici, quod præcedit, examine præcipuorum systematum, quæ Philosophi excogitarunt ad cognitionis humanæ originem et progressum explicandum, facile intelligitur et clare perspicitur, quod ab initio Ideologiæ diximus, scilicet, rem esse hanc admodum obscuram ac difficilem. Si de quocumque philosophico problemate dici potest illud *Ecclesiastes: Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone* (3),

(1) *De recentissimæ philosophiæ vanitate*, P. 11. Witemberg 1809.

(2) *Cons. Balm. Filosof. Fundam.*, Tom. 1. L. 1. c. 8; D. Juan M. y Lara, *Lecciones sobre el sistema de Filosofia panteistica del aleman Krause* etc., Madrid 1865.; Maret, *Ensayo sobre el Panteismo en las sociedades modernas*, Paris. 1841.

(3) *Cap. 1. v. 8.*

in hoc speciatim locum habet. Tamen nos, non solum ut unicum rationabile, sed ut omnino certum habemus systema Scholasticorum mutatis aliquibus verbis; hocce systema, non sine aliquo incommodo, appellant *Psychologismum rationale*.

PSYCHOLOGIÆ SECTIO SECUNDA.

ANTHROPOLOGIA.

288. Hactenus in ea Psychologiæ parte, quam Dynamilogiam vocare placuit, postquam aliqua tractavimus de vita vitæque gradibus ac de brutorum anima hujusque natura, perpendimus varias animæ humanæ operationes et actus atque horum immediata principia sive potentias seu facultates; nunc jam quasi ab experientiæ manu ducti, diligentiori, quâ possimus curâ, investigabimus: quid sit illud harum omnium operationum principium principale ac radix: unde veniat: ad quid veniat et quo vadat, id est: 1.º quæ sit animæ humanæ natura et essentia: 2.º quæ sit ejus origo: 3.º quæ sit ejus destinatio in tempore et cujus generis sit ejus unio cum corpore: 4.º denique, utrum postquam absolverit hunc finem physicum, sitne in nihilum redigenda, an in æternum duratura et ad quid.

Si non summi momenti ac omni Philosophi cura dignæ hæ quæstiones sunt, quid magnum, quid dignum sit plane ignoramus.

289. Partem hominis nobiliorem ac principem pro toto homine accipientes, hunc Psychologiæ tractatum *Anthropologiam* appellant, á græco *anthropos*=homo et *logos*=tractatio seu ratio. Vid. *Disp.* 1.^{am} n. 3.

Methodus á nobis in hac tractatione omnino sequenda erit illa, quæ observationem cum ratione conjungit; «cum enim homo quidquam medium sit inter Pecora et Angelos.... inferior Angelis, superior pecoribus, habens cum

»pecoribus mortalitatem, rationem cum Angelis, animal
»rationale mortale (1),» nec experientia et observatio so-
lummmodo, nec ratio per se sola sufficerent ad investigan-
dam introspectendamque hominis naturam.

Cum multi sint gravissimi Philosophi Catholici, qui
hanc Psychologiæ partem sapientissime ac opportunissime
tractarunt veritatemque in tuto collocarunt contra omnis
generis incredulos, rationalistas et materialistas, nos nec-
cessaria tantummmodo colligemus et methodice ordinavi-
mus: Faxit Deus.

DISPUTATIO 17.^a—DE NATURA ANIMÆ HUMANÆ,
ET IN QUO REPONENDA SIT EJUS ESSENTIA.

290. Inter ethnicos Philosophos magna fuit dissensio
circa naturam animæ nostræ, ut videre est apud Hermiam
philosophum (2), et apud Ciceronem (3). Alii enim dicunt,
ipsam esse ignem puriorem, ut Democritus; alii subtilioris
ætheris portionem, ut Stoici; alii quamdam cerebri partem,
hi hodie discipulos habent; alii motionem, ut Heraclius;
alii exhalationem, alii vim á sideribus promanantem; alii
numerum movendi vi præditum, ut Pithagoras; alii har-
moniam, ut Dinarchus; alii sanguinem, ut Critias; alii
unitatem; alii quintum elementum, quod vocant quintam
essentiam, ut Aristoteles; alii subtilissimum corpus perni-
cissimo motu agitatam, ut Epicurus; alii mentem; alii....
Quot de his sententiæ!!! Quot philosophorum et sophis-
tarum, contententium magis, quam varitatem invenien-
tium, argumentationes?!!

(1) S. P. Aug., *De Civit. Dei*, lib. 9. c. 13. n. 3.; et in *Tract.* 8.
in *Joan.* c. 5. n. 7. ait: Vita hominum media est inter Angelorum et
pecorum.

(2) *Irrisio gentilium Philosophorum*: Invenitur in *Bibliot. vet. PP.*
Tom. II.

(3) *Tuscul. quæst.*, Lib. 1. n. 19. seq.

Multi quidem animæ simplicitatem admisisse videntur, sed nihil fixi habuisse verisimillimum est, et Tullius ipse, qui animum hominis á materia segregatum contendit, postquam diversas Philosophorum opiniones retulit, suam ea de re ignorantiam ingenue fatetur dicens: *Harum sententiarum quæ vera sit, Deus aliquis viderit; quæ verisimillima, magna quæstio est* (1).

Nunc autem benigno ac salutari Revelationis lumine illustrati Philosophi, animam humanam ab omni prorsus materia esse alienam agnoscunt ac demonstrant, repugnante tamen materialistarum turba, quorum interest hominis conditionem deprimere, et animæ simplicitatem negare, ut deinde cum corpore esse perituram confirment, atque ideo, bestiarum more, sensuali vitæ unice vacent. Hos inter est Spinoza (2), qui animam non quidem corpus dixit, sed corporis modificationem, cui attribuit extensionem et cogitationem; atque Helvetius (3), qui omnia veterum recentiorumque materialistarum portenta recoquit, idem ferme sentiunt *De la Mettrie, Hobbesius, Petrus Cabanis, Antonius Destuitt de Traci, Broussais, Augustus Compte, Hernestus Renan*, ex hegheliana schola etc. etc.; nihil mirum vobis videatur, etenim ubique et semper abundat illud hominum genus, *quorum Deus venter est* (4), *et animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei* (5).

(1) *Loc. cit. n. 23.*

(2) *Ethic. P. 1.*

(3) In opere, *L'Esprit.*

(4) Philip. 3.—19.

(5) 1. Cor. 2.—14. Hisce ipsis diebus in conventu populari hispano (*Asamblea constituyente española*), in iis, qui Regni curatores dicuntur et Religionis Catholicæ prærogativas et unitatem disrumpunt ac scindunt (et catholici sese ipsos quamplures appellant), non defuerunt, incredibile dictu, qui tot ac tales blasphemias et sacrilegas

Lockius mediam quasi sententiam propugnans inter doctrinam communiter receptam, et commentum *materialistarum*, asseruit quidem, animam humanam esse simplicem, divinitus tamen fieri posse, ut materia cogitet; quæ opinio falsissima est et periculis plena; ac proinde juvat omni argumentorum genere animæ simplicitatem ita defendere, ut materiæ cogitationem repugnare etiam demonstraretur.

291. Ast ne gravissimi momenti controversia ad inanes de vocabulis lites devolvatur, necessarium est determinare: quid nomine animæ humanæ significare velimus; quid nomine materiæ; quid nomine simplicitatis ac spiritualitatis:

Animæ humanæ nomine intelligimus: Illud principium quod in nobis sentit, percipit, judicat, ratiocinatur, intelligit, vult ac libere eligit inter varia bona. Cons. Disp. 1.^{am} n. 1.

Materiæ nomine intelligimus, illud principium passivum ex quo corpora coalescunt, id est, substantiam inertem

obtrectationes evomuerunt, quas significare non audeo, et tota Hispania ingenti dolore et lucto gemit ac lamentatur. Hi cæci sunt et cæcorum duces, Suñer Capdevila impudens Hern. Renam hypodidasculus, García Ruiz, Robert, Quintero, Pi Margall, qui impudenter absurdam et nauseabilem Heghelii theoriam evolvens, ut quid novum et magnum offerre pertentat etc. Sero veniunt hi impii rationalistæ; jam de talibus dictum est quæcumque ignorant blasphemant; quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Væ illis, quia in via Cain abierunt et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore.... Fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. (Judæ Ap. v. 10. seq.) Et hi Reipublicæ apostoli et curatores prædicantur!! Deus qui punit et corrigit cum misericordia ad ignoscendum et bona majora impertienda, avertet hoc malum, et non morabitur.

et extensam omnique intrinseco vitali principio carentem; idea igitur materiæ et corporis exhibet negationem activitatis, et compositionem seu aggregationem partium, nec non qualitates ab hac compositione, aggregatione et inertia resultantes ac dependentes, uti sunt divisibilitas, duries, mollities, mobilitas, figurabilitas etc. etc.

Simplicitas animæ, quam propugnamus, non excludit pluralitatem facultatum et actuum, aut distinctionem potentiæ ab actu, et alia hujusmodi, sed compositionem dumtaxat, quæ ex partium coagmentatione exurgit; hinc in anima nostra datur aliud et aliud, hoc et illud, sed non pars ista et illa; ac proinde non loquimur de simplicitate absoluta et unitate simplicissima, quæ soli Deo propria est, sed de illa, quæ partium extra partes positionem respuit ac de unitate simpliciter simplici. Hoc itaque sensu dicimus: animam esse substantiam simplicem, tum *quoad essentialiam*, quia ex pluribus partibus essentialibus non coalescit, tum *quoad quantitatem*, ut quæ nullas in se habet partes integrantes, nec actuales, nec possibles, sed prorsus inextensa est, quamvis in corpore extenso vigeat.

Spiritualem autem substantiam vocamus substantiam, non solum simplicem et ab omni materia prorsus diversam ac alienam, sed insuper præditam essentiali vi intelligendi ac libere volendi, seu cujus operationes, ab organorum materialium concursu independentes, contrarie et contradictorie opponuntur materiæ proprietatibus, ac proinde quæ corpore non indiget ut sit, et ut agat. Hujusmodi spiritualitatem animæ humanæ tribuendam esse asserimus (1).

(1) Superfluum prorsus ac innecessarium putamus existentiam animæ rationalis demonstratione constabilire; etenim, præterquam quod ex toto contextu ditarum rerum et dicendarum hæc veritas clarissima patescit, consequitur ex illo principio: *nihilum nihil agere potest*; ergo opus est aliquod principium, quod sit ratio sufficiens illarum omnium

Jam vero

292. PROPOSITIO. I. *Anima humana est substantia simplex.*

Demonst. 1.^o pars. Anima humana est *substantia*. Etenim substantia est ens per se et in se existens, nullique alteri inhærens tanquam subjecto (Ontol. n. 184.); atqui talis est anima humana. Animam enim vocamus illud principium activum, quo verum intelligimus, bonum volumus, quo judicamus, ratiocinamur, harum operationum atque aliarum similium consciï sumus; atqui principium, quod vim habet has operationes efficiendi, est substantia; nam vis debet esse in subjecto: atqui subjectum est substantia et non modus: modus enim sicut per se nequit existere, ita neque subjectum vis alicujus esse potest; ergo anima humana est substantia.

Insuper, intima conscientia testatur, in nobis esse subjectum permanens inter multiplices actus sentiendi, intelligendi, appetendi ac libere volendi. Nisi hoc subjectum, quod *ego* vocamus, identicum sibi sit, neque explicari, neque concipi potest, qua ratione nos unum identicum semper inveniamus inter tot mutationes. Atqui subjectum quod est semper sibi identicum inter multiplices mutationes, quas sustentat, est substantia. Ergo anima est substantia.

operationum, quas supra perpendimus, de quarum reali existentia nemo dubitat. Heic verum est illud Cartesii effatum; *cogito ergo sum*, quatenus nempe conscientia cogitationis secum necessario fert conscientiam seu cognitionem animæ quoad existentiam. Hoc vero jam ante Cartesium scite notaverat S. P. Augustinus: «Deus semper idem, noverim me, noverim te. *Rat.* Tu qui vis te nosse, scis te esse? *Aug.* Scio. *Rat.* Unde scis? *Aug.* Nescio.... *Rat.* Cogitare te scis? *Aug.* Scio. *Rat.* Ergo verum est cogitare te. *Aug.* Verum etc.» *Soliloq.* L. 2. c. 1. á princ. Mentem S. P. August. evolvit ac confirmat S. Thomas, *Sum. th.* 1. P. q. 87. á 1.

Demonst. 2.^a pars. Anima humana est substantia *simplex*. Etenim illud principium, quod in nobis cogitat, vult, reminiscitur, etc., sive potius illud, quod ipsi nos sumus, seu nostrum *Ego* est quid unum simplex et indivisibile; nam teste sensu intimo est idem subjectum percipiens seu nostrum *Ego*, quod per oculos videt, per aures audit etc.; idem quod imaginatur, meminit, attendit; idem quod ideas abstrahit, componit, comparat; idem quod judicat, ratiocinatur, appetit, aversatur, molestiâ aut voluptate afficitur; atqui hæc omnia in eadem substantia simplicissima insunt, quam denotat vox *Ego*; absolute enim repugnat, ut ego harum operationum mihi conscius sim, nisi eodem subjecto simplici omnes inessent, nec comparare, abstrahere, componere plures ideas possum, nisi simul mihi præsentés sint. Ergo etc.

Idem constat ex operationibus animæ singillatim spectatis. Etenim anima nostra est illud principium, quod in nobis percipit, judicat, ratiocinatur, sentit, libere se determinat ad agendum, præteritorum recordatur, futuri providum est; res abstractas, absentes et insensibiles percipit et comparat; atqui hujusmodi principium est essentialiter simplex. Ergo etc.

Prob. m. I.^o Principium, quod in nobis percipit, est necessario simplex. Si enim esset compositum, unaquæque idea vel experiretur in singulis partibus principii cogitantis, vel per totum principium cogitans diffunderetur, vel denique ista idea in una tantum parte compositi resideret: atqui nihil horum dici potest; 1. *Non potest esse in singulis partibus principii cogitantis*; tunc enim tot essent ideæ, quot essent in principio cogitante partes; atqui hoc absurdum est; nam sensu intimo experimur unamquamque ideam in nobis, quotiescumque adest, adesse unicam, ergo etc.: 2. *Non potest dici diffusa per totum principium cogitans*; nam si res ita se haberet, sicut principium cogitans, utpote compositum, posset dividi, secari, mensu-

rari: ita idea, utpote ejus modificatio, posset dividi, secari, mensurari, juxta illud principium: *quæ afficiunt substantiam, afficiunt quoque modum*: sic v. gr. paries albus non potest dividi, secari, etc., quin simul dividatur et secetur albedo ipsi inhærens; atqui prorsus insaniret quicumque diceret ideam, posse dividi, secari, etc.: 3. *Neque dici potest ideam in una parte tantum compositi residere*; nam pars illa vel esset simplex, vel composita: si prius; ergo subjectum percipiens est simplex: si posterius; eadem redeunt prorsus difficultates superius expositæ; ergo etc. Idem argumentum applicari potest sensationibus, quas anima experitur, eademque vim habet (1).

II.º Principium quod in nobis judicat et ratiocinatur, essentialiter est simplex. Etenim in omni judicio et ratio-

(1) Ad rem præcl. Balmessius: «Si en nosotros no hubiese algo permanente en medio de tanta variedad, la conciencia del *yo* sería imposible. Entonces no habría en nosotros mas que una sucesion de fenómenos inconexos, y por lo tanto serian imposibles la memoria y la combinacion. El pensamiento es un absurdo, si no hay algo que piense, permaneciendo *idéntico* bajo la variedad de las formas del pensar. En nosotros, pues, hay un sujeto simple que todo lo enlaza, en el cual se verifican esas mudanzas; hay pues una sustancia.... Si no admitimos que el alma es sustancia, la proposicion *yo pienso*, carece de sentido. Entonces la filosofia pierde su punto de apoyo; todo cuanto experimentamos en nuestro interior, es una serie de fenomenos inconexos, incapaz de ser observada y de estar sometida á ninguna regla. Mi pensamiento de ahora no es individualmente mi pensamiento de ayer; como mi pensamiento de mañana, no será mi pensamiento de hoy; estos pensamientos considerados en si con precision de un sujeto en el cual se hallen, no tienen que ver el uno con el otro: quizas versan sobre objetos sin ninguna relacion, quizas son contradictorios; quizas el pensamiento de hoy es negacion del de ayer.... Para decir *yo*, es necesario suponer una realidad permanente; realidad, porque lo que no es real es nada; permanente, porque lo que pasa desaparece, deja de ser y no puede servir de punto para unir nada.» *Filosof. Fundam., lib. IX. C. 6. y 7.; Cons. ejus Phil. elem., Psychol. C. 1.-2. et 3.*

cinio plures reperiuntur ideæ, quæ simul comparantur inter se et per affirmationem junguntur, vel per negationem separantur; atqui principium per quod fit ista comparatio, debet esse simplex. Si enim foret compositum, ex tribus ideis v. gr. quas comparat in ratiocinio, vel una esset in una parte principii ratiocinantis, altera in secunda parte principii, tertia in tertia parte; vel tres ideæ forent simul in singulis partibus principii ratiocinantis; vel per totum principium ratiocinans diffunderetur, vel denique in una tantum parte residerent: atqui nihil horum dici potest.

1. *Una idea non est in una parte principii ratiocinantis, altera in secunda, etc.*; tunc enim comparatio esset impossibilis, cum nulla pars foret conscia alterius ideæ, quæ in altera parte resideret. Et sane, una pars, v. gr. afficeretur ideâ circuli, altera pars ideâ quadrati, tertia pars afficeretur tertiâ ideâ: atqui unaquæque pars, utpote ab aliis distincta, nullatenus conscia esse posset aliarum idearum, quæ alias partes afficerent; sed tres illæ partes principii ratiocinantis se haberent ut tres animæ á se invicem distinctæ, quarum unam idea circuli, alteram idea quadrati, tertiam tertia idea afficeret; sicut ergo tres animæ non possunt esse consciæ idearum, quæ in aliis insunt, ita neque istæ partes; ergo esset impossibilis comparatio idearum, ac proinde impossibile iudicium et ratiocinium.

2. *Neque istæ ideæ possunt esse simul in singulis partibus principii ratiocinantis*; tunc enim toties iterarentur istæ ideæ quot forent in principio ratiocinante partes; atqui istud repugnat experientiæ et sensui intimo; constat enim unamquamque ideam esse unicam, non vero multiplicem in nostro principio cogitante. Deinde istæ partes, in quibus essent singulæ ideæ, vel essent compositæ vel simplices: si compositæ, redit eadem difficultas: si simplices, ergo principium ratiocinans simplex est (1); ergo etc.

3. *Istæ ideæ*

(1) Cons. P. V. de Raulica; *Filosof. Crist. tom. 3. c. 14.*

non possunt diffundi per totum principium ratiocinans; si enim diffunderentur, possent, sicuti principium ipsum, dividi, secari, mensurari, etc., quod est absurdissimum; ergo etc. 4. *Neque in una tantum parte residet*; nam ista pars vel esset composita, vel simplex: si prius, redeunt omnes eadem difficultates: si posterius, ergo principium istud est simplex; ergo etc. (1).

Quod diximus de comparatione idearum, eodem jure dicendum est de comparatione sensationum et omnium affectionum quas experimur; si enim affectiones illæ non sunt in principio simplici, sed in composito; si pars animæ v. gr., quæ symphoniâ permulcetur, distincta est á

(1) En quomodo hoc argumentum ipsimet Baylio vim faciat: «Si substantia cogitans, ait ipse, non aliter unitate gauderet, nisi quemadmodum globus aliquis; ea nunquam dolorem persentisceret, quem baculus inflicto verbere excitavit. En modus quo res hæc convinci potest. Considerate omnes mundi partes in globo aliquo depictas. Profecto in ejusmodi globo nihil videtis, quod totam contineat Asiam, aut etiam integrum quoddam flumen. Locus, qui repræsentat Persidem, non idem profecto est, atque ille, qui refert Siami regnum, Vos ibi probe distinguitis partem aliquam dexteram et partem sinistram in loco, qui exhibet Euphratem. Sequitur hinc, ut, si globus ejusmodi cognoscere posset figuras, quibus ornatur, nulla exstaret in eo pars quæ dictura esset: *Ego cognosco totam Europam, totam Galliam, totam urbem Amstelodamii, totam Wistolam*; sed quæque pars illius globi eam solam figuræ portionem agnosceret, quæ sibi forte contigisset. Et quoniam ejusmodi portio esset adeo parva, ut nullum integrum locum repræsentaret, inutilis prorsus esset globo illi cognoscendi facultas. Nullus enim ex hac facultate actus cognoscendi emergeret, vel saltem actus illi admodum discreparent ab iis, quos nos experimur. Nos enim percipimus integrum objectum, integrum equum etc., quod evidenter ostendit subjectum horum objectorum repræsentatione affectum dividuum nullo modo esse in partes distinctas, et, quod consequens est, parte qua cogitat, corporeum non esse, nec materiale aut plurium elementorum aggregatione coalescens.» *Diction. Hist. et Crit., Art. Leucippè, litt. (E).*

parte quæ vario florum spectaculo recreatur; si pars, quæ sensationem coloris experitur, à parte quæ sensatione odoris afficitur, distincta est; nulla poterit institui comparatio inter varias istas affectiones, nec unquam anima poterit judicare, utra sit jucundior vel magis ingrata: atqui ex sensu intimo contrarium prorsus constat; varias enim suas affectiones comparat anima et judicat, an ista magis, quam altera delectetur; ergo etc. Hinc Baylius, auctor non suspectus, de hoc argumento ita pronunciavit: *Hujusmodi argumentum dici potest demonstratio tam rigorosa, quam demonstratio geometrica; ejusque evidentia omnibus pateret, si omnes possent aut vellent ultra notiones crassæ imaginationis assurgere* (1).

III.° Principium quod libertate gaudet, est essentialiter simplex; nam fatentibus omnibus physicis, atque etiam materialistis, et teste experientia, materia de se iners est, neque ullum motum vi propria potest sibi conferre, vel datum sistere, aut alio detorquere; atqui principium in homine cogitans activa libertate gaudet, suorumque actuum dominus est; unusquisque enim sibi intime conscius est, se pro suo arbitrio agere vel non agere, ad hoc vel illud se determinare, ita ut vi sibi intrinseca possit ad aliud se flectere; ergo principium hujusmodi ab omni materia segregatum sit, necesse est; ergo etc.

IV.° Idem principium præterita recordatur, prævidet futura, res abstractas et insensibiles apprehendit et comparat, multasque alias similes operationes exercet; atqui principium hujusmodi est necessario simplex. Si enim materiale esset, ad summum posset agere in objecta præsentia et sensibilia: atqui circa res absentes et ab omni materia secretas agit; cogito de Deo, de virtute, de æternitate, de legibus æquitatis, generaliora scientiarum prin-

(1) Opp., t. I. p. 110.

cipia apprehendo, ex iis conclusiones deduco; quæ omnia sunt prorsus insensibilia, et immaterialia; ergo principium quod circa hæc agit, est omnino simplex; ergo etc.

293. Ex dictis colligitur, animam humanam esse *quid* à corpore prorsus distinctum, ita ut ejus operationes et affectiones numquam possint esse corporis quantumlibet minutissimi qualitates. Affectiones enim et operationes principii nostri cogitantis omnino exigunt subjectum simplex et activum; corpus vero quodcumque est compositum et iners; ergo etc.

Et vero corporum omnium seu materiæ affectiones ad figuram, quietem et motum revocari possunt; atqui affectiones subjecti nostri cogitantis in his esse non possunt.

1. *Non in figura*; tum quia inepte diceretur, ideas, judicia, etc., habere formam circularem, triangularem, etc.; tum quia materia diversas suas figuras passive recipit, anima vero multas cogitationes efficit; tum quia nulla tunc fieri posset comparatio inter ideas, sensationes, etc.; ergo etc.
2. *Non in quiete*; tum quia variæ operationes animæ nostræ sunt actiones, quies vero actionis negatio; tum quia nihil aliud est quies ac permanentia in eodem loco; nemo autem unquam dicet, ideam, judicium, volitionem, etc.; nihil aliud esse ac in eodem loco perseverantiam.
3. *Non in motu*; motus enim est correspondentia variis locis successiva; jam vero quis dixerit, ideas, sensationes, comparationes, volitiones esse hujusmodi? Et sane, cum materialistæ cerebro nostro omnes intellectuales operationes tribuant, et cum cerebrum per se locum ad coexistentia non mutet, inutile est ostendere affectiones istas non consistere in motu, prout dicit mutationem loci ad coexistentia. Nos insuper toto corpore quiescente cogitamus, judicamus, etc.; vel si motus, quem cerebrum quandoque habet communem cum toto corpore, esset cogitatio, pari prorsus ratione dici posset, pedis vel manûs aut lapidis motum constituere hæc objecta cogitantia; quo nihil ab-

surdus. Deinde recurrunt eadem difficultates supra expositæ, ubi de comparatione idearum, de judicio, etc.

Nec dicant adversarii, cogitationem consistere in motu intestino cerebri, prout ab organis imprimitur. Etenim quænam est impressio ab organis facta, cum de rebus mere intellectualibus aut absentibus cogitamus? unde probabunt semper moveri cerebrum, dum cogitamus? sed esto dicant tamen materialistæ, utrum plures aut una tantum fibra moveatur, dum ideam et judicium efformamus? Si plures, tot erunt ideæ quot motus fibrarum; unaquæque enim, utpote singularis et determinata, suum motum habebit, nec servabitur identitas subjecti cogitantis. Si una, quomodo una fibra tot diversos motus contra leges physicas sine confusione servabit? quomodo unus motus in altero continebitur, dum ideam prædicati in subjecto inclusam cernimus? nam tres ideæ debent esse simul distinctæ inter se et connexa; quomodo autem tres motus in unum poterunt coire quin confundantur? In contradictoriis, quomodo unus poterit remanere salvo altero? In judiciis, ratiociniis, etc. quomodo tot motus poterunt ad invicem referri, quin exoriat confusio, destructio? Deinde motus quicumque singularis est et determinatus per suam directionem et celeritatem; quomodo itaque exhibebit conceptus nostros universales et indeterminatos? Præterea, si cerebri et nervorum motu vel contrectabilitate ideæ, v. gr. producantur, quare ex diversis etiam motibus, qui a diversis vocabulis in organis excitantur, eadem tamen idea in mente exoriat? Nec sufficit conventio facta, si ex sui natura motus constituat ideam. Denique imperium illud quod subjectum cogitans habet in diversos organorum motus, potestas illa quâ debiliores potius quam validiores affectiones suas considerat, ipsum non esse materiale evidenter ostendunt: materia enim sibi ipsi motum communicare, communicatum pro libitu mutare, aut debiliori tantum obtemperare non valet; ergo etc. Neque dicant

materialistæ ideas non consistere in motu, sed in conatu ad motum, nam conatus ille in composito materiali fieri nequit sine motu; debet enim statum ejus immutare, sicut cogitatio actu immutat statum animæ nostræ; ergo etc.

294. PROPOSITIO II. *Anima humana est substantia spiritualis.*

Demons. Spiritus dicitur ens simplex, intelligendi atque volendi facultate præditum, cujus operationes á sensibus et phantasia independentes contrarie et contradictorie opponuntur materiæ proprietatibus; atqui hæc omnia conveniunt animæ humanæ. Nam, ex modo dictis, anima humana est ens simplex, facultate etiam intelligendi et volendi prædita est, atque eas operationes exercet mere intellectuales, quæ ab organis et rebus sensibilibus minime dependent, et simul contrarie et contradictorie pugnant cum proprietatibus materiæ ex se inertes, et extensæ; ergo anima est ens vere spirituale.

Profecto, sicuti constat, animam nostram ab organis corporeis et á rebus sensibilibus dependere in suis operationibus sensitivis; ita etiam certum est, eam in suis operationibus intellectualibus ultra sensus et phantasiam asurgere, atque in corpus ipsum dominari; nam intelligendo, ratiocinando, imo et volendo, extra sphæram rerum sensibilibus longe egreditur; res ab omni materia abstractas, earumque essentias, perfectiones, nexus, relationes apprehendit; veritatem, honestatem, virtutem contempletur; Deum ipsum infinitasque ejus perfectiones, sapientiam, sanctitatem, potentiam, immutabilitatem, æternitatem, atque alia attributa illimitata cognoscit; rebus æternis ac cœlestibus inhiare, sensuum illecebras æque ac molestias et acerbissimos cruciatus contemnere, in ente infinito omnis veri bonique fonte attentionem, amoremque figere valet; et beatitatem á sensuum delectationibus remotissimam ita appetit et quærit, ut nullo bono creato expleri

exsatiarique possit. Jam vero inter hasce facultates et operationes sensitivas, quæ ab organis corporeis pendent, nulla est connexio: nihil sensus conferunt, ut quis voluptates sensibiles aspernetur, vel molestias quærat exercendæ virtutis causa; nihil phantasia, ut quis ludibria et blandimenta reprimat et extinguat; nihil ulla res sensibilis, ut quis omnia quæ sub sensus cadunt oblivisci velit, et ad veritates intellectuales et ad bona supra sensus posita se convertat; nihil totum corpus, ut quis ejus interitum etiam desideret, et dissolvi cupiat. Illæ igitur operationes tanto intervallo non modo à corporibus et materia, sed à brutis animam humanam removent, ut eam ad imaginem et similitudinem Summi et Infiniti Spiritûs creatam esse manifeste ostendunt; ergo vero et proprio sensu anima humana est spiritualis.

295. PROPOSITIO III. *Materia ne divinitus quidem cogitare potest.*

Nota. Materia hîc à nobis sumitur prout passim ab omnibus accipitur et solet etiam communiter accipi à materialistis; ens, videlicet, extensum, solidum et iners. Itaque à primitivis materiæ elementis, sintne extensa ac inextensa, præscindimus, etsi extensione geometricâ prædita esse affirmamus.

Demonst. prop. Deus non potest facere quod intrinsece repugnat, sive non potest facere, ut ens constet ex proprietatibus contradictoriis; atqui proprietates materiæ et proprietates principii cogitantis sunt contradictoriæ, sive sese necessario excludunt. Nam fatente ipso Lockio (1) quem hîc impugnamus, idea materiæ est idea substantiæ extensæ et solidæ, ac proinde divisibilis, figurabilis etc., Pariter, ipso docente, qualitates corporum primariæ, ut extensio, soliditas, etc., sunt revera in corporibus; ergo

(1) Lib. 2. cap. 33. de int. hum.

recte inferimus ideam et essentiam materiæ necessario includere extensionem, soliditatem et divisibilitatem; atqui ex probatis principium omne cogitans est essentialiter simplex, ac proinde extensionem et divisibilitatem necessario excludit; ergo proprietates materiæ et proprietates principii cogitantis sese necessario excludunt; ergo cogitatio materiæ repugnat.

Insuper, effectus saltem virtualiter debet in causa contineri; atqui nullo modo cogitatio continetur in materia veluti in causa. Etenim si cogitatio produci posset á materia, id nempe esset aut per figuram magnitudinemque, aut per motum materiæ ipsius; atqui quocumque modo intelligantur ista variari, nil aliud potest oriri quam diversa figura, magnitudo, motus; ergo cum diversi omnino generis sit cogitatio, non poterit esse effectus materiæ. Deinde cogitatio est quid excellentius quam figura, magnitudo, motus; effectus igitur suâ causâ nobilior esset, quod sane manifeste est absurdum.

Quod si quis ad simplicia materiæ elementa á Leibnitzianis et Boschovichianis præsertim propugnata confugeret, nihil inde eruere posset contra thesim. Nam 1.º vel singillatim vel collective sumpta hæc elementa considerat: si singillatim spectantur, non sunt materia, siquidem hæc elementa essentialiter inextensa supponuntur, materia autem de se est extensa: si collective spectantur, jam sunt aliquid compositum et extensum; porro ex dictis repugnat cogitatio in ente extenso; ergo inde non destruitur repugnantia materiæ pro cogitatione.

2.º Cogitatio est actio vitalis et omnino simplex ac indivisibilis, quæ proinde á principio intrinsece activo ac vitâ prædito solummodo elici potest; materia vero quævis neque intrinseca activitate, quæ se ipsam determinet ad actum, neque vitâ propriâ gaudere potest, quin desinat esse quod est. Ergo etc.

QUÆSITUM.

296. In quo consistat essentia animæ humanæ.

Respondeo. Essentia rei duplex distinguitur, *physica*, videlicet, et *metaphysica* (1). Prior illa est complexus omnium determinationum, quæ rem constituunt, ut in re sunt, nulla abstractione aut artificiali partitione adhibita, ut v. gr. essentia physica hominis est corpus et anima rationalis substantialiter unita. Posterior vero est id per quod res est quod est, id quod á nobis primo in ente concipitur ut ratio sufficiens ac radix eorum omnium, quæ de re prædicari necessario debent.

Jam vero *physica* animæ essentia videtur constitui in ejus substantiali simplicitate et spiritualitate, seu facultate radicali sentiendi et intelligendi ac libere volendi, et forte etiam in actuali directa cogitatione, hoc ultimum tamen putamus stricte demonstrari non posse.

De *metaphysica* vero animæ humanæ essentia inter se differunt Philosophi. Alii eam collocant in sola simplicitate, quod plane falsum est; etenim simplex est etiam anima brutorum et elementa primigenia materiæ, ut placet quamplurimis Philosophis. Alii eam reponunt in facultate cogitandi, quod etiam falsum est; etenim facultas supponit necessario subjectum. Quid vero est hoc subjectum? Id enim est quod quæritur. Cartesius eam reponit in actuali cogitatione, quod non solum est falsissimum, sed ridiculum prorsus; etenim omissis aliis observationibus, cogitatio supponit necessario facultatem cogitandi et hæc facultas supponit subjectum seu principium radicale. Insuper cogitatio multiplex est. Forsitan bonus Cartesius

(1) *Ontol. Disp. 4.^a n. 39. pag. 29.*

voluit dicere: in intrinseca activitate, quæ cogitatione exercetur et manifestatur; sed neque hoc sufficit; nam illa intrinseca activitas plurimis aliis actibus exercetur et manifestatur ac præcipue vitalitate. Alii dicunt eam consistere in eo, quod anima sit forma substantialis corporis, quæ in suo esse á corpore non dependeat; hoc vero nihil significat; describit proprietates animæ ac functiones et immediatam destinationem, sed ejus metaphysicam essentiam non attingit.

Alii eam reponunt in *intrinseca activitate*; his adhæremus, si dignarentur addere *vitali*. Itaque nobis essentia animæ humanæ est: *Vita in actu primo sui conscia*. Etenim illud est essentia metaphysica rei: quod 1.º in re concipitur: quod 2.º est radix et origo cæterarum omnium proprietatum: quod 3.º illam rem ab omni alia distinguit. Atqui 1.º id, quod primo in anima concipimus, *est vitam sui conscia* seu activitas vitalis (conceptus vitæ conceptum activitatis includit), quæ sui conscientiam jugem habet, adeo ut si hic conceptus tollatur, anima nec concipi quidem potest: 2.º *vita sui conscia* est radix et origo omnium proprietatum animæ, ut sunt informandi ac vivificandi corpus, sentiendi, intelligendi, volendi, etc.: 3.º *per vitam sui consciam* anima humana distinguitur ab omnibus rebus materialibus, quæ nec vitam, nec conscientiam habent, ac sunt pure passivæ; distinguitur ab anima brutorum, quæ, etsi simplex ac activa sit, non est sui conscia; per hæc ipsa verba *sui conscia*, quibus insinuatur, ipsam se cognoscere per actus suos, ac per consequens mediante aliquo simplici ratiocinio, distinguitur quodammodo á vita pure intellectiva Angelorum; denique per hæc ipsa verba et illa *vita in actu primo*, infinite distinguitur á vita Dei sola essentialis vita in actu secundo.

Deinde nostra definitio non solum apprimè conformis est Ss. Scripturæ, sed ex Ejus verbis infertur: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et INS-*

PIRAVIT IN FACIEM EJUS SPIRACULUM VITÆ, *et factus est homo in animam viventem* (1).

Quoniam ignoravit (homo figulus) qui se finxit, et qui inspiravit illi animam, quæ operatur, et qui insufflavit EI SPIRITUM VITALEM (2).

Sed *obj.* In conceptu vitæ sui consciæ supponitur substantiæ notionem se priorem.

Resp. Dist. In conceptu inadæquato, *trans.*, vel *conc.* in conceptu adæquato, *nego.*

Solvuntur objectiones.

297. *Obj. I.* Omnes animæ facultates ad sensibilitatem reducuntur; atqui sensibilitas et ipsa sensatio non sunt aliud nisi organizatio vel reactio cerebri contra impressiones ab objectis factas in organa nostra sensoria; ergo anima non est quid distinctum á corpore.

Resp. Nego maj. Singularis sane est et gratuita nostrorum sensistarum assertio: agite, quæso, et vim intelligendi et attendendi dumtaxat ad sensibilitatem reduceite; numquid oculi, vel auditus, vel tactus notionem genericam entis, justitiæ, honestatis, etc., subministrant? Quonam sensu apprehenditur simplicissima relatio idearum? quamvis enim odoris et saporis, circuli et quadrati ideas determinatas per sensus possimus acquirere, differentiam tamen inter illas nullus sensus indicat, nulla impulsio repræsentat, et nihilominus clarissime cernitur. Attentio demum nisi per summum nefas cum sensibilitate confundi potest; quando sentio, affectionem passivè experior, et nihil aliud; cum ad sensationem attendo, active dirigo mentem ad ipsius affectionem, sensationis et subjecti sentientis clariorem ideam habeo; hæc igitur activa directio mentis,

(1) Genes. cap. 2. v. 7.

(2) Sapient. cap. 15. v. 11.

hæc clarior conscientia sensationis et subjecti sentientis, non est sensibilitatis, sed animi agentis effectus. Et sane sensibilitatis effectus omnem voluntatis actum communiter antevertit; attentio vero ab arbitrio proxime pendet, et fortioribus sensationibus posthabitis, languidiores aliquando prosequitur. Tandem si á sensibilitate omnes animæ facultates repetendæ forent, quare tanto melius nos intelligimus, quanto altius supra sensus assurgimus?

Nego etiam min. Si enim á principio sentiente et cogitante, quod sit á substantia corporis distinctum, præscindas, nihil aliud invenies, nisi diversam partium figuram, dispositionem, nexum et motum; et sensibilitas et sensatio formaliter accepta nihil horum esse potest, ut ex probationibus constat: sensatio externa seu sensatio materialiter accepta est quidem motus in organis factus; at sensatio interna seu formaliter accepta est prorsus diversa.

Inst. 1. Anima iisdem mutationibus subjacet, quibus corpus ipsum; crescit enim, senescit et ægrotat cum corpore senescente, crescente et ægrotante; insuper si organicæ functiones perturbantur, perturbantur quoque intelligentiæ operationes; ergo anima non est quid á corpore distinctum.

Resp. Dist. Ant. Iisdem mutationibus semper et eodem modo subjacet, *nego ant.*; secus, *trans.*, vel *conc.* Imprimis corpus nostrum sæpe patitur physicum augmentum vel decrementum, membris etiam mutilari potest, dum tale nostrum *ego* percipiens nec augetur, nec minuitur, ac crescente corpore animæ facultates non perficiuntur, sed contra qui studiis assidue vacant animæ facultates perficiunt et corpore languescunt. Ergo falsum est etc. Constat pariter experientiâ viros sanctos Gratiâ Dei adjuutos, inter acerbissimos crutiatus suavissimis gaudiis quandoque abundasse.

Ad 1.^{am} rat. add. Dist. Anima crescit, ægrotat etc. cum corpore, *dist.*; accidentaliter ratione unionis cum corpore

et dependentiæ ab illo in quibusdam suis operationibus ac modo plane diverso, *conc.*; quia est identica cum corpore, *nego*. Anima perficitur quoad habitus, experienciâ, scilicet, scientiâ, arte, virtute et aliis; corpus vero subceptione et augmentatione novarum partium; in illa perfectio est accidentalis, in hoc est essentialis.

Ad 2.^{am} rat. Dist. Perturbatur anima, id est, animæ operationes per accidens, *conc.*; perturbatur anima ratione sui, *nego*.

Vitiatis organis, perturbatur exercitium earum facultatum, quæ ab organis dependent sensus, scilicet et phantasia, quarum expeditus usus requiritur ut conditio ad intellectûs operationes dum versamur in hac vita.

Inst. 2. Ab organorum varia compositione pendent animæ facultates ipsique mores hominum, imo á qualitate cibi et potûs, á climate, etc.: atqui hæc probant invicte animam esse corpoream; ergo etc.

R. Dist. maj. Pendent sub aliquo respectu, *conc. maj.*; sub omni respectu, *nego maj.* Si enim facultates animæ moresque sub omni respectu ab organis dependerent, sequeretur, operationes intellectuales et morales affectiones residere in subjecto materiali composito; atqui absolute repugnat operationes et affectiones simplices in subjecto composito et inertis residere, aut ejus esse modificationes ut evidenter probavimus; ergo sub omni respectu non pendent ab organis corporeis. Aliqua tamen ex parte exercitium facultatum intellectualium et inclinationes morales pendere possunt ab organorum dispositione, propter physicam ac substantialem unionem inter animam et corpus; si enim opifex ab instrumentis, quibus utitur, maxime pendet in exercitio suæ artis, mirum videri nequit, animam quoque dependere ab organis corporis, quocum aretius substantialiter unitur. Quare physiologistis concedimus physicam hominis constitutionem exercitio facultatum intellectualium plus minusve favere; at negamus operationes animæ intellec-

tuales tribui posse composito materiali, cujus proprietates hujusmodi operationibus contradicunt. Pariter concedimus, physicam hominis constitutionem exercere influxum quemdam in morales inclinationes; at prorsus negamus actus moralitatis ab ista constitutione physica pendere: ex hac enim absurda et impia doctrina sequeretur, hominem esse veluti mechanicam compositionem omni libertate destitutam, ejusque actus morales omni malitia aut bonitate intrinsece carere; quippe qui necessario profluerent ex dispositione organica in quam homo potestatem non habet. Cæterum advertendum est, anatomicos et physiologistas deridendos esse, quando asserunt ex tali vel tali organorum dispositione judicari posse de ingenio, de indole, aut de inclinationibus moralibus hominis; sæpe enim inter se non consentiunt; et facta ab ipsis adducta non raro sibi contradicunt: sic v. gr. post anatomicas investigationes factas in cerebro facinerosi *Lecenaire* ad ultimum supplicium aliquot abhinc annis damnati, compertæ sunt in ipso cellulæ, quas vocant virtutum moralium, vitiorum autem fere nullæ (1).

(1) Prætermittimus in præsens tractare de *Cephalogia physionomica*, seu *systemate phrenologico*, quod quædam materialismi *metamorphosis* est, quodque ab ipso Homero usque ad nostra tempora variâ fortunâ excultum nunquam scientiæ dignitatem meruit obtinere, caret etenim principiis; quod alter Phrenologus ut experimento comprobatum statuit, alter accuratori experimento destruit, portenta decantat iste quæ ille risu excipit, et omnia eorum decreta pugnant plus minusve directe cum Anatomici observationibus et evidentibus Psychologiæ pronuntiatis atque etiam cum placitis eorundem Phrenologorum; nonne invenerunt in arietum capite organum *Theosophiæ*, et in calva celeberrimi Laplacei organum stupiditatis, in capite *Lecenairei*, famosi latronis, et in calva homicidæ *Fieschii*, non organum furti aut destructivitatis, sed organum benevolentiæ et theosophiæ? Quid talia serio sustinere potest? Sed neque unquam assentire possum iis, quæ B. Albert. Mag. et D. Thomas affirmant, scil., animas plus minusve nobiliores esse se-

Inst. 3. Anima sibi corpora repræsentat; ergo corporea est. Sicut enim speculum et tabella objecta corporea non repræsentarent, nisi extensionem haberent; ita á pari.

Resp. nego conc. Imo quia anima sibi corpora repræsentat, concludo eam esse simplicem et inextensam: si enim foret extensa, variæ partes objecti corporei, v. gr. ædificii, quod repræsentat, variis animæ partibus corresponderent, et tunc nulla animæ pars omnes objecti partes cognosceret, ac proinde unico intuitu totum objectum percipi non potest, nec ullum iudicium ferri, cum nulla esset animæ pars, quæ varias partes objecti apprehenderet. Atqui tamen varias objecti partes unico intuitu attingimus, de ipsis iudicamus, illasque inter se comparamus; ergo modus, quo mens sibi objecta repræsentat, probat illam esse simplicem.

Ad prob. resp. nego parit. Comparationes enim allatæ omni ex parte claudicant. Nam 1.º in speculo objectum non repræsentatur, sed speculum reflectendo radios est solummodo occasio cur imago objecti ad oculos pervenit. Ast etiamsi speculum objecta repræsentaret, ea non repræsentaret nisi per varias sui partes, ita ut singulæ speculi partes aliquam partem totius exhiberent, nulla vero pars totum objectum repræsentaret; è contra simplex et unum sit oportet illud, quod in nobis totum repræsentat objectum; secus nullum iudicium de isto objecto fieri posset. 2.º Quoad tabellam disparitas in eo est, quod figura seu repræsentatio, quæ corporea est, tabellæ inhæreat et super illam diffundatur; illa igitur tabella extensa sit oportet:

eundem nobilitatem corporum, quæ sortiuntur. Consulite S. Thom., *In lib. 2. sent.*, dist. 32., q. 2., á 3. *solut.*; Spurzheim, *Observations sur la phrenologie ou la connaissance de l'homme moral etc.* Paris, 1817.; id. *Essai philosophique sur la nature morale et intellectuelle de l'homme*, Paris, 1820.; Broussais, *De l'irritation, et de la folie*, Paris 1828.; id. *Cours de phrenologie*. Paris, 1836.; Debreyne, *Pensamientos de un creyente católico*, Barcelona, 1854.; id. *Fisiologia*, part. 1.;

ast anima non recipit in seipsa extensionem, neque extensio objecti repræsentati expanditur supra animam sicut supra tabellam, secus easdem dimensiones et eandem extensionem habere deberet, ac objecta quæ repræsentat; quod certe nemo dixerit. Aliunde si anima veluti tabella objectum corporeum reciperet, de totius objecti cognitione conscia non esset, propter rationes modo allatas; ergo manca omnino est comparatio.

298. *Obj. II.* Quidquid augetur vel minuitur est compositum; atqui variæ affectiones animæ, v. gr. sensationes augentur vel minuuntur; ergo sunt compositæ; ergo etiam compositum est principium sensationum.

Resp. dist. maj. Quidquid augetur vel minuitur quoad extensionem est compositum, *conc. maj.*; quidquid augetur vel minuitur quoad vim intrinsecam, *nego maj.* *Contradist. pariter min.* Sensationes augentur quoad vim intrinsecam, *conc. min.* quoad extensionem, *nego min.* Jam vero, ut valeret argumentum, deberent materialistæ probare, sensationes non modo alias esse aliis vividiores, sed etiam in partes dividi posse; hoc autem nunquam præstabunt. Et sane, si varii gradus doloris tanquam partes composito materiali inhærerent, dolor quilibet in gradus seu partes innumerabiles divideretur, sicque tam exigui essent in singulis materiæ partibus gradus, ut levissimum et pene nullum in singulis sensum excitarent; ergo nihil in nobis reipsa doleret. Quapropter admitti quidem possunt gradus distincti in affectionibus animæ, sed intra se positi, non extra se adinstar partium continui.

Inst. 1. Simples proprietates, ut sunt existentia, motus, gravitas, attractio, vegetatio, etc., materiæ competunt; ergo etiam cogitandi vis licet simplex convenire potest. Ita Voltaire.

Resp. Nego suppositum Antecedentis. Proprietates supra dictas non esse simplices manifestum est. Nam 1.º existentia materiæ non est modus ab ipsa distinctus, sed

est ipsa materia, ac proinde quot sunt in materia partes tot sunt existentiae. 2.° Pariter motus materiae non est aliud nisi materia mota, attractio non est nisi materia attracta, vegetatio non est nisi materia recipiens aliunde novas partes; et sic de cæteris proprietatibus; ergo tot sunt motus quot sunt partes materiae motæ, etc.; ergo etc.

Inst. 2. Proprietates animæ æque sunt divisibiles ac materia; nam constat ex scientia physica, album colorem ex septem coloribus primitivis exurgere; ergo sensatio coloris albi est in septem partes divisibilis.

Resp. Nego Ant. Ad prob. omissio antecedente, nego conc. Etiam si color albus objective spectatus supponatur ex septem primitivis oriri, non sequitur, impressionem in anima excitatam, seu sensationem internam esse compositam. Totalis enim sensatio coloris albi non debet haberi tanquam complexus partialium sensationum, sed est vera sensatio ab illis diversa, ita ut alia in nobis sit sensatio coloris albi, et aliæ sensationes cæterorum colorum. Pariter cum diversa objecta simul agunt in oculos nostros, unica est sensatio, non vero multiplex; alia enim in nobis oritur sensatio cum simul omnia perspicimus, atque aliæ sensationes cum singula perlustramus, et licet diversi motus in organis propter diversa objecta oculos percillant, unum tamen determinativum componunt, cui una formalis sensatio respondet.

299. *Obj. III.* Nullam habemus substantiæ ideam nisi substantiæ materialis; ergo si standum est ideis quas habemus, nunquam probari poterit animam esse substantiam spiritualem. Ita Lockius.

Resp. Nego. Ant. Vel enim loquitur Lockius de substantia, cujus existentia nobis immediate manifesta est, vel de ea quæ ratiocinando colligitur: atqui in utroque casu falsa est assertio. Nam si 1.^m nulla alia est hæc substantia, quam nostrum *ego*, de cujus existentia certi immediate sumus, cujusque esse substantiale nobis ma-

nifeste testatur et probat sensus nostræ individualitatis, perennis sub qualibet modificatione; igitur idea substantiæ, de qua nobis immediate constat, est idea nostri *ego*, ac proinde primitiva substantiæ notio est de nostro subjecto spirituali, tantum abest ut ideam non habeamus nisi substantiæ materialis. Si vero 2.^m, jam generica notio substantiæ determinata fit per modos; atqui modi cognitionis, volitionis, etc., non possunt esse modi materiæ, nec quidquam habent figuræ aut motûs; ergo ratiocinando non possumus concludere, nisi quod substantia hujusmodi modorum sit subjectum á materia diversum. Ipsum Lockium sibi hac in re contradicentem præstat audire: ait enim (1): *Manifestissimum est, quod cum nullam aliam materiæ ideam habeamus, quam rei, in qua multæ sensibiles qualitates existunt, quæ nostros afficiunt sensus; ita pariter semel ac á nobis concipitur subjectum in quo existunt cogitatio, cognitio, dubitatio, etc., tam claram de substantia spiritûs ideam habemus, quam de materia.* Ridiculi vero sunt materialistæ quando tam confidenter prædicant nihil nobis esse notius, quam substantiam materiæ, quæ in omnes sensus nostros agit; nihil è contra nos magis latere quam substantiam spirituales. Nam quæro ab ipsis: quid sensus nobis referunt de substantia materiæ? numquid aliud nobis renuntiant ac ejus extensionem, divisibilitatem, motum vel quietem, duritiem, etc.? sed qualitates illæ sunt modificationes, non autem immediata et intima materiæ substantia, quæ sensus nostros effugit. Ad ultimam analysim materiam reducere et usque ad prima ejus elementa pervenire conentur; quid poterunt invenire nisi mysterium inexplicabile, sive dicant eam esse aggregatum simplicium, sive dicant esse compositam partibus in infinitum divisibilibus? Si igitur ex solis proprietatibus materiæ debemus admittere substantiam, quæ

(1) *Lib. 2. de intell. hum. cap. 23, §. 5.*

omnem sensum effugit et omnem conceptum *leur* ex proprietatibus nostri subjecti cogitantis, quas conscientia nobis manifestat, non deberemus admittere substantiam spirituales? hæ enim proprietates non minus exigunt principium simplex et activum, quam illæ subjectum extensum et figuratum supponunt.

Inst. 1. cum Lockio: Ideæ de materia et de principio cogitante sunt inadæquatæ, nec exhibent totam rei essentiam; ergo in materia potest adesse proprietas á qua cogitatio procedat. *Conf.* cum Voltaire: rerum essentias ignorando, sumus in casu, quo, datis duobus numeris penitus ignotis, eorum summa vel differentia invenienda foret.

Resp. 1.º Ideæ de triangulo et quadrato sunt inadæquatæ; ergo aliqua eorum proprietas potest esse rotunditas.

Resp. 2.º Nego conseq. Ant. Ut duo simul stare nequeant, satis est si alterius proprietatem aliquam cognitam cum alterius proprietate pariter nota pugnare ostendatur, et non est necesse, ut totam essentiam adæquate pespectam habeamus: atqui, ut vidimus, sunt proprietates in anima, quæ pugnant cum proprietatibus corporis; ergo etc.

Ad Conf. Resp. Nego parit. Proprietates cognitæ, á quibus pendet conceptus ipse materiæ, adversantur proprietatibus cogitationis, sicut extensio simplicitati, inactivitas activitati; ergo non versamur in penitus ignotis sicut in casu: scimus insuper proprietates ignotas non posse pugnare cum cognitis; ergo etc.

Inst. 2. Minus distat substantia materialis á modificatione spirituali, quam substantia spiritualis á materiali substantia; ergo si Deus, Substantia spiritualis, potuit producere substantiam materialem, hæc poterit producere modificationem spirituales.

Resp. Dist. Ant. Minus distat in lineá entitatis, *trans.*; in lineá productionis, *nego*. Tota hujus sophismatis difficultas in ambiguitate vocis *producere* et *modo productionis consistit*. Causa nobilior potest producere effectum naturæ

inferioris, dummodo in virtute ejus talis efficientia contineatur; sed absurdum est, quod causa ignobilis producat effectum nobiliorem; præsertim si effectus pugnat cum causa, ut in casu præsentis.

Inst. 3.^o Deus potest tribuere materiæ proprietates, quas vult; ergo et vim cogitandi. Deinde potest Deus substantias materiæ et spiritûs absque suis proprietatibus creare, et postea soli substantiæ materiali proprietates utriusque tribuere, aut saltem substraendo à substantia materiali proprietates cum cogitatione pugnantibus, earum loco vim cogitandi substituere; ergo non repugnat materia cogitans.

Ad 1.^m Resp. Dist. Ant. Potest tribuere proprietates, quas vult, modo non sint contradictoriæ, *conc.*; secus, *nego*. Deus enim non potest velle nec facere contradictoria, ac proinde non potest materiæ tribuere vim cogitandi, quæ contradictoria est materiæ proprietatibus; negare vero, quod cognitæ proprietates materiæ ejus naturam constituent, idem est ac velle, omnem notionem materiæ subvertendo, de ignotis disputare.

Ad 2.^m Resp. ad 1.^{am} partem. 1.^o Potest Deus substantias aquæ et vini absque suis proprietatibus creare, et postea soli substantiæ aquæ tribuere utriusque proprietates; ergo aqua poterit inebriare.

Resp. 2.^o Nego suppositum, scilicet substantiam posse dici substantiam si suis careat proprietatibus; idem enim est dicere essentiam circuli posse esse essentiam circuli sine rotunditate ac substantiam vini posse esse substantiam vini sine liquiditate, odore, colore, sapore vini; productio hujusmodi non esset creatio, sed annihilatio substantiæ de qua agitur. Dicere vero, Deum posse substantiæ materiali tribuere proprietates materiæ et spiritûs, idem est ac dicere, Deum posse creare substantiam extensam simul et simplicem, inertem simul et activam; scilicet substantiam extensam et non extensam, inertem et non inertem.

Ad 2.^{am} partem. Resp. 1.^o Lockius sibi aperte contradicit: ubi enim immaterialitatem Dei demonstrat, supponit materiam necessario extensam; ergo saltem extensio cum cogitatione pugnans non potest à materia separari.

Resp. 2.^o Si Deus substraheret à materia proprietates cum cogitatione pugnantibus, deberet substrahere extensionem, soliditatem, inertiam; jam vero quis unquam materiam vocabit, substantiam, quæ nec extensa, nec solida, nec iners est? Idem esset ac dicere, aquam v. gr. remanere aquam, licet omnibus proprietatibus amissis, indueret naturam vini aut lapidis.

Inst. 4. Belluæ, quamvis meræ sint machinæ viventes, iisdem sensationibus afficiuntur ac homines; ergo materia potest cogitare.

Resp. 1.^o Lockius sibi adhuc aperte contradicit; nam (1) ex sensationibus concludit, se de existentia entis immaterialis intra se positi certiore, quam de sensationum objectis esse; et hinc asserit meras machinas affici posse sensationibus.

Resp. 2.^o Vel belluæ habent sensationes, quarum tot signa suppeditant, vel non: si non habent, ut docet Cartesius; ergo ex belluis nulla institui potest comparatio: si habent; ergo in belluis existit ens immateriale, sed cujus natura sit à mente humana penitus diversa. Quod quidem ut manifestius videatis Cons. Dynamilog. *Disp. 3.^o*, n. 22. pag. 17. seq.

DISPUTATIO 18.^o—DE ORIGINE ANIMÆ HUMANÆ.

Cognitis naturâ ac essentiâ animæ rationalis, jam procedere possumus ad solvendam hanc quæstionem: unde venit?

300. Substantia simplex ac spiritualis nullo alio prorsus modo existentiam recipere potest, nisi per creationem,

(1) *Lib. 2. operis cit.*

id est, *ex nihilo sui ac subjecti*: Attamen cum creationis mysterium rationi sibi relictæ impervium sit, ut historia populorum gentilium demonstrat, nihil mirum si ethnicos philosophos et eos, qui Divinam aspernantur Revelationem, exordium et origo animæ latuisset, cum re vera hujusmodi quæstio nullam alicujus momenti difficultatem præ se ferat.

301. Jam vero Philosophi super hac quæstione de origine animæ humanæ errarunt vel circa *ipsam rationem*, quâ illa ortum habet, vel circa *modum* exoriendi, vel circa *tempus*.

§. I.

302. Quoad *ipsam exoriendi rationem* aberrarunt, qui animam humanam esse partem et emanationem Divinæ Substantiæ autumarunt; hanc tamen scissionem ac emanationem animæ é Divina Substantia multifarie atque diversimode intelligunt distinctæ Philosophorum sectæ, quas singillatim persequi ad Historiam Philosophiæ remittimus, ne hîc plus justo immoremur.

Hunc errorem invenimus inter Chaldæos, Persas, Indos, Ægyptios; apud scholam Jonicam, et Pythagoricam, inter Platonicos, Stoicos et Neo-platonicos; inter Manichæos insuper, Priscillianistas et quosdam Arabes ex schola Avicbroni et Avampacei, et quotquot pantheismum profitentur (1).

(1) Cons. Cicer., *De Nat. Deor.*, Lib. 1. c. 2., Lib. 3. c. 14.; S. P. Aug., *De Genes. ad litt.*, lib. 7. c. 17.; *Contra mendac. ad Consentium*, c. 5.; *De Civ. Dei*, lib. 12. c. 23., lib. 13. c. 24., lib. 22. c. 11., lib. 11. c. 10., et alibi.; B. Alb. Mag., *De causis et proces. univers.*, lib. 1. tract. 1. c. 5.; S. Thom., *QQ. Disp.*, q. unic. De Ange. art. 6.; *De spir. creat.* á 3.; Vidderus, *Dissert. philos., de Hiloismo et Leinitzianismo*, sect. 2. c. 1.

Abnormitas hujusce erroris facile exploditur, sit tamen

303. PROPOSITIO. *Repugnat animas humanas é Divina Substantia ullo modo emanasse.*

Ac primo, prædictus error iisdem argumentis exploditur, quibus pantheismus, Cosmol. n. 90. seq., pag. 228, seq.

Secundo. Divina Substantia est actus purissimus ac perfectissimus, nullam non solum partem, sed nec potentialitatem habet aut habere potest, æterna est et immutabilis, prorsus indivisa et absolute indivisibilis ac tota simul est ubicumque est etc. etc. At contra anima humana, ut experientiâ intimâ, observatione et ex ipsa ratione constat, potentiâ et actu constat, est mutabilis, finita, singula in singulis etc. etc. Ergo repugnat etc.

Merito ait S. P. Augustinus: «Animam videmus et peccatricem esse et in ærumnis versari, et veritatem quæere et liberatore indigere. Hæc mutatio ostendit mihi quod anima non sit Deus: nam si anima substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur, quod nefas est dicere (1).»

Hoc igitur multipliciter repugnans commentum et simplicitati Dei opponitur et aliis Ejus infinitis perfectionibus.

§. II.

304. Circa *modum* exoriendi animæ humanæ aberrarunt *Traduciani*. Hoc nomine illi insigniuntur, qui, post creatam primi hominis animam, cæterorum hominum animas à parentibus in filios per generationem propagari ac veluti traduci autumarunt. Traducianorum duces extitere

(1) Contra *Faustum Manichæ.*, *Disp.* 1. §. 11. *Cons. Ejus epist.* 166. §. 3.

Tertulianus (1) et Apollinaris (2), quos maxima pars occidentalium, ut inquit S. Hieronymus (3), sectati fuerunt, hos vocat Gennadius *Latinorum præsumptores* (4). Amplectebantur hanc erroneam sententiam credentes, hoc pacto se originalis reatûs diffusionem optime explicari posse. Eandem sententiam Luciferianis adscriptam fuisse testatur S. P. Augustinus (5).

Ex Traducianis alii tenebant, animam prolis esse animæ paternæ partem, quæ ex parente decisa instar surculi in filium transplantetur (6); aliis vero placuit traducis modus qui fieret sine sectione ac divisione, eo ferme modo quo flamma candelæ absque sui detrimento excitat alterius flammam (7).

(1) Q. Septimius Tertulianus Presbyter carthaginiensis vixit inter sæc. III. et IV., strenue pro Christiana Religione pugnavit, sed in plura lapsus est paradoxa, inter alia docuit, rationalem animam, et fortasse Deum, esse sui generis corpus ac eadem ratione generari, quâ corpus, ac eodem contineri semine. *Lib. de Anima.*

(2) Apollinaris presbyter, nam duo sunt Apollinares, Pater, qui Lector erat et institutor Grammaticæ, et filius Rhetoricæ preceptor, is condidit hæresim, Horum opera deperdita fuere, præter Psalmorum versionem. Vixerunt sæc. IV.

(3) *Epist.* inter August. 163.

(4) *De Eccles Dogm.* c. 14.

(5) *De Hæres.* c. 81.; Cons. Joan. Perr. *Præl. theol. tract. de Deo Creatore*, Par. 3. c. 4., *De peccati orig. propag.*, prop. III.

(6) «Nihil perversius hac opinione excogitari potest,» ait S. P. Aug., *De Hæres.* n. 86.

(7) Hanc opinionem nonnulli S. P. Augustino attribuebant, perperam autem ac per summum nefas. Nam imprimis S. Patrem pro ea sententia stitisse ex iis locis argui nequit, in quibus de origine animæ disserens, nihil de hac quæstione definire voluit, ut constat ex *Epist.* ad S. Hierony. 166. al. 28.; *De anim. et ejus orig.* c. 11. *De Genes. ad litt.*, lib. 7. c. 25.-28.; lib. 9. c. 27. seq.; lib. 10. c. 6.; *De peccat. merit.*, lib. 3. c. 10. (vid. hæc et alia loca apud Andr. Martin: *S. Aurelii Augustini Philosoph.* Part. IV. c. 45.-51. Parisiis, à Julio Fabre

In hoc posteriori sensu non desunt hodie luxuriantes scriptores, qui antiquorum *traducianismum* sub *Generacionismi* nomine in scænam iterunt adducant (1).

emend. etc. 1863. et Ab. Hottes, *Estudes sur Saint Augustin* etc., Pars 2. §. 2. c. 1., Parisiis 1861.) Præterea in aliis sequentibus suis operibus S. P. Augustinus eam sententiam, quæ animas per propagationem oriri tenet, omnino reprobavit, nam Optatum monet, ut defendat, quantum potest, atque asserat «animarum infantium ejusmodi esse novitatem, ut nulla propagatione ducatur.» *Epist.* 190. n. 13.; atque sententiam, qua animas à Deo creari docetur, apperte asseruit: «Quis negat, inquit, non unius tantum, sed omnis animæ Creatorem Deum, atque factorem, nisi qui Ejus eloquiis apertissime refragatur? Sine ulla quippe ambiguitate per Prophetam dicit: *omnem flatum ego feci*, animas videlicet intelligi volens, quod verba consequentia manifestant. Non itaque unum, quem facto ex terra homini primo inspiravit, sed omnem flatum Ipse fecit. et Ipse adhuc facit.» *Epist.* cit. c. V. n. 16. Et in *lib. 2. de Trinit.* c. 8, n. 14. statuit, animam nonnisi à Deo posse creari: «Anima, inquit, cum sit substantia spiritualis, cumque etiam ipsa facta sit, nec per aliud potuerit fieri, nisi per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, etc.» Cons. Cardin. Noris *Vindicie Augustiniane*, c. 4. §. 3. Si vero S. Pater aliquando anceps loquitur et instrui desideret *nondum erat per Ecclesiam* declarata fide de nova quotidie creatione animarum, ut ait S. Thomas *In Epist. ad Rom.*, c. 14. *lect.* 3.

(1) Casimirus Ubaghsius, *Anthropologie Christiane dogmata*; Ex hoc opere septem propositiones excerptæ fuere, quas Congreg. S. Ofic. judicavit *haud tuto tradi posse.*; Goschler, *Diction. encycl. de la Theol. Cathol.*, art. *Generationisme*, prætermittimus singularem et prorsus absurdam opinionem A. Rosminii, qui autumavit: animam humanam initio *sensitivam tantum* esse, et hanc à parentibus per generationem *traduci*, postea vero *fieri intellectivam* per apparitionem ideæ entis, quam Deus illi manifestat. Ita ipse, *Psych.*, vol. 1., *lib.* 4. c. 23.

305. PROPOSITIO. *Traducianismi commentum quocumque sensu intelligatur est eminenter absurdum.*

Demonst. 1. Anima est substantia simplex et spiritualis, ut demonstratum est; ergo nec dividi, nec propagari potest ulla emanatione: res etenim propagatur ab alio seu emanat, quæ ex principii sui visceribus, in quibus continebatur, producitur, sive explicatione et evolutione educitur et ampliatur; hæc autem omnia compositionem principii evidenter supponunt. Igitur ex parentis anima, quæ est substantia spiritualis, aliam animam simplicem itidem et spiritualem substantiam efformari ac produci, nemo dicere potest, nisi spiritualitatem animæ humanæ negans ad putidum materialismum confugiat.

2.º Si animæ humanæ propagarentur per generationis traducem ex parentum animabus, eæ producerentur vel actione creatrice ex nihilo, vel ex aliquo præsupposito. Atqui neutrum dici potest. Non *primum*; etenim creatio ex nihilo infinitam virtutem postulat, quam nulla creatura possidet, nec possidere potest, ut alibi demonstrabimus. Insuper hoc in casu, si dari posset, animæ filiorum creatione et non traduce, inciperent esse. Non *secundum*; etenim hoc præsuppositum foret, vel ipsamet substantia animarum parentum, vel aliquid corporeum. Corporeum autem esse non potest; nulla enim virtus corporea potest esse principium rei incorporeæ, quia nulla virtus agit ultra genus suum, neque effectum producit se nobiliorem ac perfectiorem. Jam vero anima humana est substantia simplex, spiritualis et independens á corpore et materia, sine quibus, utpote per se subsistens, et existere et operari potest, et re vera existet et operabitur post mortem Ergo. etc.

Neque esse potest substantia animarum parentum; etenim ex substantia simplici et spirituali repugnat aliquid præcidi, aut decidi, aut effluere atque alteri communicari,

quod itidem est simplex et spirituale. Ergo *traducianismi commentum* etc.

Merito igitur ait S. Thomas: «Cum sit (anima) immaterialis substantia, non potest causari per generationem, sed solum per creationem á Deo. Ponere ergo animam intellectivam á generanti causari, nihil est aliud quam ponere eam non subsistentem, et per consequens corrupti eam cum corpore, et ideo hæreticum est dicere quod anima intellectiva traducatur cum semine (1).» Et profecto in Concilio Lateranensi V. sub Leone X aperte definitum fuit: «animam humanam pro corporum, quibus in funditur, multitudine singulariter multiplicabilem et multiplicatam et mutiplicandam esse (2).» Et á suprema Inquisitione Generali Romæ damnata fuit sequens propositio: «Anima rationalis cum semine á parentibus propagatur (3).» Loca hæc inter plurima adducimus, quia agimus cum iis, qui Divinam admittunt Revelationem.

Quomodo autem propagetur peccatum originale, seu potius *privatio justitiæ originalis* ad nos non pertinet investigare. Cæterum quæstio bene intellecta, quantum ratio circa articulum fidei inquirere potest, sufficienter á theologis explicatur.

306. *Obj.* Si parentes animam proli non communicant, hominem non generant, sed solummodo humanum corpus.

Resp. Generatio passiva hominis sita est in unitione animæ cum corpore. Ad hanc autem unitionem et parentes et Deus concurrunt. Parentes concurrunt per hoc quod materiam subministrant ac disponunt ad animam rationalem recipiendam; ita ut ex naturæ lege exigat eâ informari.

(1) *Sum. th.* 1. P, Q. 118. á. 2. circ. finem.

(2) *Sess.* VII. *Can. Apostolici regiminis.* Apud Labbe., t. 14. col. 187. Dist.

(3) Die 20 Maji an. 1643. Apud Card. Aguirre, *Philosoph. Novæ veteri, Disput.* 80. *De orig. anim.*, sect. 1. n. 3.

Deus autem concurrat rationalem animam creando. Tamen parentes solummodo vere ac proprie hominem generare dicuntur; terminus enim totalis, adæquatus et ultimus actionis generativæ est individuum *ex eorum substantia ipsisque simile quoad naturam*: Deus autem per hoc quod facit in hominis generatione, hominem generare non dicitur, quia homo *nihil accipit de Substantia Divina*, neque quoad naturam est Deo similis. Falsum est igitur dicere hominem non generare hominem, nisi et corpus et animam ipsi communicet. *Generatio* (ut alibi definimus) est: *origo viventis à principio vivente conjuncto in similitudinem nature*.

§ III.

307. Jam vero certum est, animam humanam non esse ens à se, seu talem, ut habeat in sua essentia rationem sufficientem suæ existentiae; etenim Ens hujusmodi est absolute infinitum et prorsus immutabile, et cujus non existentia absolutam repugnantiam involvit. Anima autem est multipliciter finita ac perpetuo mutatur, et ejus non existentia nullam involvit repugnantiam. Ergo anima humana contingens est et indifferens ad existendum, vel non existendum. Ergo ab alio producta est. Cum vero neque pars aut emanatio é Divina Substantia sit, neque à parentibus generari potuerit, sit

308. PROPOSITIO. *Anima humana produci aliter nequit, quam per creationem ex nihilo sui et subjecti.*

Demonst. Anima humana est substantia simplex et indivisibilis, spiritualis ac per se subsistens. Atqui hujusmodi substantia neque ex subjecto præexistente produci potest, neque ut forma ex materia educi, sed solummodo per se habet suum fieri. Ergo solummodo per creationem ex nihilo absolute incipere potest. Atqui solus Deus virtu-

tem creandi habet, adeo ut absolute repugnat, hanc virtutem alteri communicari posse, ut alibi demonstrabimus. Ergo anima humana immediate á Deo creetur necesse est. Ast *quo tempore?*

§. IV.

309. Notum est omnibus, multos veterum Philosophorum, præcipue Pythagoricos censuisse, animas omnes in mundi exordiis conditas fuisse et in astris collocatas, ubi cœlestem vitam vixisse; deinde vero in admissi criminis pœnam vel aliam ob causam nobis ignotam, corporibus tanquam carceribus detrusas fuisse; opinabantur etiam illi Philosophi, animas pro ratione sui meriti vel demeriti, dum corporibus unitæ sunt, comparatas, vel ad alia corpora nobiliora transmigraturas, vel ad corpora deteriora etiam brutorum esse immittendas.

Hanc repugnantem de *metempsychosi* doctrinam, quæ etiam nunc temporis apud nonnullos asiaticos (1), et sive joco sive serio apud nonnullos Europeos viget ab Ægyptiis hausisse creditur Pythagoras, qui ipsi celebritatem donavit. Hanc ipsam doctrinam sequutus est Empedocles Plato (2) et Neoplatonici secundum ipsorum de *emanatismo* placita (3).

310. Eundem errorem ex parte amplexus est Origenes docens, ab exordiis rerum nihil nisi spiritus conditum á Deo fuisse; ex iis illos, qui Deo se adhæserunt, beatitatem potiri et *Angelos* vocari, qui á Deo omnino recesserunt,

(1) Cons. Mosheim, in Cudworthum, *Syst. intellect.*

(2) Dubitatur tamen utrum Plato historice, an mythice loquutus fuerit.

(3) Hinc Neoplatonici præceperunt diversa media homini adhibenda esse, ut á vinculis corporis extricatus ad pristinam cœlestem vitam protinus revertatur.

ad tartara fuisse destinatos, appellarique *dæmones*; qui vero minus peccarunt, damnatos fuisse ad humani corporis ergastulum, diciturque *animas*, quæ pro qualitate operum præmio, vel pœnâ sint afficiendæ (1); ita tamen, ut omnes tum *dæmones*, cum animæ damnatorum post certum temporis spatium salutem consequantur, ideoque nulla pœna sit æterna (2).

Quoniam de æternitate pœnarum infra sermonem instituemus, hîc breviter refutabimus præexistentiam animarum et absurditatem metempsychosis, quæ commenta prorsus gratuita sunt et sensui communi adversantur.

311. PROPOSITIO I. *Animæ humane non sunt creatæ à mundi exordiis, nec ante corpora, quæ ab eis informata sunt.*

Prob. 1. Ille status separationis in quo fingitur animas creatas fuisse, vel erat ipsis naturale, vel contra naturam. Si primum; ergo contra naturam est earum physica ac substantialis unio cum corporibus; atqui hoc falsissimum est: 1. quia homo est compositum naturale, non violentum ac præposterum, et est quid distinctum ac perfectius animâ et corpore: 2. quia certissimum est, unionem animæ et corporis esse in bonum utriusque; etenim cor-

(1) Idcirco secundum Origenem et origenianos narratio Genesis circa originem hominis non historice, sed allegorice accipienda est, et ipsum nomen *Adam* non individuum singulare, sed totam humanam speciem significat.

(2) De Origenianis loquens S. P. Augustinus ait: «Animas dicunt, non quidem partes Dei, sed factas à Deo, peccasse à conditore recedendo; et diversis progressibus pro diversitate peccatorum à cœlis usque ad terras diversa corpora quasi vincula meruisse. Et hunc esse mundum, eamque causam mundi fuisse faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur.» *De Civ. Dei, lib. 11. c. 23.* Cons. Daniele Huetium, *Orig., Lib. 2. q. 6. §. 10.*; Patuzzi, op. *De futuro impiorum statu*, lib. 3.

pus sine anima nec vivere nec formam organicam servare potest; et anima sine corpore vires vegetativas et sensitivas exercere nequit: 3. quia tunc unio animæ et corporis esset violenta et nihil magis anima appeteret quam solvi à corpore, quod quidem contra experientiam est: 4. denique resurrectio corporis esset contra naturam etc. etc. Si secundum dicatur, id est, illum statum esse contra naturam; ergo Deus naturæ auctor sapientissimus creans naturam egit contra naturam; atqui hoc impossibile est; ergo etc. (1).

2.° Insuper, animæ humanæ antequam corporibus uni-
rentur, vel vixerunt vitâ propriâ, vel non. Si non vixe-
runt, ad quid Deus eas creavit? et quod est magis quomodo peccare potuerunt? Si vixerunt quomodo aut cur oblitæ sunt eorum omnium actuum, quos exercuerunt facultatibus inorganicis, de quibus nec vel minimam conscientiam habemus? Deinde quomodo justo jure luimus pœnas delictorum ad eorum detestationem, de quibus nullam conscientiam habemus? Dicunt nonnulli Pythagorici, se habere obscuram conscientiam de antefactis. Mentiuntur tamen; singularis est conscientia horum somniatorum!!

312. PROPOSITIO II. Ergo *Metempsychosis doctrina ridicula est et impia.*

Demonst. Ac 1.° Hæc doctrina aperte Revelationi divi-
næ, quæ docet, unumquemque, prout in vita bene aut male gesserit, ita post resurrectionem universalem in suo corpore præmium aut pœnas recepturum esse. Jam vero

(1) «Manifestum est, inquit S. Thomas, quod Deus primas res »instituit in perfecto statu suæ naturæ, secundum quod uniuscujusque »rei species exigebat. Anima autem, cum sit pars humanæ naturæ, non »habet naturalem perfectionem, nisi secundum quod est corpori unita. »Unde non fuisset conveniens animam sine corpore creari.» *Sum. th.* p. 1. q. 90, art. 4.

quomodo in suo corpore recipiet præmium aut pœnas, si successive ad plura corpora informanda destinatur?

2.° In hac doctrina unio inter corpus et animam non est naturalis et substantialis, sed violenta et præpostera; atqui hoc falsissimum est, ut infra demonstrabimus; ergo etc.

3.° Manifeste etiam opponitur sensui communi, qui hominem inter et brutum discrimen immensum interesse docet, et nullum esse verum præmium aut pœnam absque cognitione virtutis aut sceleris personalis.

4.° Ex hac doctrina alia etiam fluunt absurda, unum inter plura indicabo: secundum hoc deliramentum, nullum animal posset ab homine jure occidi in suos ipsius usus, cum tamen pro libitu homines animalia sæpe occidant; penderet ergo ab hominum arbitrato tempus purgationis animarum, vel transmigratio à corpore in aliud corpus similiter dispositum; quæ sane risu excipienda sunt.

Merito igitur ait S. P. Augustinus adversus Porphyrium: «puduit eum credere, ne mater fortasse filium in mulam revoluta vectaret; et non puduit hoc credere, ne revoluta mater in puellam, filiis forsitan nuberet...» Sunt ista, Fratres mei, magna magnorum deliramenta doctorum (1).»

§. V.

313. In animo erat nihil de ridiculo et absurdo Leibnitzii et Wolfii systemate circa animæ originem dicere, sed ut videatis ad quæ extrema conducere nos posse præaccepta opinio, hæc perpauca annotabo.

Leibnitzius, secundum suum systema de *Optimismo* mundi et *harmonia præstabilita*, supponit, huic mundo

(1) De Civ. Dei, lib. 10, à c. 3. Ibi pluribus aliis exagitat S. P. hunc errorem.

nihil addi, nihil demi posse, quin destruat; aliunde constat, Deum ab initio omnia creasse et *die septimo requievisse ab omni opere, quod patrarat*. Quapropter animæ humanæ omnes ab initio seu á constitutione mundi creatæ sunt ac proprii corpusculi germinibus conjunctæ in Adamo; deinde vero per generationem transfunduntur, ac lapsu temporis cujusvis corporis germen evolvitur et singuli homines constituuntur, idcirco generatio nihil aliud est, quam transfusio, transformatio et augmentatio (1).

Difficile est credere, esse aliquem, qui ita somnietur.

Hoc delirium non est dignum honore gravis refutationis. Adnotandum est solummodo: 1.º Supponit Leibnitzius, illas animas esse tantum á principio sensitivas; at quomodo potest anima sensitiva ad gradum rationis transire et ad dignitatem substantiæ spiritualis? hoc enim fieri tam repugnans est, quam repugnat ex materia fieri substantiam intelligentem. Insuper hic progressus est jam contra Leibnitzii principium, nam est progressus in statum perfectiorem.

2.º Qui hominem occidit, non unum homicidium patret, sed tanta, quanti sunt homunculi, quos germinaliter in se gerebat; insuper; quid fit de illis animis in hoc casu?

3.º Absurdum esset discrimen foetus animati et inanimati agniti á legibus civilibus et Ecclesiasticis.

4.º Hoc paradoxon impetit ac destruit Mysterium Incarnationis. Nam 1.º Corpus *D. N. Jesu-Christi* non esset assumptum ex *Maria Virgine*: 2.º Anima Christi esset in suo organico corpusculo antequam á Divino Verbo assumpta fuit etc. Nestorianam et Eutichianam hæreses hæc Leibnitzii positio instaurat.

Omittimus cætera, et concludimus cum *S. Leone Magno*: «*Catholica Fides constanter prædicat, atque veraciter, quod animæ hominum, priusquam suis inspirarentur cor-*

(1) *Theodic.* §. 90. seq.; *Wolfius, Psychol. ration.* §. 704.

»poribus, non fuere (1).» Et sinodus V. Œcumenica: «Siquis
»fabulosam animæ præexistentiam, et quæ ex illa conse-
»quitur, monstruosam restitutionem asseruerit, anathema
»sit (2).»

Aliunde ille Genesis (3) textus á Wolfio usurpatus non ita accipiendus est, ut fatentur interpretes, et maxime S. P. Augustinus (4), quasi Deus nihil amplius creet; *Pater meus*, ait Jesus (5), *usque modo operatur et ego operator*, sed eo dumtaxat sensu, quod exinde nullam amplius novam rerum speciem condiderit, etsi res conditas administrare cœpit juxta leges á se præstitutas. Neque aliquid valet unitas et optimismus mundi; nam unitas mundi non destruitur, sed servatur novâ creatione animarum in locum illarum, quæ in æternum sæculum vocantur; mundus vero optimus in sensu Leibnitzii est quid repugnans, ut alibi demonstravimus (Cosmol. *Disp.* 7.^a §. II. n. 149. seq.)

314. COROLLARIUM EX DICTIS: *Anima humana tunc á Deo creatur cum corpori ab ipsa informando conjungitur.* Etenim si animæ humanæ ab ipso rerum exordio conditæ non sunt, quia id esset contra earum naturam et immediatum finem ac destinationem, ¿cur postea creari debuerint antequam corporibus conjungerentur? Pars profecto est propter totum. Si ergo intentio naturæ est, ut hominem producat, anima est propter hominem; ac proinde tunc animam creari oportet, cum procreandi homines tempus advenit; quia tunc immediate et proxime finis naturalis animæ obtinetur. Atqui hæc omnia obtinentur cum anima corpori conjungitur et ipsum informat. Ergo anima humana etc.

(1) *Epist.* XV. ad S. *Thurib. Asturic.*, c. 10.

(2) *Can.* I. *adv. Origen.*, apud Labbé, t. IV. col. 225.

(3) *Cap.* II. v. 2.

(4) *In Epist. ad S. Hierony.*, quæ est 166.

(5) *Joan.* 5.—17.

Insuper, anima conservatur in corpore usquedum in eo aptitudo datur, atque ideo dum naturalis exigentia datur ad actiones vitales; ergo á pari videtur inferendum, tunc animam á Deo creari, cum primum datur aptitudo operationibus vitæ sufficiens. «Catholica Fides, inquit S. Leo Mag. (1), confitetur, omnem hominem in corporis animæque substantiam á Conditore universitatis formari atque animari intra materna viscera.»

315. At quo tandem tempore intra materna viscera anima corpori infunditur ac conjungitur?

Resp. Variæ sunt opiniones, quin desint in hoc, sicut in aliis plurimis, absurda et mirabilia portenta; tale est illa sententia quorundam Scholasticorum, qui foetus humani animationem per tres animas, sibi succedentes, vegetativam, scilicet, principio, deinde sensitivam, ac postremo, cum corpus organizationem perfectam et satis vigoris assequutus est, rationalem, explicare conabantur; tale est illa, quæ statuit, prolem masculinam non animari, nisi quadragesimo die, et fæmineam octogesimo. Nobis probabilius est, animam rationalem á Deo creari ac corpori infundi *in ipso conceptionis instanti*: 1.º quia ex tunc foetus evolvi ac vegetari incipit, quæ functiones non ab alio principio repeti possunt, quam á principio vitali intrinseco, nempe anima: 2.º quia tunc ex communi hominum sensu homo generari ac procreari dicitur: 3.º quia id observationibus et experimentis suadetur (2).

(1) *Epist. C. ad S. Thurib. Astur.*

(2) Cangiamilla, *Embriologia sacra* etc. Debreyne, *Mæchialiogia; Tratado práctico de Embriologia sagrada. c. 1.*

DISPUTATIO 19.^a—UTRUM PRINCIPIUM, OMNIUM QUOTQUOT
IN HOMINE SUNT, OPERATIONUM VITALIUM SIT UNICUM.

316. Longum nimis foret, si ea omnia, quæ de proposita quæstione vel á remotissima antiquitate inter Philosophos disputata sunt, in medium proferrentur. Disputatum etenim fuit: utrum in homine sit unicum principium, quo ipse intelligit, sentit ac vegetat (*monismus*): an duo sint principia, quorum uno intelligit, altero vero sentit et vegetat (*dichotimia*, id est, *bipartio* seu *dualismus*): an denique tria, quorum uno intelligit, altero sentit, tertioque vegetat (*trichotimia*, = *tripartitio*). Jam

Trichotimiam sustentarunt, inter alios obscuri nominis, Plato, Galenus, Averroës, Apollinaristæ item et Manichæi.

Dichotimiam (hodie *vitalismus*) recentiores quamplurès defendunt á Barthezio, Flourensio, Maine de Biran, Tissoto et Antonio Günthero ducti.

Monismus (hodie *animismus*) seu unicitas principii omnium vitalium operationum seu animæ in homine ab omnibus Ecclesiæ Patribus, Scholasticis et præstantissimis hodiernis Philosophis, ut generis humani sententia doctrinæ Catholicæ consona, tuetur, cum quibus sit

317. PROPOSITIO. *Anima rationalis est unicum ac sufficiens principium in homine omnium vitalium operationum.*

Prob. I.^o Si principium omnium vitalium operationum non est unicum in homine, hæ operationes non possent prædicari de homine. Atqui hoc est et contra rationem, et contra sensum intimum, et contra sensum communem. Ergo etc.

Prob. maj. Homo est suppositum unicum ac natura resultans ex unione substantiali animæ rationalis cum corpore organico, est itaque *homo animal rationale*, quod

ab eodem habet ut sit ens, á quo habet ut sit unum; etenim unum et ens convertuntur; ergo vel homo non est ens ac per consequens non est homo, vel est unum animal rationale, una natura, unum suppositum rationale, *unus* homo. Atqui in una natura, in uno supposito non potest esse nisi unum idemque principium omnium ejusdem operationum. Ergo si principium operationum et actuum vitalium partis sensitivæ et vegetativæ est distinctum á principio intellectivo, illæ operationes non sunt operationes et actus hominis. Hoc autem est

1.º *Contra rationem.* Etenim contra rationem est dicere, hominem non esse unam naturam specificam, de quâ verissime prædicari debeant et esse animal, et esse vivens. Atqui si in homine, præter animam rationalem substantialiter unitam corpori, quibus est homo, admittitur aliud principium operationum animalium et vegetativarum ab anima rationali distinctum, homo neque est una natura specifica, neque unum suppositum, sed multiplex, neque de eo prædicari possunt esse animal et esse vivens. Dicendum est igitur, ne in absurdum incidamus, hominem, secundum quod est homo, esse animale, et secundum quod est animal, esse vivens, atque propterea ab eodem principio ipsum habere et esse vivum, esse animal, esse hominem.

2.º *Est contra sensum intimum.* Etenim sensus intimus testatur, ipsum idem subjectum, quod in variis sensuum organis varias sensationes experitur, quodque sensitivi appetitûs actus elicit, ipsum idem esse quod intelligit ac ratiocinatur. Hæc enim omnia unum idemque subjectum, ut ad se pertinentia, in se experitur; eademque intelligentia, quæ ad proprias intellectiones se convertit, sensationes quoque et appetitiones reflectendo relegit. Fieri autem nequit ut una anima experiatur ut suum, id, quod fit in altera, aut ut reflexione redeat in alterius actus. Actus enim immanentes sunt essentialiter in agente. Ergo etc.

3.º *Est contra sensum communem.* Et sane Philosophus æque ac quilibet de plebe naturali impulsu dicit non solum, *Ego intelligo*, sed etiam, *Ego sentio*, et non solum, *Ego intelligo ac sentio*, sed etiam, *Ego nutrior*, *Ego au-gesco*, *Ego prolem genero*, *Ego deambulo* etc. (1).

II.º Idipsum ostendit nexus multiplex inter facultates sensitivi ordinis et intellectivi. Nam operationes sensus, si valde intensæ sint, operationes intelligentiæ impediunt; et ad operationes rationis exercendas, experienciâ sensuum et phantasiâ juvamus; et vicissim operationes facultatum rationalium impediunt operationes facultatum ordinis

(1) Ad rem ait P. Ventura: «El lenguaje del género humano no es otra cosa que la razon humana hablada... Magnífico reflejo de la razon divina, esta razon universal humana, asi como el lenguaje que es su expresion, es el precioso depósito de todas las ideas, de todas las verdades naturales, y por consiguiente de la verdadera filosofia... Pues en el lenguaje comun de los hombres, no se dice: el espíritu de Pedro razona, la lengua de Pedro habla, los pies de Pedro andan, el cuerpo de Pedro está bueno ó está malo.... Por último, es uno mismo y único individuo-hombre el que realiza al mismo tiempo los tres actos de toda forma natural, las tres generaciones de la vida vegetativa, las tres funciones de la vida sensitiva, y que además despliega con la mayor independenciam las tres facultades de la vida intelectual.... *La Filosofia cristiana* l. c. Et in Libello periódico *Revue Medicale*, 15 Maji, 1858 legitur: «En cuanto á mi toca, opino que existe en el hombre una causa primera, *spiritus, mens*, espíritu, intelligentia, *archea, alma*. Os deixo investigar, si asi lo quereis, cuáles son los lazos que unen una sustancia inmaterial con un cuerpo material. Esta primera causa se manifiesta por medio de operaciones intelectuales y de actos orgánicos. No reside en el cerebro, ni en el corazon, ni en el hígado, ni en el centro epigástrico, etc. Tiene el sistema nervioso por instrumento de los actos intelectuales, voluntarios y sensitivos; y las diferentes vísceras por instrumentos de los actos materiales propios para la conservacion del cuerpo. Asi es como sin ser en ninguna parte órgano, preside á todas las funciones, ya intelectuales, ya orgánicas, cuyo conjunto constituye el fenómeno de la vida.»

sensitivi et vegetativi, si illæ nimis intensæ sint. Præterea, semel ac corpus corrumpi ac dissolvi incipit, rationalis anima discedit ab eo, et semel ac anima rationalis disceserit corpus corrumpi ac dissolvi incipit.

318. *Obj.* cum Platone. Experimur intra nos intestinam quamdam pugnam. Atqui pugna non potest esse ejusdem cum se ipso. Ergo sunt intra nos duo quæ pugnant, nempe duæ animæ.

Resp. Dist. maj. Experimur intra nos pugnam animarum, *nego*; pugnam inclinationum ad bona opposita, *conc.*

Contradist. min. Non potest esse in una eademque anima pugna cum se ipsa, ut anima est, *conc.*; non possunt esse in una eademque anima diversæ inclinationes ad opposita bona, *nego*; et *nego cons.*

Quemadmodum enim una mens trahitur hinc inde ab oppositis motivis ad oppositas propositiones, vel corpus idem ab oppositis viribus ad oppositas partes, ita una eademque anima á bono sensibili, et á bono rationis hinc inde trahitur: *video meliora proboque, deteriora sequor.* Imo vero pugna hæc ipsa luculenter ostendit animæ unitatem. Hæc enim pugna in variis inclinationibus ac motibus ad opposita bona sita est: inclinationes autem ac motus hujusmodi sunt actus immanentes, qui in agente, toti quanti sunt, manent, nec ad aliud transire possunt. Si igitur anima mente pollens ab anima concupiscente distincta ac divisa esset, unaquæque suas affectiones experiretur, suisque motibus moveretur, nullumque esset in nobis subjectum, quod oppositorum bonorum illecebras in se experiretur (1).

(1) Cons. Salv. Tong. *Inst. etc. Psychol., lib. 2. c. 2. art. 1.*, Merito igitur concludit S. P. Augustinus: «Nec duas animas esse in homine dicimus, unam animale[m], quã animetur corpus et immixta sit

319. *Notandum* est contra Gorg. Stahilium aliosque, cum dicimus; animam rationalem esse etiam principium vitalium actionum organicarum, hoc intelligendum est, ipsam esse harum actionum principium, non per intellectum, sed per *modum naturæ*, id est, per propriam vitalitatem independentem ab intellectu et voluntate, quæque, eodem plane modo ac vires corporeæ, positis quibusdam conditionibus, necessario exit in actum.

DISPUTATIO 20.^a—QUÆNAM SIT UNIO ANIMÆ ET CORPORIS IN HOMINE INQUIRITUR; ET QUAM VEL QUAS CORPORIS PARTES IPSA IMMEDIATE VIVIFICET.

320. Omnes Philosophi, qui purum abjectumque materialismum non profitentur, animam et corpus in homine agnoscunt, ac simul docent, hominem non esse solam animam, multoque minus esse solum corpus, sed dicunt, hominem esse aliquid ab anima corporeque distinctum ab ipsisque conflatum. Hæc persuasio vulgo hominum communis est, cum nemo, quantumvis plebejus, cadaver aut animam à corpore separatam hominem appellet, latumque discrimen non agnoscat inter *cadaver*, *animam* et *hominem*. Verum, quandoque unitas est vel substantialis, vel accidentalis, non convenit inter Philosophos, utrum unitas hominis, sive, ut quoque ajunt, *compositi humani* sit substantialis, an accidentalis.

Et sane Plato et quamplures antiqui Philosophi, consequenter ad doctrinam de pœnali reclusionem animarum in corporibus, aperte professi sunt, animam *per accidens* cum corpore conjungi, simili prorsus ratione, quâ nauta navi, motor movili, artifex instrumento. Hanc ipsam theoriam adoptarunt Cartesius et Mallebranchius cum suis,

»sanguini; alteram spiritualem, quæ rationem ministret, sed dicimus
»unam esse et eandem animam in corpore, quæ corpus suâ societate vivificet, et semetipsam suâ ratione disponat, *De Eccles. Dogm.*, c. 13.



Kantius item et ex parte Rosminius; his etiam nostris temporibus nonnulli sunt Philosophi, qui, si non expressis verbis hoc ipsum doceant, ita tamen hominem definiunt et animam, ut in eandem, in quam Plato et Cartesiani, sententiam recidunt.

321. Scholastici vero et alicujus frugis Philosophi, juxta catholicam doctrinam, concorditer docent, unionem animæ et corporis in homine physicam ac *substantialem* esse, ita ut ex iis duobus resultet una unica natura, unum suppositum, unum operationum principium; quapropter anima est forma substantialis corporis humani. «Ex anima et corpore, ait S. Thomas, constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas, naturæ, scilicet, et personæ. Naturæ quidem, secundum quod anima unitur corpori, formaliter perficiens ipsum, ut ex duobus fiat una natura... Unitas vero personæ constituitur ex eis, in quantum est unus aliquis subsistens in carne et anima (1).» Et S. Bonaventura ait: «Unibilitas cum corpore non est animæ accidentalis, sed est ipsi animæ essentialis (2).» Jam vero:

322. Unio physica et substantialis in eo sita est, quod binæ substantiæ, cum ad se invicem accedunt, physicas suas proprietates in unum conferut, ita ut proprietates, vires, operationes compositi à proprietatibus, viribus, operationibus utriusque componentis diversæ sint. Quo pacto ex duabus componentibus substantiis unum subjectum constituitur, unum operationum passionumque principium, videlicet, una natura.

Hujuscemodi compositionis substantialis exempla habemus in Chemicis combinationibus. Quantum enim inter se differant proprietates v. gr. Chloruri aurei à proprietatibus Chlori, et à proprietatibus aurei, nemo non videt; item quid magis diversum ab oxygenio et sulphure, quam

(1) *Sum. th.*, 3. P. Q. 2. a. 1. ad 2.

(2) *In lib. 3. Sent., Dist. 5., a. 11., q. 3. resol.*

acidum sulphuricum? Multo autem magis *consociari* possunt spiritus et materia, ac multo melius concipi potest unio inter corpus et substantiam simplicem et spiritualem, quam inter duo corpora.

323. Idcirco unio inter animam et corpus in eo sita est, quod ex iis duabus substantiis, *quæ relate ad hominem incompletæ sunt*, exurgat ac coalescat *una substantia completa*, una natura, unum suppositum rationale, scilicet, una persona completa, quæ est ratio unica ac sufficiens omnium operationum et affectionum, quarum utraque incompleta substantia capax est, sive ex se ipsa, sive ex consortio alterius: utraque autem substantia ad se invicem *accedendo* se invicem perficiunt et *unum quid ab ipsis distinctum efficiunt*, ita ut neutra illarum substantiarum in altera existat tanquam in sustentante, nec tanquam pars in toto, sed utraque existunt in homine, et habentur ab homine.

Jam vero ex hac brevi expositione, ex dictis in præcedenti Disputatione, atque ex totius operis nostri contextu facile stabilitur sequens propositio, quâ concident systemata plus minusve absurda ac ridicula inventa ad explicandum *commercium* (1) inter corpus et animam.

324. PROPOSITIO. *Animæ rationalis cum corpore conjunctio physica est et substantialis, ac proinde ipsa est forma corporis humani.*

Demonst. breviter. Ac I. Animæ rationalis cum corpore conjunctio physica est et substantialis, et eadem anima est forma, quæ dat corpori esse humanum, si hæc conjunctio habet re vera illas omnes conditiones, quæ ad talem conjunctionem requiruntur; atqui re vera habet; ergo etc.

(1) Hæc vox *commercium* ad designandam unionem seu artissimum nexum corporis et animæ mihi valde impropria videtur.

Demonst. min. Ea, quæ sunt diversæ naturæ, unam eandemque actionem exerere non possunt, ut unicum agens; quoniam omne agens secundum suam naturam agat necesse est, atque omnis effectus consentaneus esse debet naturæ suæ causæ. Atqui in homine sunt actiones et actus, quæ nec animæ solæ tribui possunt, nec corpori, sed tantummodo naturæ resultanti ex utriusque conjunctione; anima autem et corpus, si in se seorsum considerentur, sunt diversæ substantiæ. Ergo pro certo habendum est, corpus atque animam in homine adeo inter se congi, ut ex ipsis, veluti ex duabus substantiis incompletis, *una substantia completa*, una natura, una persona constituatur (1).

Demonst. min. I.º Ut omittamus ea, quæ ad vitam vegetativam pertinent, *ex sensu proprii subjecti*. Homo sentit se extensum, atque in se varias partes distinguit, propriasque affectiones modo in una parte, modo in altera experitur. Atqui corpus nequit sentire; sensatio enim est operatio vitalis et immaterialis; anima vero, ut est in se nequit se extensam sentire. Ergo sunt operationes in homine ac proprietates diversæ ab operationibus et proprietatibus tum animæ, tum corporis. Ergo etc.

2.º *Ex facultate sensus externi*. Anima simplex et inextensa materialium objectorum impressiones excipere non potest; nihil enim corporeum potest imprimere in rem incorpoream (2); nullam enim habet superficiem, quæ ab altera superficie tangi queat, et impenetrabilis non est.

(1) «Illud est unaquæque res, quod operatur operationes illius rei. » Unde illud est homo, quod operatur operationes hominis. Ostensum est autem (*art. præc.*) quod sentire non est operatio animæ tantum. » Cum igitur sentire sit quædam operatio hominis, licet non propria, manifestum est quod homo non est anima tantum, sed aliquid compositum ex anima et corpore.» *S. Thom.* 1. P. Q. 75. á. 4. in c.

(2) *S. Thom. Sum. th.*; 1. P. Q. 84. á 6.

Aliunde corpus extensum est et impenetrabile; proindeque impressiones alterius corporis excipere potest, sed eas experiri nequit. Ergo subjectum ac natura, quæ organicas impressiones experitur, est subjectum ac natura à corpore et anima distinctum. Ergo etc.

3.º *Ex motu spontaneo.* Corpus ex se est iners, ac se ipsum neque ad motum ex quiete, neque ad quietem ex motu determinare valet. Anima autem ex se non movetur ad modum corporum, quia non est in loco ad corporis modum. Homo autem seipsum ad motum localem se determinat. Ergo sunt in homine operationes, quæ nec corpori, nec animæ tribui possunt. Ergo corpus et anima seorsim sunt quid incompletum relate ad hominem. Ergo necesse est, ut ita inter se jungantur, ut sese invicem perficiant et unam naturam completam efficiant. Ergo etc.

4.º Appetitûs item sensitivi passiones ad solam animam pertinere non possunt, quia corpoream mutationem in suo conceptu includunt; nec ad solum corpus, quia corpus appetitûs est incapax; pertinebit igitur ad naturam resultantem ex conjunctione animæ et corporis ab iisque distinctam (1).

Jam vero nemo non videt, omnes has operationes et actus non ex alia causa posse repeti, quam quod anima esse suum cum corpore communicat, ita ut ex anima et corpore *unica substantia completa constituatur, que nec corpus, nec anima est, sed aliquid tertium*, quod ex utroque componitur, quia, si anima et corpus essent duæ substantiæ completæ, tam illa, quam istud proprias operationes haberent, cum hoc sit proprium cujuscumque substantiæ completæ.

Demonst. II. Homo est una *essentia* specifica, seu quæ-

(1) Cons. Salv. Tong. *Inst. etc.*, tom. 3. *Psych.*, lib. 2. c. 3, art. 3.

dam species perfecta in genere substantiæ. Atqui id, quod hominem facit esse *unam substantiam* specificam, seu speciem perfectam in genere substantiæ, neque est corpus, neque est anima. Ergo etc.

Demonst. min. tum á priori, tum á posteriori. *A priori* et 1.º quoad corpus; nam corpus, ut corpus est, habet essentiam communem cum cæteris corporibus, neque de ipso prædicari possunt proprietates illæ, quæ prædicantur de homine, ut sunt vivere, vegetare, sentire, intelligere, velle etc.: 2.º quoad animam; etenim anima ex se est substantia simplex et spiritualis, quæ nullam speciem perfectam constituit, nec completam naturam alicujus speciei, siquidem non potest exercere plures operationes, quæ organorum concursu exercentur, ut sunt nutriri, augmentari, generari, corrumpi, moveri, sentire et imaginare affectiones corporeas sive interno sensu, sive externo et cætera hujusmodi, quæ tamen sunt actiones propriæ individui de humana specie, id est, hominis, ac de homine prædicantur, ita dicitur hominem generari, hominem nasci, crescere, corrumpi, id est, mori, hominem moveri, sentire, dormire, amentem esse, defatigari, intelligere, velle, etc. etc. *Ergo non corpus, non anima, sed quid tertium, quod ex ipsorum substantiali conjunctione coalescit, est homo, seu species perfecta in genere substantiæ completæ.*

A posteriori seu ab experientia. Nos conscii nobis ipsis sumus, sive in nobis ipsis experimur, illud, quod in nobis intelligit et vult, esse idem, ac illud, quod sentit, nutritur, deambulat, etc.; unde unusquisque nostrum, sicut dicit: *ego intelligo, ego volo*, ita dicit quoque: *ego patior, ego deambulo* etc., aut aliud hujusmodi. Atqui illæ operationes sunt solius animæ, ut jam demonstravimus, hæ autem et animæ et corporis, quod ipsa informat. Ergo unum idemque esse in homine illud, cui operationes animæ et corporis tribuuntur constat ex testimonio conscientiæ. Id unum, quod nec anima tantum est, nec corpus, est

suppositum rationale, seu persona (1), cui tribuuntur humanæ operationes, secundum illud scholæ: *Actiones sunt suppositorum.* (Cons. Ont. Disp. 13.^a n. 198., V. et VI.) (2).

325. Ex his jam sequitur, animam rationalem esse formam corporis, quæ ipsi dat esse humanum. Etenim ex communi Philosophorum consensione, materia est substantia incompleta, quæ potentiâ solum esse illud habet, quod per formam in ea receptam ipsi communicat; forma vero est etiam substantia incompleta, quæ ad certum aliquem essendi actum materiam determinat, suique communicatione facit ut sit actu illa essentia, quæ prius in materiæ potentia fuit. Atqui constat ex dictis, corpus esse relate ad hominem substantiam incompletam, quæ solummodo habet hominem per animam et cum anima, á qua accipit esse vivens et esse humanum; animam vero et ipsam esse partem hominis, non totum hominem, eamque esse quæ determinat corpus ad hoc, ut actu vitam habeat, atque ut homo sit. Ergo anima rationalis vere dici potest ac debet forma corporis.

Insuper, id, quod dat essentiam homini ipsumque constituit in propria natura et specie essentialiter distincta á cæteris speciebus, est principium formale essendi hominis. Atqui anima rationalis dat corpori humano naturam et speciem essentialiter distinctam á cæteris omnibus speciebus.

(1) «In puris hominibus, ait S. Thomas, ex unione animæ ad corpus constituitur persona.» *Sum. th.*, 3. P. Q. 2. a. 5. ad 1.

(2) S. P. Augustinus admirantes, quomodo ex Deo et homine una facta sit persona Christi, considerare jubet idem in homine evenire, quia in hoc ita anima cum corpore conjungitur, ut una persona fiat hominis. «Nam, ait S. P., sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit; ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona natura est animæ et corporis; in hac persona mixtura est Dei et hominis... Ergo persona hominis mixtura est animæ et corporis; persona autem Christi mixtura est Dei et hominis.» *Epist.* 137. ad *Volusianum.* c. 3.

Ergo anima rationalis est forma corporis per se et essentialiter (1).

326. *Notate*, nos non dicimus animam rationalem esse formam *substantialem*, etsi, si hæc vox bene intelligatur, dici debeat, tum ob adductas rationes, tum quia et ipsa non accidens, sed substantia est, licet incompleta relate ad hominem; non dicimus tamen tum quia hæc vox varie ac multipliciter á scholasticis interpretatur, ac proinde non rem satis declarat, tum etiam quia in Ecclesiæ definitionibus hæc vox caute omittitur (2).

Concludendum igitur est, unionem corporis et animæ physicam esse et essentialem et animam rationalem esse

(1) Dico *per se et essentialiter*, et hoc; tum ex parte ipsius animæ, quia de ejus essentia est, ut sit apta corpori informando; tum ex parte compositi, id est, hominis, quia composito hujusmodi essentialiter est, ut corpore tanquam materia, et anima rationali tanquam forma coalescat.

(2) Et profecto, in Concilio Viennensi sub Clemente V. an. 1311. exposita doctrina his verbis definitur: «Porro doctrinam omnem seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis seu intellectivæ vere ac per se humani corporis non sit *forma*, velut erroneam ac veritati catholicæ fidei inimicam, sacro approbante Concilio, reprobamus: definientes, ut cunctis nota sit fidei sincera veritas, ac præcludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisque deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit *forma* corporis humani per se et essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus.» Clement. *De Summ. Trinitate et fide catholica*. Tit. 1. c. unic. Similiter definitum fuit in Concilio Lateranensi sub Leone X. «Cum illa (anima intellectiva) non solum vere, per se, et essentialiter humani corporis *forma* existat etc.» Sessio VIII. Canone: *Apostolici regiminis*. Et novissime S. D. N. Pius Papa IX damnans Güntheri errores, inter alios hunc annumerat, ait enim: «Nosce iisdem doctrinis lædi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absorbitur, ut anima, eaque rationalis, sit vera, per se, atque immediata corporis *forma*.» *Litter. Apost.* ad Card. Geissel, Archiep. coloniensem. *dat. an. 1857.*

formam per se, vere, et immediate corporis humani, quapropter non esse sitam in mutua actione. Non agit enim una substantia in alteram, sed utraque substantia simul per modum unius agit ac patitur. Non est itaque *commercium* inter animam et corpus: sed ex anima et corpore una est natura (1).

327. COROLLARIA. I. In substantiali hac unitioe utraque substantia suppositi rationem amittit. Utraque enim est pars, quæ alterius consortio aliquo modo perficitur.

II. Firmiter semper tenendum est, animam corpori conjungi conjunctamque manere, non voluntate, sed naturæ necessitate et Creatoris imperio, quapropter ejus à corpore separatio erit semper contra naturæ inclinationem.

III. Persona humana, *Ego*, non est anima multoque minus corpus, sed compositum ex anima et corpore.

IV. Quapropter unio inter animam et corpus dici non potest *hypostatica*; etenim persona nulla erat ante unitioem, sed ex ipsa resultat.

V. Ex his non est inferendum omnem animæ operandi vim corpori affixam esse; nam operationes intellectûs et voluntatis, licet sint humanæ personæ, exercentur absque concursu organorum, quamquam dum in præsentibus versamur statu à facultatibus organicis aliquo pacto dependeant (2).

VI. Ex his, quæ statuimus, jam facile erit judicium ferre de variis systematibus, quæ ad explicandam unitioem animæ et corporis excogitata sunt, omnia hæc systemata sive *causarum occasionalium*, sive *mediatoris plastici*, sive *harmonice præstabilitæ*, sive *influxûs physici*, falsa prorsus sunt et ridicula, destruunt unitatem humanæ naturæ, ac nullatenus explicant quod explicare conantur.

(1) Cons. Cl. P. Joannem Bapt. Piancini, *Saggi filosofici*, Saggio 2.

(2) Cons. Salv. Tong. l. c.; Cajet. Sansev. *Elem. Phil.* etc. vol. III. Pars. 1. art., c. 1. et 2.

328. VII. Denique, si anima rationalis physice et substantialiter cum corpore conjungitur; si est forma, quæ corpori dat esse humanum, ac una cum ipso humanam personam constituit; si est certum, humanam personam non esse cor (1), aut caput (2), aut glandulam pinealem (3), aut corpus callosum (4), aut cerebellum (5), aut diaphragma cerebri (6), aut aliquid hujusmodi, planum est inferre: animam rationalem totam esse in toto corpore humano ipsi conjuncto, cujus forma est, non totalitate *virtutis*, sed totalitate *essentiae*. Quomodo autem id fiat; respondebo cum S. P. Augustino: *Modus, quo corporibus adhærent spiritus, et animalia fiunt, omnino mirus est, nec comprehendi ab homine potest, et hoc ipse homo est* (7).

Ast hoc non impedit quominus verissima sit sequens

329. PROPOSITIO. *Anima est in toto corpore humano, ac tota in singulis ejus partibus.*

Notanda 1.° Hæ partes sunt speciatim nerveum systema, quod toto corpore expanditur, atque in omnem ejus partem fibrillis ac filamentis suis serpit. Cætera enim quæ sunt in humano corpore, instrumenta sunt ac media vitæ operationum, vel etiam effectus.

2.° Anima, quoniam simplex est ac spiritualis, nullum proprie occupat locum, ita ut pars parti respondeat, solummodo igitur dicitur occupare locum propter operationes et effectus, quos exerit et producit in corpore; quapropter

(1) Stoici sentiebant, animam esse in corde.

(2) Plato et sui.

(3) Cartesius cum suis.

(4) Lancisius et De-la-Peyronius. Corpus callosum est camera quædam quadrilatera, quæ duo cerebralia hemisphæria conjungit.

(5) Drelencurtius etc.

(6) Buffonius.

(7) *De civ. Dei*, lib. 21. c. 10.

cum quæritur: quæ sit sedes animæ in corpore, idem est ac quærere: quæ sit illa corporis pars, in qua et per quam anima suas operationes, actus et effectus exerit ac producit. Jam vero cum anima effectus suos, operationes et actus producat in toto corpore, planum est, ipsam esse in toto corpore.

Demonst. Nullum agens agit ibi ubi non est, seu ibi est anima, ubi patitur et agit. Atqui anima patitur et agit in toto corpore. Ergo etc.

Demonst. min. 1.^o Anima humana est forma, quæ dat esse humanum corpori, sive illud unicum principium, quo totum humanum corpus vivit et operatur, uno verbo, est proprius actus totius corporis organici, et non unius partis tantum; siquidem non pars una tantum est animata et humana, cæteræ vero appendices, et non partes corporis humani, sed omnes et singulæ partes seu totum corpus organicum est animatum, est humanum. Ergo anima est tota in toto corpore ac in singulis ejus partibus (1).

2.^o Ex sensu intimo. Et re vera ex sensu intimo constat, et nos supra probavimus, nos non modo corporum impressiones, sed ipsum quoque sentiendi actum sentire. Unusquisque enim, qui sentit, nullatenus dubitat, quo loco sit sensationum sedes, sed certus est, se videre in oculo, se gustare in lingua, se calore, frigore, dolore affici modo in una corporis parte, modo in altera, ut vel ipsa loquendi ratio continenter manifestat.

330. Qui contra sentiunt, ajunt nos sentire quidem in cerebro, sed ex consuetudine quadam, sensum, quem experimur, ad nervorum extremitates in sensoriis, ubi motus initium factum est, referre.

At contra ait S. P. Augustinus, «Non enim nuntio ali-

(1) «Oportet proprium actum in proprio perfectibili esse. Anima autem est actus corporis organici, non unius organi tantum, est igitur in toto corpore.» *S. Thom. Sum. Cont. Gent. lib. 2. c. 72.*

»quo credibile est fieri, non sentiente, quod nuntiat, quia
 »passio, quæ fit, non currit per continuationem molis, sed
 »illud tota sentit anima, quod in particula fit pedis, et
 »ibi tantum sentit, ubi fit tota; igitur singulis partibus si-
 »mul adest, quæ tota sentit in singulis (1).» Explicandum
 igitur manet contrariæ opinionis assertoribus, quomodo
 consuetudo hæc acquiratur, et unde originem habeat. Con-
 suetudo enim repetitis actibus acquiritur: multi vero ac-
 tus á primo aliquo exordiantur necesse est. Qua igitur ra-
 tione fit, ut anima sensationem habitam in membra primo
 referat? Vel sentit anima ut sibi præsentia sibi que con-
 juncta omnia corporis membra, vel non. Si proprii corporis
 membra non sentit, profecto nescit se illa habere; quomo-
 do ergo poterit sensationem aliquam ad membra primo
 referre. Si vero anima omnia corporis membra sentit, jam
 non sentit solum in cerebro; nec refert ad membra sensa-
 tiones, sed eas in membris experitur (2).

3.^o In hac hypothesis adversariorum anima qualitates
 sensibiles perciperet ubi illæ non sunt. Nam ad cerebrum
 neque lux, neque calor objecti, neque undæ sonoræ pertin-
 gunt; sed solummodo nervorum motus ac fluidi nervei. Cur
 ergo non potius nervos, nec fluidi hujus motum anima per-
 cipit? Mirabile sane est, animam non percipere ea, quæ
 cerebrum efficiunt, eaque solum percipere quæ cerebrum
 nunquam affecerunt.

4.^o Denique omissis aliis, probatur argumento, quod

(1) *De immaterial. anim.*, cap. 16.; Cons. etiam *Epist.* 166, c. 2.
 et *De Trinit.*, lib. 6. c. 6.

(2) «Dolet, ait S. Pater, anima cum corpore in loco ejus, ubi ali-
 »quid contingit, ut doleat.» *De Civ. Dei.* lib. 21. c. 3.; et alibi; «Cum
 »tangitur digitus, non per totum corpus sentit.» *Cont. Epist. Fundam.*,
 c. 16.; et Eusebius: «Cum digito dolere homo dicitur, dolor quidem
 »hæret in digito.» *Præparatio Evang.*, lib. 15. c. 22.

dicitur *ad hominem*. Anima vel residere dicitur in puncto cerebri indivisibili, vel in aliqua ejus portione extensa, vel in toto cerebro. Jam vero

Si in puncto indivisibili, in hunc motus omnes coibunt, multiplices sane et oppositi tan directione, quam impressionum, quas referre debent, naturâ. At cum motus diversi in unum punctum coëunt, confunduntur. Anima ergo diversas impressiones, quæ eodem tempore ad cerebrum deferantur, distincte sentire nequit. Hoc vero contra experientiam est: scimus enim nos plures, easque inter se diversas sensationes excipere distincte. Ergo etc.

Si vero dicatur, animam, vel aliquam cerebri partem, vel totum cerebrum occupare, jam fatetur, animam, licet simplicem, extensam sedem occupare posse. Ex quo concluditur, non repugnare illam in toto corpore residere posse, ac reipsa residere si in toto corpore virtutem suam manifestat (1). Patet igitur quod proposuimus, scilicet, ut verbis Nemesii utar; «Anima quod corporis est expers neque loco definitur, tota per totum, et lumen ejus, et corpus permeat: neque est pars ulla quæ ab illa illustretur, in qua tota non adsit (2).»

331. *Notanda*: 1.^o Anima non est in corpore *circumscriptive*, id est, tota in toto et pars in parte secundum commensurationem, sed est *definitive*, id est, est tota in toto corpore, et tota in singulis ejus partibus, quas informat; quapropter est in corpore, non ut contenta, sed ut continens (3). Id non difficulter concipitur, si mente reputamus, animam neque ullam extensionem quantitativam habere, neque esse simplicem ut punctum mathematicum,

(1) Cons. Salv. Tong. l. c.

(2) *De natura hominis*, edit. cit., c. 3. in medio.

(3) Cons. Ontol., *Disp.* 20.^a n. 280. seq., Ita Joan. Damasc., *De Fide orthodox.*, lib. 1., c. 13.

quod est simplex in genere quantitatis, sed ut substantiam spiritualem, quæ quantitatis naturam excedit (1).

2.° Anima, quæ tota est in singulis corporis partibus totalitate essentiali, non est tamen in singulis partibus *totalitate virtutis*: virtus enim ejus ad quosdam actus exercendos diversa organa requirit. Est igitur in diversis organis secundum varias potentias, si excipimus intellectum et voluntatem, quæ, cum excedant totam capacitatem corporis, in nulla parte proprie esse dicuntur; «anima, ait »Nemesius, in se ipsa est, dum ratiocinatur (2).» etsi, dum in præsentī conditione versamur, plus minusve ab organicis dependeant.

3.° Cum cerebrum sit veluti centrum totius systematis nervi, ac principium, à quo omnes nascuntur nervi, qui sensationi inserviunt, necesse est ut cum cerebro communicent, ut suam propriam naturam ac perfectam operationem servent; quapropter nihil mirum, imo necesse est, ut, si compressa, discussa, putrefacta medulla cerebri fuerit vel cerebro laborante, naturam sensiferam amittant nervi, et nequeant obire functiones sensitivas.

(1) Ad rem S. P. Augustinus: «Moles quippe omnis, quæ occupat »locum, non est in singulis suis partibus tota, sed in omnibus. Quare »alia pars ejus alibi est, alibi alia. Anima vero non modo universæ »moli corporis sui, sed etiam unicuique particulæ illius tota simul »adest.» *De immater. anim.*, c. 16. Et rursus: «Si corpus non est, nisi »quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita »sistitur, vel movetur, ut majore sui parte majorem locum occupet, ac »breviore breviorē, minusque sit in parte, quam in toto, non est »corpus anima. Per totum quippe corpus, quod animat, non locali dif- »fusionē, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes ejus »particulas tota simul adest, non minor in minoribus, nec in majoribus »major, sed alicubi intensius, alicubi remissius, et in omnibus tota, et »in singulis tota est.» *Epist.* 166., ad Hierony., n. 4., edit. Maur.

(2) *De natur. hominis*, c. 3.; *Cons. S. Thom.*, *QQ. disp.*, q. unic. *De anima.* à 10.

332. *Obj.* Hæc doctrina tribuit animæ quamdam participationem immensitatis, quæ solius Dei est.

Resp. Quid inde? Nonne anima nostra, facta ad imaginem et similitudinem Dei, non participat de aliis Dei perfectionibus, ut intellectu, libertate, etc. etc.? Deus est in omnibus et singulis rebus *repletive*, id est, per essentiam, præsentiam et potentiam, anima vero solummodo in corpore ipsi conjuncto *definitive*, ipsum continens per informationem.

Cæteræ omnes difficultates ex ultimis notatis facile solvuntur.

Præstatuto fine immediato ac naturali animæ humanæ, agendum est nunc de ejus fine morali, seu immortalitate. Hæc, quæ restat, Disputatio summi momenti est, quapropter nonnihil morosius viriliterque tractanda est.

DISPUTATIO 21.^a—DE FINE MORALI ANIMÆ, SIVE DE EJUS IMMORTALITATE.

333. Cum dogma immortalitatis animæ tanti sit momenti, ut, jubente concilio Lateranensi V, ejus veritatem Philosophi omnes non solum auctoritate, verum etiam naturali ratione stabilire pro viribus teneantur, id etiam nos præstare conabimur adversus illos perditos homines, qui, ut stimulos conscientiæ coërcere, suisque cupiditatibus liberius indulgere possint, vel animam corpori superstitem fore, vel eam perpetuo existuram negant, vel ejus immortalitatem ita admittunt, ut poenarum æternitatem inficiantur.

Immortale illud dicitur, quod non tantum aliquo modo semper existit, sed actiones vitales semper exercet; triplici autem sensu aliquod ens dici potest immortale. *Essentiâ* immortale est, quod in seipso et existentiae et vitæ rationem sufficientem continet, cujusque non-existentiæ et non-vita absolute repugnat, ut Deus. *Naturâ* est

immortale, quod tales habet actu naturales proprietates, ut sua et earum destructio involveret contradictionem, ut anima. *Gratiâ* immortale est, cujus existentia et vita gratuito Conditoris beneficio præter naturalem rerum ordinem conservatur, ut corpus post resurrectionem. Nos igitur naturalem animæ immortalitatem defendemus, ad quam veritatem demonstrandam sequentes statuimus propositiones:

334. PROPOSITIO I. *Anima humana est prorsus incorruptibilis, nec ab ulla vi creata spoliari potest suâ existentia.*

Demonst. 1.^a pars. Corruptibile est illud, quod potest in partes resolvi; incorruptibile, quod in partes resolvi nequit: atqui anima, utpote ens simplex, nequit in partes resolvi, cum non habeat; ergo est prorsus incorruptibilis. Hinc Tullius (1): *Dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei simus, quin nihil sit animus admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerni, nec distrahi potest, nec interire igitur: est enim interitus, quasi discessus et secretio ac diremptus earum partium quæ ante interitum conjunctione aliqua tenebantur.* Nec valet objicere, quod ratione unionis cum corpore, unam tertiam cum ipso efformet naturam ejusque proinde sequi debeat sortem. Nam in duobus entibus unitis destructio unius non importat destructionem alterius: id enim obtinet in pluribus materiis, ut v. gr. si aurum commixtum argento, igne probetur, unum remanet integrum, dum alterum dissolvitur; ergo à fortiori in duabus substantiis, quarum una est immaterialis.

Demonst. 2.^a pars. Cum anima sit prorsus incorrup-

(1) Tuseul. quæst. lib. 1. n. 40.

tibilis, ut existentiâ spoliatur, debet annihilari; atqui à nulla vi creata annihilari potest. Annihilatio enim nihil aliud est ac cessatio conservationis ex parte Dei; conservatio autem est continuata creatio: ergo ille solus potest annihilare, qui potest creare; atqui vis creandi nulli enti creato potest competere; ergo nec vis annihilandi. Manet igitur demonstrata propositio (1).

335. PROPOSITIO II. *Anima humana à nulla vi entis creati vitâ spoliari potest.*

Demonst. Vita animæ humanæ nihil aliud est, quam ipsius essentialis activitas, seu status, in qua ipsa possibili operationes per facultates suas præsertim superiores et exercere potest et actu exercet; atqui nulla vis creata potest animam hoc statu spoliare. Ille enim status nihil aliud est quam ipsa essentialis activitas ac vis cogitandi vel actualis cogitatio: atqui nulla vis creata potest animam spoliare essentiali activitate, nec vi cogitandi, nec actuali cogitatione: 1.º *Non essentiali activitate*; etenim hoc idem esset ac eam spoliare essentia sua, quod quidem in casu repugnat 2.º *Non vi cogitandi*; pertinet enim ad animæ essentiam; atqui nota essentiali privari nequit ens aliquod, nisi existentiâ spoliatur; anima autem non potest existentiâ spoliari nisi per annihilationem, nec ulla vis creata gaudet annihilandi potestate; ergo etc. 3.º *Non actuali cogitatione*; ut enim vis cogitandi ab omni actione impediri posset, id fieri deberet vel positione alicujus impedimenti, vel subtractione omnis objecti cogitabilis; atqui neutrum ab ente creato præstari potest. Non prius; impedimentum enim quod vi alicui obijcitur, inter illam et terminum quo ea tendit, ponatur necesse est: sed inter animam et cogitationem nulla est distantia, si-

(1) Hæc propositio multis argumentis demonstratur à S. P. Augustino. Cons. Andream Martin, S. Aur. Aug. Philoso., p. 4. c. 29. seq.

quidem cogitatio non est aliquid ab anima distinctum, sed ipsa anima modificata; ergo nequit interponi impedimentum. Non posterius; nam anima est ipsa sibi ipsi objectum intime præsens; potest igitur se suasque mutationes et affectiones percipere, tum quoque ex his ratiocinando, suam contingentiam, et existentiam entis necessarii infinitarumque ejus perfectionum cognoscere, præteritas cogitationes revocare, et circa eas omnibus modis versari; ergo etc.

Neque obstat vitalibus animæ operationibus separatio ejus á corpore; imo in statu separationis mens etiam nostra perfectiori modo, quam dum in corpore est, operari poterit. Nam ex se activa est, corpus vero quocum unitur, ejus vim activam restringit ac limitat; ergo dissoluta hac compage corporea, liberius ac perfectius uti poterit vi naturali cogitandi ac volendi, quam modo utitur, dum corpori alligata est. Hinc eleganter Tullius (1): *Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere; cum exissent ex iis, emori: nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset; sed cum omni admixtione corporis liberatus, purus et integer esse cœpisset, tum esse sapientem.* Manet igitur demonstrata propositio. Ex his

Colliges. 1.º Nihil obstat, quominus anima humana possit remanere corpori superstes: destructio enim corporis animæ annihilationem non importat; insuper animæ operationes saltem præcipuæ á corpore non pendent; ergo dissoluto corpore, anima poterit, si Deo ita placuerit, operationes suas exercere. 2.º Post hanc vitam possibilis est altera vita, in qua justii mercedem, improbi vero pœnas recipiant. Anima enim potest remanere corporis superstes; ergo eam Deus mercede donare, si justa; eam vero suppliciiis afficere, si injusta fuerit, potest.

(1) De senect. cap. 22.

Solvuntur objectiones.

336. *Obj.* Anima non potest existere corpore destructo; 1.^o quia tollitur finis informandi corpus, propter quem creatur; 2.^o quia esset in statu violento, appeteret enim semper unionem; 3.^o quia cum sit essentialiter forma substantialis corporis, deberet existere velut quid incompletum et imperfectum post separationem á corpore.

Resp. Nego Ant. ad prob. 1.^{am} Dist. Tollitur finis tantum proximus et inadæquatus, *conc.*; ultimus et adæquatus, *Nego*. Licet Deus non creet animam nostram, nisi postquam corpus aptum fuerit ad vitales actiones habendas; non sequitur, informationem corporis esse adæquatum finem animæ nostræ; nam vires activas habet independentes á corpore; hinc etiam vivere separata potest; desideria, quibus potitur, aliam post præsentem vitam postulant; ergo finis animæ nostræ est etiam ut facultates naturales perficiat, et Creatori suo serviens, eumque diligens perfectæ cujusdam felicitatis vitam præstoletur.

Ad prob. 2.^{am} Dist. Ant. Quia esset in statu violento, quatenus nempe anima ex natura sua ordinatur ad corpus informandum unâque cum ipso completam humanam naturam constituendam, et cujus ideo separatio á corpore est contra naturam in pœnam peccati, *conc. ant.*; quatenus anima non sit perfecta substantia ratione sui, *nego ant.* (1).

Jam vero anima, etsi natura sua ordinetur ad corpus informandum et sit forma substantialis corporis, est in se vera et perfecta substantia simplex, spiritualis, omnino á corporis substantiâ diversa, quæ proinde á corpore separata et vivere et operari potest. Verum est, animam separatam clamare et desiderare unionem cum corpore sed

(1) Re vera, «Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidiâ autem diaboli mors (id

hoc solummodo probat, illam separationem esse pœnalem et contra ejus finem *naturalem* et *immediatum*, nullo autem modo probat, illam post separationem non posse subsistere. Cum autem veniat tempus á Deo præscriptum resumet proprium corpus in æternum, ut cum ipso glorificetur, vel concietur secundum opera sua.

Ad prob. 3.^{am} Resp. Est essentialiter forma substantialis corporis, id est, essentialem habet aptitudinem corpus informandi, *conc.*; est ipsis essentialis unio actualis, *nego.* Itaque existere non deberet velut quid incompletum et imperfectum in ordine substantiæ et ratione sui.

337. PROPOSITIO. III. *Anima humana post dissolutionem corporis, superstes á Deo servatur alteraque admitenda est vita, in qua recipiet mercedem virtutum aut pœnam vitiorum.*

Demonst. Illud est omnino admittendum, quod necessario exigunt tum attributa divina, tum natura hominis: atqui attributa divina et natura hominis alteram vitam, etc. necessario postulant; Ergo etc.

I. *Attributa divina*, videlicet, sapientia, sanctitas, et justitia alteram vitam, in qua sua virtuti merces, suaque vitio pœna tribuatur, necessario postulant.

1.^o *Sapientia.* Deus enim pro sapientia sua debuit præmia et pœnas in altera vita instituere, si debuerit hominibus in hoc præsentis statu viventibus leges imponere, illasque sancire præmiis et pœnis ad earum observationem

»est, separatio animæ et corporis) introivit in orbem terrarum» *Sap.* 2.-23. 25. Et S. P. Aug., *Lib. de Med.* c. 15. ait: «Est enim in ipso »J. C. Domino nostro portio caro et sanguis. Ubi ergo portio una »regnat, ibi me regnare credo: ubi caro mea glorificatur, ibi gloriosum »me esse cognosco. Ubi sanguis meus dominatur, ibi dominari me sentio. Cons. S. Thom., *Sum. Cont. Gent.* lib. 4, c. 79; Corn. A Lapide, *in 1. ad. cor.* c. 15.

promovendam sufficientibus; et si hæc fieri nequeant, nisi sit altera vita; atqui hæc tria constant. 1.^o *Debuit leges imponere.* Deus enim, utpote summe sapiens, debet agere juxta id, quod postulat ipsius natura et excellentia: atqui postulat natura et excellentia divina ut leges imponat creaturis rationalibus et liberis. Deus enim ex essentia sua debet esse omnium finis ultimus, ut probatur in philosophia morali, atque ut erui potest ex jam dictis (Cosm. Disp. 7.^a n. 144. seqs.): atqui, ut sit omnium finis ultimus, debet creaturis liberis leges imponere; secus omnia forent licita, nihil esset justum aut injustum, neque homo teneretur Deo cultum exhibere, nec propter eum agere, nec proinde ad eum tanquam ad finem ultimum tendere; quæ omnia sunt totidem absurda; ergo etc. 2.^o *Debuit has leges sancire præmiis et pœnis* ad earum observantiam sufficientibus. Deus enim ferendo leges, voluit utique ut observarentur; atqui nisi eas sufficienti sanctione munivisset, non censeretur earum velle observationem; cum nullum esset observandi motivum, et inutiles prorsus forent leges, quas nemo sequi teneretur nisi pro arbitrio; ergo etc. 3.^o *Non potest esse sanctio sufficiens, nisi in præmiis et pœnis alterius vitæ.* Si quod enim superesset motivum sufficienter impellens ad observationem legis, vel essent præsentis vitæ bona et mala, vel ipsa excellentia divina, vel convenientia legis cum lumine rationis; atqui hæc sunt prorsus insufficientia. *Primo* quidem, præsentis vitæ bona et mala indifferenter sortiuntur infractores et observatores legis; quinimo viri probi nonnunquam innumeris opprimuntur miseriis; sæpe tanquam nocentes injuste ab hominibus damnantur, nec semel bonis jure acquisitis privantur: scelerati vero et flagitiosi prospere res agunt, et criminibus suis sæpe ad honores et dignitates sibi viam sternunt; ergo etc. *Secundo*, neque excellentia divina est motivum sufficiens; sublata enim spe et timore alterius vitæ, excellentiæ divinæ consideratio per se vim tantam habere nequit, ut

hominem sufficienter impellat ad legis observantiam, quando præsertim ad bonum physicum in violatione legis positum vehemens passio allicit. Et sane si nunc, cognitâ alterius vitæ existentiâ, homo sæpissime ad legem violandam se determinat, et bonum finitum præsens futuro bono infinito anteponit, quid, spe alterius vitæ sublatâ, eveniret, cum nihil in futurum haberet sperandum aut timendum? nonne bonum quodcumque præsens semper eligeret? *Tertio*, nec convenientia legis cum rationis lumine esset sufficiens motivum; sublatâ enim altera vitâ, virtus in vitium ac vitium in virtutem degeneraret; nam in hac absurda hypothese, vita præsens unicum foret ac summum nostrum bonum, ac proinde quidquid ei obsesset, summum malum; deberet igitur homo totus esse in explendis suis cupiditatibus, cum nulla alia felicitas esset expectanda; ergo etc.

2.º *Sanctitas*. Deus ut summe sanctus necessario diligit ordinem essentialem, qui oritur ex essentia sua et ex essentia hominis; ordo autem iste essentialis in eo consistit, quod homo omnes suas actiones convertere et referre debeat ad Deum, tanquam ad suum principium et finem ultimum; atqui sublatâ altera vitâ, Deus hunc ordinem non diligeret. Nam talem ordinem non diligeret, si nullo modo vellet esse terminus et finis ultimus actionum humanarum, et si per ipsum hominibus liceret suas actiones vel suum amorem absolute ad creaturas terminare; atqui talis tunc Deus esset. Ille enim non vellet esse actionum humanarum finis ultimus, qui nec observatores ordinis approbaret, nec violatores improbaret, sed eodem modo bonos et malos haberet indifferenter; atqui, remotâ altera vitâ, sic se gereret Deus, siquidem indifferenter eis tribueret ea bona, quorum concessione solum tunc significaret suos sensus internos, imo sæpissime improbis abundantius quam probis ea tribueret, ut experientia constat; ergo etc.

3.º *Justitia*. Deus ut summe justus discernere debet

bonorum sortem á sorte malorum hominum; sed discretio hæc non habetur, nisi sit vita futura. In hac enim vita res prosperæ et adversæ justis et impiis indifferenter accidunt; sæpe etiam videntur prosperari mali, qui Deum blasphemant, et boni, qui ad ejus gloriam toti sunt intenti, in ærumnis vitam degere; ergo discretio sortis ex jure in altera vita reservatur (1).

II. *Natura hominis* necessario alteram vitam postulat; sive enim homo consideretur relate ad seipsum, seu quatenus est rationalis; sive consideretur relate ad alios homi-

(1) Ipse J. J. Rousseau ita ratiocinatur: «Dios, dicen, no debe nada á sus criaturas; yo creo que les debe todo lo que les prometió dándoles el ser; pues bien, no hay duda que es prometerles un bien dándoles idea de él y hacerles sentir su necesidad. Mientras mas entro en mi mismo y mas me consulto, mas leo escritas en mi alma estas palabras: *sé justo y serás dichoso*. No debemos, pues, considerar el estado presente de las cosas: el malvado prospera y el justo queda oprimido ¡Ved tambien que indignacion se enciende en nosotros cuando esta esperanza se ha frustrado! La conciencia se agita y murmura contra su Autor y le grita con gemidos ¡Tu me has engañado! ¿Yo te he engañado, temerario...? ¿y quién te lo ha dicho? ¿tu alma se ha aniquilado? ¿has dejado de existir...? Se dirá á las quejas de los impacientes mortales que Dios les debe la recompensa antes de merecerla, y que está obligado á pagar su virtud con anticipacion. ¡Oh! seamos buenos primero, y luego seremos dichosos. No exijamos el premio antes de la victoria, ni el salario antes del trabajo. No es en la liza, decia Plutarco, donde los vencedores de nuestros juegos sagrados son coronados, sino despues de haberla corrido.

«Si el alma es inmortal, puede sobrevivir al cuerpo; y si le sobrevive la Providencia de Dios está justificada. Aun cuando yo no tuviese otra prueba de la inmortalidad del alma que el triunfo del malvado y la opresion del justo en este mundo, esto solo no me permitiria dudar de ella. Una contradiccion tan manifiesta, una disonancia tan chocante en la armonia universal, me haria tratar de resolverla. Yo me diria: todo no concluye para nosotros con la vida: á la muerte todo vuelve á entrar en órden.» *Emile*, t. II.

nes, seu quatenus est natus ad societatem; sive consideretur relate ad Deum, seu quatenus ad finem suum tendit; ejus natura alteram vitam necessario postulat.

1.^o Homo *in se spectatus*, quatenus est rationalis totis viribus felicitatem desiderat: atqui hoc desiderium ab auctore naturæ nobis inditum est; omnibus enim inest uniformiter, constanter et invincibiliter. Jam vero quod Deum habet auctorem, inutile, otiosum aut fallax esse nequit; nec proinde frustrari perpetuo potest; atqui nisi admittenda esset altera vita, frustraneum prorsus esset in nobis illud desiderium; in hac enim præsentī vita nulla est vera et perfecta felicitas, quæ hoc desiderium satiare possit, ut nemo diffitetur; ergo naturalis hæc et necessaria felicitatis appetitio in altera expleatur necesse est.

Deinde, unicuique á natura rationali inditum est, ut actiones suas disponat juxta quamdam regulam et formam, quæ omnibus hominibus eadem dictat et præscribit: atqui hæc lex naturalis, quæ in nobis viget, alteram vitam necessario postulat. Etenim, sublatâ altera vitâ, lex illa naturalis in omnium animis insculpta, mera foret illusio, conscientia vero merum præjudicium, vana foret fides, vana probitas etc.; nimirum si non esset expectanda altera vita, unusquisque in hac præsentī vita deberet uni propriæ utilitati consulere; cumque nihil sibi á Deo, sed ab hominibus tantum timendum haberet; omnia, dummodo caute ageret, deberet sibi permittere ut bonis afflueret præsentibus, nihil non deberet moliri ut suis indulgeret cupiditatibus; sed naturæ rationali id repugnat; ergo alteram vitam natura rationalis unicuique intime testatur, eamque necessario postulat.

Insuper, homo, quatenus rationalis, naturæ est longe præstantioris, quam cætera animantia resque corporeæ; atqui si post hanc vitam nulla alia superest, infelicioris ac deterioris esset homo conditionis, quam ipsa animantia irrationalia, atque in eo statu miseræ á benignissimo

conditore collocatus esset, ut nunquam posset non esse miser. Etenim naturales hominis appetitiones nunquam exsatiatur, implentur tamen bestiarum appetitus, qui ad sola bona sensibilia terminantur; ipsæ etiam finem, ad quem conditæ sunt, assequuntur; solus itaque homo semper desiderans, semper quærens veram felicitatem, nusquam eam inveniret, quod profecto repugnat. Egregie S. P.

Augustinus ait (1): *Si pecora essemus, carnalem vitam, et quod secundum sensum ejus est, amaremus: idque esset sufficiens bonum nostrum, et secundum hoc, cum esset nobis bene, nihil aliud quæreremus.*

2.º Homo relate ad alios homines spectatus, á natura rationali impellitur ad vitam socialem; vita vero socialis frequenter postulat, ut ratione boni publici bonum privatum, vitam, scilicet, et ejus commoda certo et ineluctabili periculo exponamus; si igitur altera non esset vita, ab eadem ratione ad contradictoria inclinaremur; nam cum ratio ex una parte dictaret societatis bonum anteponendum esse nostro bono privato, ex alia autem parte dictaret nostram felicitatem, cui hoc bonum aliquando opponitur, quærendam esse, simul impelleret ad duo contradictoria, quod repugnat. Insuper, ut homo vivat in societate, debet esse motivum, quo publicum bonum aliquando præferat bono privato; vitia autem occulta non minus damnum inferunt aliquando societati, quam vitia publica; atqui ut vitia occulta evitentur, præter timorem alterius vitæ, nullum motivum inducere homines posset; sublata enim altera vitâ, omnis virtus, justitia, subditorum in principes observantia et obedientia, paternus principum in subditos amor, quibus omnis humana societas fulcitur, pereunt: lex fortioris erit jus publicum; unusquisque enim pro suo commodo laborabit omniaque scelera replebunt terram; ergo etc.

(1) *De Civ. Dei, Lib. 11. cap. 28.*

3.º Homo relate ad Deum seu ad suum finem ultimum spectatus naturâ suâ tendit ad possessionem boni infiniti; in hac præsentí vita nulla est cognitio, nullus est amor, quo mens et cor nostrum exsatiari aut expleri possint; utrumque se in infinitum extendit; semperque magis ac magis sitis ac fames illa insatiabilis rebus præsentibus irritantur; atqui naturales illæ proprietates, utpote quæ Deum auctorem habent, illusoriæ ac fallaces esse non possunt, finemque suum proinde debent aliquando consequi; hunc vero finem nonnisi in altera vita consequi possunt; ergo etc. (1).

Conf. Hisce argumentis invictum robur accedit ex sensu naturæ communi et consensione omnium populorum. Etenim apud universos populos perpetuo viguit, atque etiam nunc viget alterius vitæ fides; atqui hic consensus, ut patet, á nullo præjudiciorum fonte potuit oriri; ergo etc.

Infinita historica facta et testimonia evidenter demonstrant majorem hujus argumenti, quæ hic referre non debeo, nisi interminabilis esse vellem. Cons. Enrique Martin: *La Vie future*, c. 1. seq.; Bergier, *Exámen del ma-*

(1) Cl. A. M. in suo corpore, cui titulus: *De la perfectibilité humaine*, lib. 1. chap. 8, ait: «El primer carácter del Supremo Bien es la eternidad, y nada hay eterno aquí abajo fuera de la inestabilidad del hombre y de todo lo que le rodea. La verdadera dicha es una satisfacción completa y simultánea de todas nuestras facultades, y nosotros no podemos satisfacer una parte de nuestro sér sin detrimento de la otra. Los goces intelectuales no se adquieren sino por el sacrificio de los goces sensibles: los placeres del cuerpo quitan al espíritu mismo la facultad de gozar. Hay mas: el goce mismo, por su desproporción con nuestros deseos y esperanzas, se cambia en dolor; y según el profundo sentir de nuestros santos libros, el sufrimiento es el fin de todos nuestros goces: *Extrema gaudii luctus occupat.*» Prob. 14.-13.

terialismo; Tullium, *Quæst. tusc. L. 1. Robur minoris* in *Theologia* videbimus, interim, *Consl. Log.* pag. 303-304.

Solvuntur objectiones.

338. *Obj. I.* Deus non tenetur mercedem justis in altera vita tribuere. Nam 1.º homo seipsum et omnia opera sua ipsi debet. 2.º Nullus est, qui aliquando non peccet; atqui omne peccatum majestatem Dei infinitam offendit, plusque meretur in ratione pœnæ, quam actus quilibet hominis in ratione mercedis; ergo etc.

Resp. 1.º Quamvis probarent increduli, Deum non teneri in altera vita ullam largiri mercedem, valerent tamen contra ipsos argumenta, quibus probavimus futuram esse alteram vitam, in qua pœnas luere debent impii; causam igitur non obtinerent, sed semper deberent virtutem colere, ut has pœnas devitarent.

Resp. 2.º Dist. Ant. Deus non tenetur præcise propter meritum hominis, *conc.* vel *trans.*; propter suam sapientiam, sanctitatem, veracitatem, providentiam, etc. *nego.* Quidquid sit de merito hominis, de quo hîc non disputamus, ex probatis constat, attributa divina necessario postulare ut sit altera vita, in qua sit sua virtuti merces, et vitio pœna: idem exigit natura rationalis hominis, ac proinde Deus auctor ejusdem naturæ; et per hoc patet responsio ad primum assertum.

Ad 1.ªm prob. Resp. Nego cons. Propter easdem rationes.

Ad 2.ªm prob. Resp. Dist. min. Omne peccatum plus meretur in ratione pœnæ, si hominem non pœniteat et in alio ordine, *conc.*; si hominem pœniteat et in præsentis ordine, *nego.* Itaque fateor, Deum posse privare mercede hominem peccatorem, si ipsum non pœniteat, quia homo per

peccatum grave qualibet mercede evadit indignus. Concedo etiam, Deum posse in aliquo ordine hominem graviter peccantem quolibet præmio privare: at in presenti ordine, quem eligit Deus, positâ hominis pœnitentiâ, Deus, salvus suis attributis, non potest præmiis privare peccatorem. Nam in præsentis ordine Deus multa bona hominibus largitur; necesse est igitur ut pro sua sanctitate et justitia conditionem viri pœnitentis meliorem reddat, quam peccatoris pertinacis; secus eo ipso homo ad peccatum incitaretur, omnibusque indulgeret cupiditatibus, ut suam sortem meliorem efficeret, et consequenter Deus censeretur vitio dare signum approbationis, et ad illud incitare, quod sane absurdum est; necesse est igitur, ut sit altera vita, in qua sors viri pœnitentis melior fiat sorte peccatoris pertinacis.

339. *Obj. II.* Deus potest quæcumque peccata dimittere; ergo non requiritur altera vita pro improbis.

Resp. Dist. Ant. Potest dimittere in præsentis ordine, si hominem pœniteat, *conc.*; secus, *nego.*; Nam in hoc præsentis ordine, positis nempe conscientiæ stimulis et alterius vitæ timore, posito denique quod nunc, ut sæpe fit, mali laxiorem vitam agant, probi vero mœstissimam, peccatoribus minime potest condonare, nec esset summe verax, nec sanctus, nec sapiens Legislatores; ergo etc.

Inst. 1. Si Deus puniret creaturas in altera vita, delectaretur suppliciis creaturæ; delectatur enim in omnibus operibus suis; atqui Deus summe bonus non potest delectari malis creaturæ; ergo etc.

Resp. Dist. maj. Delectaretur Deus suppliciis creaturæ, quatenus hæc mala sunt justitiæ divinæ effectus, qui injurias illatas reparant, *conc.*; quatenus hæc mala cruciant creaturas, *nego.* Sic judex equitatis amans, vult scelestis hominibus pœnas irrogari, licet in cruciatibus hominis non delectetur. Cæterum, argumentum hoc nimis probat; inde enim sequeretur, Deum nullo modo posse creaturam quantumvis malam flectere; hoc autem absurdum est; ergo etc.

Inst. 2. Par est, et æque perfectum parcere vel plectere; atqui Deus ut summe bonus è duobus æque perfectis sane eligit id, quod bono creaturæ magis favet; ergo parcat.

Resp. Nego maj. Si enim Deus parceret in altera vita omnibus sceleratis, efficeret ut eorum conditio sæpissime esset melior virorum proborum conditione; sæpe enim in terris abundantioribus bonis perfruuntur. Deinde, quod majus est, nulla amplius esset sanctio sufficiens legis naturalis: atqui tunc Dei attributa læderentur; ergo in eo quod ad Deum attinet, parcere vel plectere æque perfectum non est.

Inst. 3. Bona ac mala conscientia omnibus sufficit ad remunerationem et pœnam; ergo etc.

Resp. Nego ant. Nam 1.º bonus dum bene agit, etiam timet sæpius ne agat male; impius sæpe remorsus extinguit, vel saltem delectationum pondere illos obruere usque ad mortem conatur. 2.º Si præscindamus ab altera vita, in nihilum abeunt bona ac mala conscientia; tunc enim unusquisque, ut jam innuimus, teneretur per fas et nefas suam in hac vita quærere felicitatem. 3.º Denique, homo tendens in perfectam felicitatem, nullo alio bono expleri potest, ideoque virtus ejus nullo bono transeunte digne remunerari: sed hæc bona conscientia, remota spe alterius vitæ, inter bona præsentia versaretur; ergo non sufficit ad virtutis remunerationem.

340. PROPOSITIO IV. *Æternam fore justorum felicitatem, ac proinde vitam, ex innato et invincibili felicitatis appetitu deduci potest.*

Demonst. Intimâ conscientia constat, unicuique nostrum á natura inditum esse desiderium felicitatis: hoc desiderium est illimitatum tum relate ad objecta, tum relate ad tempus; est etiam invincibile; non est enim in nostra potestate illud reprimere: *Beati esse omnes volumus, et nolle*

non possumus, ut recte ait S. P. Augustinus (1); est igitur velut pars naturæ nostræ (2). Jam vero evidens est, hoc desiderium felicitatis, hoc ipso quod est naturale, à Deo auctore naturæ provenire; ergo hoc desiderium suo effectu sine hominis culpa fraudari non potest; dedecet enim Creatorem summe bonum, summe sanctum et veracem creaturis rationalibus constanter illudere, ipsis instillando desideria, quæ nunquam expleri et exsatiari possent; atqui tamen illusorium et frustraneum esset illud desiderium, si post hanc vitam non esset altera vita expectanda, et quidem perpetua. Nam desiderium felicitatis nobis innatum, non est desiderium cujuscumque felicitatis, sed felicitatis perpetuæ, seu quod idem sonat, felicitatis undequaque perfectæ, quæ nisi foret æterna, non foret perfecta, ut ait sapienter Tullius (3): *Si amitti vita beata potest, beata esse non potest*. Pariter S. P. Augustinus (4): *Nullo modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna*. Profecto, Deus in altera vita beatos vel reddet certos de inamissione suæ beatitudinis, vel non: si prius, ergo perpetuo beati erunt; cum Deus non possit eos decipere: si posterius, ergo non erunt vere beati; semper enim anxii erunt, et de amissione suæ beatitudinis eo magis timebunt, quo majori tunc perfruentur gaudio. Si dixeris, beatum se habere negative neutrum judicando; reponam, hunc stuporem absurde effingi, et efficere Deum illusorem: deinde eo etiam tempore, quo de neutro cogitaret, non fore beatum, tum quia suum bonum non apprehenderet ut æternum, ex qua tamen apprehensione præcipuum ori-

(1) Op. imperf., Lib. 6. c. 12.

(2) *Id cinerem, aut manes credis curare sepultos?* Virg. Æneid. 4.

¿Piensas que á aquellos, que en la tumba yacen

Hechos polvo, estas cosas satisfacen?

(3) *De fin.* Lib. 2. c. 57.

(4) *De Trinit.*, Lib. 13. c. 8.

tur gaudium; tum quia etiamsi anima non sit actu inquieta, eo quod non cogitet de amissione futura, tamen inquietudinis mœrorisque radicem in se habet, quam simul atque animadvertet, necessario tristabitur et quidem acerbissime. Verbo: si vita futura non esset æterna, non expleretur desiderium felicitatis, quod in nobis inesse testatur sensus intimus; ergo etc.

Quæ cum ita sint; dicendum vel frustraneum esse illud desiderium perfectæ felicitatis nobis innatum, ac proinde Deum nobis constanter illudere, miroque modo nos cruciare inspirando desideria, quæ nunquam explebuntur; vel dicendum æternam fore justorum felicitatem ac proinde vitam; atqui prius repugnat; ergo posterius absolute est dicendum; ergo etc.

Deinde quæ causæ assignari possunt, ut Deus, postquam animis degustare concedit suam felicitatem, eas ad nihilum redigat? Nonne hoc non esset summa crudelitas repugnans Ejus Divinis Attributis? Idem confirmari potest constanti et fere universali omnium gentium consensu, ut videre est apud Storchenau, Contzen, et Wallon. (1).

Solvuntur objectiones.

341. *Obj.* Non obstantibus animæ proprietatibus, potest ipsam Deus, ut auctor naturæ, annihilare: sicut enim non exigunt creationem animæ, ita nec etiam ejus conservationem perpetuam; ergo etc.

Resp. Nego Ant.; ad prob. Nego parit. Ratio est, quia proprietates animæ ante creationem sunt mere possibiles,

(1) Ipse Voltairius hanc veritatem cogitur profiteri: vid. *Cartas de algunos judios portugueses* etc. t. 2.; Foucher, *Mem. de l' Acad. des Inscr.*, t. 44., p. 396. etc.; Herod., L. 2. c. 122.; Valsecchi, *Fundam. de Religion*, t. 1.; Brucker, *Hist. crit. phil.*, *append. ad part. 1., lib. 2. c. 11. t. 6.* Cons. Enrique Martin, *La vie future*, etc. part. I. c. 1. seq.

ac consequenter non exigunt ejus existentiam; sed cum existunt á parte rei, ac in natura sua quid continent, quod perpetuam durationem postulat; jam Deus ipse, qui sanctus et justus est nequit illas destruere. Ad nihil quidem Deus tenetur ad extra, si obligationem aliquam non sibi imponat; sed supposito quod se obligaverit, ut revera se obligavit, dando nobis desiderium felicitatis perfectæ, tenetur vi suorum attributorum, uti probavimus.

Inst. Desiderium felicitatis perfectæ nihil probat. Nam desideramus etiam vitam corporis, divitias, honores, etc., quæ tamen desideria non implebuntur; ergo á pari.

Resp. Nego Ant.; ad 1.^{am} prob. Nego parit. Ista enim desideria á natura rationali non proveniunt eodem modo ac desiderium felicitatis perfectæ; patet ex eo quod ratio ipsa dictat posse nos, imo quandoque debere vitæ corporis, divitiis, honoribus, etc., renuntiare propter virtutis assecutionem, quin tamen desiderio felicitatis nos unquam exuere valeamus. Insuper, omnia desideria, quæ non constituunt finem nostrum, et quæ illi sæpe adversantur, impleri non debent, nisi quando necessaria sunt ad finem consequendum ultimum; sunt enim media, omnia autem media adhiberi non debent, imo foret impossibile. Igitur licet non impleantur ista desideria, non sequitur quod desiderium felicitatis seu finis ultimi non debeat impleri; imo divinæ Providentiæ est, ut id genus desideriorum non impleatur, ne homo retardetur in consecutione finis ultimi.

342. PROPOSITIO V. *Repugnare pœnas æternas non modo demonstrare nequeunt increduli, verum etiam eas convenire potius quam repugnare ratio ipsa fortiter suadet.*

Demonst. 1.^a pars. Ut demonstrari posset repugnare pœnarum æternitatem, demonstrandum esset æquam non existere proportionem inter gravem Dei offensam, et pœnam æternam; atqui talis demonstratio est impossibilis.

Ad hoc enim requireretur, ut omnis peccati malitia et injuria, quam Deo infert, perfecte et adæquate nobis innotesceret: porro id cognoscere non valet ratio humana; vel si quid cognoscat, certe id cognoscit, nimirum, lethale peccatum producere æquivalenter malum proprie infinitum, quia annihilat affective bonum infinitum seu Deum.

Etenim 1.^a peccatum lethale tollit á Deo rationem ipsius constitutivam, id est, rationem finis ultimi. Homo enim lethaliter peccans facultates suas refert ad rem finitam, in qua ultimo conquiescit tanquam in summo bono; atqui eo ipso tollere conatur et affective tollit á Deo rationem finis ultimi; vult enim extra Deum ponere summum bonum, et in creatura finem suum ultimum constituit. 2.^o Affective tollit á Deo vel intelligentiam, vel sanctitatem, vel potentiam; qui enim lethaliter peccat, non vult puniri, siquidem homo ita essentialiter amat beatitudinem, ut non sese ferat ad peccatum, nisi ut beatitudine fruatur; atqui eo ipso vult vel Deum ignorare peccatum, vel illud scienter nolle punire, vel non posse; ergo vult ut Deus careat intelligentia, vel sanctitate, vel potentia. 3.^o Affective tollit á Deo omnia attributa; Deus enim essentialiter est supremus Dominus omnis entis finiti, quod ex se nihil est, sed tantum ex Deo et per Deum est; atqui per peccatum mortale homo se avertit á Deo, et seipsum dominum sui independentem á Deo constituit; ergo affective tollit supremum dominium quod Deo essentielle est, ac proinde, quantum in se est, Deum destruit.

Hinc patet, malitiam peccati lethalis hujusmodi esse, ut affective Deum annihilaret; aliunde ratio dictat, injuriam eo magis crescere, quo majoris est dignitatis persona læsa; atqui Deus dignitatem habet infinitam; ergo aliquo sensu injuria Deo illata vere est infinita. Jam vero nunquam probabitur, delictum et contumeliam in majestatem infinitam plecti non posse poenâ ratione durationis infinitâ; ergo etc.

Demonst. 2.^a pars. Deus ratione suæ sapientis Providentiæ creaturis rationalibus et liberis dare debuit et revera dedit legem seu regulam quamdam, ad quam ipsæ accommodando suas actiones morales, finem sibi proprium consequi possent; ac proinde media sufficientia ad hunc finem assequendum dare debuit; atqui nisi pœnas æternas statuisset, media satis efficacia ad finem suum assequendum homines non habuissent; nam spectata naturæ imbecillitate, maxima ad malum propensione, voluptatum illecebris, ac vitiorum incitamentis, nec non difficultatibus in virtutum exercitio superandis, homines ad virtutem impelli et á vitiis retrahi sufficienter non potuissent, nisi ipsis á divino legislatore tum præmia, tum pœnæ æternæ propositæ fuissent. Profecto si nunc inter Christianos ipsos, quibus per fidem divinam certum est pœnas esse æternas, plures tamen ad flagitia turpissima summâ licentiâ defleunt, atque miserabiliter pereunt; quid futurum prudenter sperari posset, si temporanea tantum pœna vitio fuisset constituta? Quis se contineret, tum maxime cum furens esset passio, opportuna occasio, ac temporalis mali nullus timor? Quot igitur perirent? Quam pauci finem assequerentur, et ad summam beatitudinem pervenirent, si certi essent futura supplicia finem tandem habitura? Igitur Providentiam divinam decebat, pœnas æternas impiis constituere.

Præterea animadvertendum est, peccatum esse æternum quoad affectum et voluntatem. Qui enim graviter peccat, ita est dispositus, ut vellet in æternum peccare, si posset; nam per peccatum mortale plenam quærit felicitatem, suumque ultimum finem constituit in re finita; atqui eo ipso vellet huic objecto in æternum adhærere, si posset. Nam homo vult necessario frui objecto in quo suam felicitatem reponit, cum non possit velle cessationem felicitatis, quam necessario amat; ergo vellet in æternum creaturæ adhærere et á Deo suo fine ultimo separatus esse;

ergo peccatum est quodammodo æternum, ac proinde sub hoc respectu mereri videtur pœnam æternam. Neque obstat quod quidam mortaliter peccantes proponant vitam in melius emendare; hoc ipso enim quod quis peccat mortaliter, finem suum ultimum constituit in creaturis, et quia ad finem vitæ tota vita ordinatur, ideo vi actûs peccati totam vitam suam ordinat ad illum finem, et vellet, quantum est ex vi actûs, perpetuo in peccato permanere.

Tandem cum S. Thoma (1) sic ratiocinari licet: «Peccatum ex hoc inducit reatum pœnæ, quod pervertit aliquem ordinem: manente autem causâ, manet effectus; unde quamdiu perversitas ordinis remanet, necesse est quod remaneat reatus pœnæ. Pervertit autem aliquis ordinem quandoque quidem reparabiliter, quandoque autem irreparabiliter, semper enim defectus, quo subtrahitur principium irreparabilis est: si autem salvetur principium, ejus virtute alii defectus reparari possunt, sicut si corrumpatur principium visivum, non potest fieri visionis reparatio, nisi sola virtute divina: si vero salvo principio visivo, aliqua impedimenta adveniant visioni, reparari possunt per naturam vel per artem. Cujuslibet autem ordinis est aliquod principium, per quod aliquis fit particeps illius ordinis; et ideo si per peccatum corrumpatur principium ordinis quo voluntas hominis subditur Deo, erit innordinatio quantum est de se irreparabilis; etsi reparari possit virtute divina: principium autem hujus ordinis est ultimus finis, cui homo inhæret per charitatem; et ideo quæcumque peccata avertunt à Deo, charitatem auferentia; quantum est de se, inducunt reatum æternæ pœnæ.»

343. Ecce quomodo hæc omnia complectitur *Adisson* in *Tragœdia: Caton de Utica*.

(1) *Sum. th.* 1. 2. q. 87. art. 3.

Sí, Platon, yo convengo con tu idea:
Inmortal es el alma, pues se advierte
Que la habla un Dios, un Dios en ella vive,
Y en su esencia se agita, piensa y siente.
Y no siendo por El ¿de do naciera
Su innata prevision? ¿de dónde el fuerte
Horror con que á la nada se resiste,
Y por el que odia los caducos bienes?
Hácia siglos sin fin arrebatado
Por un instinto incógnito y celeste,
Los hierros romperé con que cautivo
El mundo y los sentidos me retienen.
Lejos del cuerpo que en el lodo yace:
Lejos de cuanto exista de terrestre,
De la asombrosa eternidad las puertas
Abriré, y de una vida para siempre.
¡Eternidad! ¡palabra consolante,
Que palabra tambien de terror eres!
Sombras y luz.... Profundidad inmensa....
¿Quién soy? ¿adónde existo hora presente?
¿Para dónde en la tierra me dirijo?
¿Quién de donde salí decirme puede?
¿A cual país ignorado, á cuales sitios
Emigrará mi sér, apenas suene
De mi disolucion la hora prescrita
En que de mí yo mismo me segregue?
Vengar su causa, castigar al malo
Como perfecto Dios sin duda debe;
Pero ¿cómo? ¿en qué tiempo y en qué mundo?
En este globo la virtud se advierte
Llorosa y oprimida por la audacia:
Arrodillada la inocencia tiende
El dócil cuello al criminal acero:
Fuerza es salir de estancia tan aleve.
¡Oh verdad celestial! sin sombra alguna

He de mirarte en la suprema fuente:
Pues es, segun te ocultas en la tierra,
Sueño la vida, y despertar la muerte.

En dithyrambum, quem Mr. Delille misit ad Robespierre occasione, quâ sancita fuit in seditiosa *Conventione* Dei existentia:

Allá en su mansion impenetrable
Sobre la eternidad está sentada
La *inmortalidad* para el culpable
Terrible, y para el bueno afortunada
Del tiempo que huye á paso de gigante
Defiende al justo, á quien siempre es propicia,
Y al vicio le arrebató el degradante
Asilo de la nada que codicia.
Sí, vosotros cobardes opresores
Que usurpando los rayos celestiales
A la tierra cubrís con mil horrores
Y conculcais las leyes eternas
Llenos de terror, *sois inmortales*.
Y vosotros que aunque por un momento
De la desgracia soportais los males,
Y en quienes desde el alto firmamento
Fija Dios sus miradas paternas,
Por mas que por un tiempo os veis forzados
A estar por paises apartados
Consolaos, por fin *sois inmortales* (1).

Solvuntur objectiones.

344. *Obj. I.* Idea Dei est idea entis summe boni; at-
qui æternitas pœnarum cum hac idea conciliari nequit;

(1) Mr. Delille, *Obras completas*.

nam nullus pater adeo irascitur filiis suis etiam rebellibus, ut eos omnino perdere vellit; ergo etc.

Resp. Dist. maj. Idea Dei est idea entis summe boni et simul idea entis summe sapientis, sancti et justi, *conc.*; secus, *nego.* Porro ut summe sapiens, sanctus et justus legis violatores punire debet, et nunquam probabunt increduli hanc pœnam non posse esse æternam.

Ad prob. Resp. Dist. Nullus pater, etc., si filii non semper remaneant in sua rebellione, *conc.*; si semper permaneant, *nego.* Atqui peccatores non semper remanere in suo peccato nunquam probabunt impii; sicut enim arbor in eo situ remanet in quem cecidit, sic homo post mortem in eodem statu perseverat, quia est in termino; contrarium saltem ostendi nequit. Cæterum semper animadvertendum est, Deum non esse solummodo patrem, verum etiam legislatorem et judicem sapientissimum ac justum, qui legum observationi prospicere debet; hoc autem sufficienter præstare non videretur, ut ostendimus, nisi pœnæ æternæ fuissent constitutæ. Aliunde misericordia Dei satis elucet in tot beneficiis, quæ hominibus confert in hac terra; sed ingratos pro merito pœnis excrucianos juste etiam tradere debet. Si autem in Deo solam bonitatem considerare vellemus, non modo æternitatem, sed etiam acerbiter et durationem pœnarum ita diminuemus, ut divinam justitiam penitus tolleremus, et peccandi ansa omnino tribueretur; semper enim amor proprius sibi finget, quod pœnæ superexcedant delictum.

Inst. 1. Nulla est proportio inter delictum unius momenti et pœnam æternam; ergo etc.

Resp. Dist. ant. Nulla est proportio temporis, seu durationis, *conc.*; æqualitatis, *nego.* Porro in nullo iudicio, ut sapienter animadvertit S. Thomas, requiritur, ut sit proportio durationis inter delictum et pœnam. Non enim quia furtum vel homicidium in uno momento committitur, propter hoc momentaneâ pœnâ punitur, sed

• quandoque perpetuo carcere, vel exilio vel etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora, sed potius perpetua ablatio á societate viventium, et sic repræsentatur aliquo modo æternitas pœnæ divinitus inflictæ. Sed ostendi nequit, non esse proportionem æqualitatis; imo hanc adesse fortiter suadet ratio. Nam 1.º Justum est, ut monet S. Gregorius, quod qui in suo æterno peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in suo æterno peccasse non solum secundum continuationem actûs in tota hominis vita durantis, sed quia ex hoc ipso quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi. 2.º Juxta ratiocinium Doctoris Angelici, manente causa, manere debet effectus; porro quamvis peccatum quoad actionem sit transitorium, quoad culpam tamen eo usque remanet, quousque non revocatur per pœnitentiam. Jam vero post mortem immutabilis est voluntas hominis, ac proinde immutabiliter peccatum illi adhæret; ergo etiam quousque in illa peccatum manet, pœnæ subjici debet; atqui semper manet; ergo semper punienda est.

3.º Insuper, *sicut honor est in honorante, injuria est in persona offensa*; jam vero ille, cui injuriam infertur per peccatum, est Majestas infinita; ergo peccatum ex hac parte seu ratione termini est infinitum; ergo ei respondet pœna infinita; cum autem hæc pœna infinita esse non possit *intensive*; debet, ut sit proportionata, esse infinita *extensive*; ergo etc.

Cæterum, de proportionem inter peccatum et pœnam, nemo profecto melius judicare potest, quam Deus; atqui Deus revelavit has pœnas fore æternas; ergo adest proportio inter peccatum et pœnam æternam.

Inst. 2. Omnis pœna juste inflictæ debet esse utilis; atqui nulla est utilitas in pœna æterna. Nam finis pœnarum est emendatio eorum, quibus infliguntur; atqui pœnæ æternæ id præstare non possunt; ergo etc.

Resp. Nego mi. Illa enim pœna profecto utilis est, quæ nobis manifestat sapientiam, sanctitatem et justitiam divinam. quæque tam efficaciter impellit ad colendam virtutem vitiumque fugiendum, ut, ipsâ sublatâ, omnibus cupiditatibus laxarentur habenæ; atqui talis est pœna æterna; ergo etc.

Ad prob. Dist. maj. Finis pœnarum est emendatio eorum quibus infliguntur, aliquando, *conc.*; semper et essentialiter, *nego*. Sæpe enim pœna, quæ etiam secundum leges humanas infligitur, non est medicinalis ei, qui punitur, sed solum aliis; sic v. gr. latro vel alius sceleratus suspenditur, non ut ipse emendetur, sed propter alios, ut metu pœnæ eadem vel similia scelera patrare desistant. Alius ergo datur finis pœnarum, nempe sufficiens sanctio legis, et sic æternæ pœnæ reproborum à Deo inflictæ, medicinales sunt iis, qui in hoc sæculo eas considerant et salutari timore perterriti à malo retrahuntur; si enim scirent finem aliquando habituras, peccato indulgerent, ut patet exemplo purgatorii (1).

345. Quæ hactenus in tota Psychologia disputavimus in breve compendium redigit S. Joan. Damascenus, cujus verba silentio præterire piaculum foret; inquit ipse: «Jam verò anima est vivens, simplex et incorporea substantia, corporis oculorum suapte natura sensum fugiens; immortalis, rationis et intelligentiæ particeps, organis instructo utens corpore, cui vitam, incrementum, sensum, et gignendi vim tribuat, non aliam à se sejunctam mentem habens» (mens quippe nihil aliud est, quam subtilissima ejus pars, quod enim oculus in corpore, hoc mens in anima est), ar-

(1) Apposte S. Hieronymus ait: «Si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est: quia non quærimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri sumus.» *Contra Origenistas.*

»bitrii libertate, volendique, et agendi facultate prædita:
»mutabilis, hoc est, ejusmodi quæ voluntatis mutationem
»subire queat, propterea quod creata est (2).»

— CONCLUSIO. Hæc quæ diximus de anima humana, in laudem et gloriam illius cedant, cujus conspectu et amore in æternum beati erimus, si divina mandata fideliter usque ad mortem servaverimus, cum Christus dixerit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19.—17. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, *Ibid.*, 24.—13.

reflexiva	reflexiva	18	88
agendum	agendum	8	88
primum	primum	32	88
quis	quis	18	88
possibile	possibile	30	14
Orthodoxa	Orthodoxa	10	95
aliquid	aliquid	28	38
nar	nar	20	108
indefinitum	indefinitum	18	110
motus	motus	4	117
proprietates	proprietates	12	182
tenens	tenens	20	187
Melancholici	Melancholici	22	15
factum	factum	8	158
cont. Polym.	cont. Polym.	24	158
vident	vident	27	108
est facultas	est facultas	7	108
determinationem	determinationem	31	178
spontaneum	spontaneum	28	200
quiditate	quiditate	30	15
est reflexio	est reflexio	21	284
inclinat	inclinat	18	284
orthodoxos	orthodoxos	13	288
inertia	inertia	18	279
est vita	est vita	18	282

(2) De Fide Orthodoxa, lib. 2. c. 12.

Corrigenda inter alia parvi momenti.

Pag.	Lin.	Legitur.	Legatur.
5	nota 3. ^a	profertum	prolatum
6	7	paucas	paucæ
16	13	qui	quod
23	21	assimus	asinus
25	3	viæ	vitæ
38	nota	est	ex
52	1	Reiddins	Reiddius
56	15	reflexivas	reflexiva
66	5	gendum	agendum
83	22	propium	proprium
88	19	llas	illas
id.	20	agentem	possibilem
95	10	Ontolicis.	Ontologis.
96	29	aliciendum	eliciendum
106	29	utur	utar
110	13	eneluctabilem	ineluctabilem
117	4	stumo	motus
132	13	promptieros	promptiores
137	29	ferrens	ferreus
id.	33	Cholerici	Melancholici
158	6	fucunt	fucum
159	24	cont. Pelig.	cont. Pelagium
163	27	vedeant	videant
168	7	ex facultas	est facultas
175	31	determinationem	determinatione
200	28	spelientur	spolientur
id.	30	quidditati	quidditate
234	21	ex reflexio	est reflexio
241	16	incitat	incidat
268	nota 5. ^a	catholici	catholicos
279	16	inertes	inertis
283	16	<i>est vitam</i>	<i>est vita</i>

A pag. 208 transit ad 229, dein à 236 incipit iterum 217, repetitis 229 usque ad 236.

INDEX

DYNAMILOGIÆ ET ANTHROPOLOGIÆ.

Páginas.

DISPUTATIO. 1.^a—*Procemialis.*—*Psychologicæ utilitas,—difficultas—et divisio.*—*Ordo et methodus sequenda.*—Objectum circa quod versatur Psychologia,—ex hoc describitur hæc facultas.—Tum in sensu morali,—tum metaphysico exhibet hæc facultas præcipuum hominis negotium.—Adhortatio.—Difficultates in hujusmodi suiipsius studio.—Unde hæc prove-
niant.—Divisio.—Quæ methodus sequenda—et quare.—Refellitur divisio Psychologiæ in empiricam et rationalem.—Quænam scientiæ huic inserviant.—
Præmittenda. 3

DISPUTATIO 2.^a—*De vitæ conceptu et gradibus.*—
Difficultas definiendi vitam.—Vita unde?—Aberra-
tiones.—Vitæ descriptio.—Animadversiones.—Con-
firmatur descriptio.—Vitæ gradus investigantur.—
Differentiæ inter corpora viventia et non viventia.—
Quid sit vita vegetativa;—quid sensitiva;—quid intel-
lectiva.—Harum propriæ functiones.—Principium
vitæ in plantis.—Difficultas solvitur. 9

DISPUTATIO 3.^a—*De principio vitæ sensitivæ in
brutis animalibus*—Opinamenta in opposita extrema
peccantia.—Doctrina Ss. Patrum et Scholasticorum
Ss. Scripturæ consona. 15

§. I.

PROP. *Bruta animalia non mera automata sunt,
sed vitæ, imo et sentiendi facultate gaudent.*—Nota
magni momenti.—Probatur propositio quoad singulas
tres partes. 17

De aliis belluarum facultatibus.—Definiuntur hæc
et probantur breviter. 22

Solvuntur difficultates. 25

§. II.

De natura animæ brutorum.—Unicum est principium, quod in brutis sentit et vegetat.—Duo præcipua systemata circa naturam animæ brutorum exponuntur et difficultates adnotantur.—Nihil certo definiri potest.—De fine animæ brutorum.—Non repugnat annihilatio animæ brutorum.—Multo minus earum in alia corpora informanda transmigratio.—In quas præcipuas species genus animalium dividitur?—Quæ sunt præcipuæ corporis partes? 27

§ III.

Essentiale discrimen inter animas hominum et brutorum.—Multis argumentis hoc demonstratur.—Solvitur difficultas. 36

PSYCHOLOGIÆ SECTIO PRIMA.

DYNAMIOLOGIA GENERALIS.

DISPUTATIO 4.^a—*De animæ humane attributis essentialibus.*—Ratio ipsius multiplicium facultatum.—*Utrum animæ facultates distinguantur ab essentia et inter se, et quomodo.*—Unitas metaphysica,—identitas—et activitas animæ.—Cum verò sit activitas finita nullatenus actu attingit ea omnia, quæ successive potest attingere;—demonstratur hoc, et enumerantur animæ præcipuæ potentiæ.—Utrum potentiæ operativæ distinguantur ab animæ essentia et inter se.—Status quæstionis.—Exponuntur quatuor opiniones.—Nullo pacto admitti potest distinctio realis adæquata inter potentias,—neque has inter et animæ essentiam.—Animadversio.—Quo sensu admitti potest distinctio realis inadæquata explicatur.—Respondetur difficultati, et confirmatur nostra doctrina. 41

DYNAMIOLOGIA SPECIALIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De facultate sentiendi.

DISPUTATIO 5.^a—*De sensu interno.*—Prænotio.—
Definitur facultas sentiendi in genere.—Sensus in-
timus.—Ab hoc incipere debent nostræ observatio-
nes.—Antiquorum et plurium recentiorum error.—
Sensus communis est ipse sensus intimus ex parte
tantum consideratus.—Explicatur. 51

PROP. I. *Admittendus est quidam sensus interior
ab ipsa ratione distinctus, quo anima sentit se sen-
tire.*—Demonst. singulæ partes. 53

Objectum sensûs intimi duplex.—Difficultas re-
solvitur. 55

PROP. II. *Sensus intimus non solum subjecti af-
fectiones, sed ipsum quoque subjectum attingit.* . . . 56

PROP. III. *Ergo anima per sensum intimum seip-
sam sentit ante quamcumque affectionem.* 57

PROP. IV. *Anima corporis, quod ipsa informat,
jugem sensationem habet.*—Probatur.—Nota.—Corol-
larium. 58

DISPUTATIO 6.^a—*De facultate sentiendi per sensus
externos.*—Quid ipsa sit.—Quid sit sensatio.—Quid
nomine sensûs intelligatur.—Utrum præter quinque
communissimos sensus sit aliquis alius:—Saltem
utrum sit possibilis.—Opiniones.—Error discipulorum
Mesmerii.—Quod sit subjectum facultatis sentiendi.
—PROP. *Solummodo suppositum ex conjunctione
animæ et corporis resultans ab iis distinctum, potest
esse facultatis sentiendi subjectum.*—Plurimis de-
monstratur.—Distributio sensuum unde repetenda?—
Natura et objectum sensationis investigatur.—De
speciebus sensibilibus.—Nonnulla scitu digna adno-
tantur.—Sensuum præstantiæ et dignitatis ordo.—
Creatoris sapientia in iis mirabiliter elucet. 60

DISPUTATIO 7.^a *De imaginatione et phantasia.*—
De memoria sensitiva.—*Reminiscentia.*—*Memoria*



intellectiva.—Explicantur et definiuntur ex doctrina S. Patris et S. Thomæ. 72

APPENDIX.—*De vigilia et somno.*—Phænomena.—
Doctrina S. Patris. 79

DISPUTATIO 8.^a—*De facultate intelligendi.*—Notiones præviæ.—Definitiones.—Intellectus,—intelligentia.—Unde hæ voces deriventur,—In quo differant.—Distinctiones.—Intellectus speculativus et practicus.—Ratio non est facultas ab intellectu distincta,—quid sit.—Doctrina S. P. Augustini.—Ratio superior et inferior,—sapientia,—scientia.—Virtus intellectiva distinguitur in abstractivam et perceptivam.—Explicatur hæc distinctio.—Despicitur denominatio Scholasticorum intellectûs in agentem et possibilem.—Lumen intellectuale,—et intelligentia denominari debet illa duplex virtus intellectûs.—Animadversio. 81

DISPUTATIO 9.^a—*De natura intellectûs, atque ejus essentiali differentia a sensu.*—Quibuscum in hac quæstione decertandum est.—PROP. I. *Intellectus, aliter ac sensus, est potentia inorganica.*—Demonst. ex ipsa hominis natura,—ex comparatione operationum et actuum utriusque facultatis et ex earum objectis,—et ex modo ea attingendi.—Solvitur difficultas.—PROP. II. *Est igitur in anima humana, præter vim seu facultatem sentiendi, alia facultas omnino superior, quam intellectum appellamus.* Demonst.—Corollaria adversus Lockium et Stephanum de Condillac. 81

DISPUTATIO 10.^a—*De intellectûs objecto, et modo, quo eum intelligit.*—Objectum intellectûs humani duplex,—adæquatum et proportionatum.—Dico I. *Objectum adæquatum intellectûs est omne id, quod intelligibile est,* seu omne id, quod esse habet.—Demonst. ex natura intellectûs secundum quod est participatio quædam Divini Intellectûs.—Animadversiones.—Res relatæ ad Intellectum Divinum, quoniam est earum exemplar formale, sunt actu intellectæ,—relatæ ad humanum intellectum sunt potentialiter.—Relatio rerum intelligibilium ad Divinum intellectum est realis,—vice versa, relatio Divini Intellectûs ad res est logica.—Contraria prorsus ratione dicendum inter res et humanum intellectum.—Explicatur. 89

—Aliter veritas dicitur esse objectum intellectûs apprehendentis, aliter intellectûs judicantis.—Dico II. *Id, quod intellectus actu proprio apprehendit, est rei quidditas seu essentia.*—Explicatur et demonstratur.—Dico III. *Objectum proportionatum intellectui humano secundum statum naturalem suum est res sensibilis seu materialis, sub forma tamen universalitatis.*—Explicatur assertum et demonstratur.—Ut intellectus singulare, quâ tale, cognoscat, necesse est, ut ad sensationis sive præsentis, sive revocatæ factum se convertat.—Ordo perfectionis, et ordo generationis cognitionum.—Doctrina S. Thomæ, —Cognitio nostra generaliter inspecta, etsi á singularibus seu sensilibus percipiendis inchoetur, tamen cognitio *prout* intellectualis est ab universalibus exorditur.—Statuitur principium, quo prælucente, hæc theoria exponitur.—Quid lumen rationis.—Primæ conceptiones.—Cognitio singularium.—Quomodo anima seipsam intelligat.—Notæ.—Quomodo mens intelligat rationes rerum immateriales,—et ordinem moralem.—Species intelligibiles.—Explicatur quid hæc sint.—Quo sensu admittendæ.

94

DISPUTATIO 11.^a—*De appetendi facultate in genere, ac de appetitu sensitivo, ejusque actibus.*—Natura hujus facultatis investigatur.—Definitio.—Appetitus *simpliciter naturalis* non est proprie appetitus.—Appetitus *elicitus*.—Definitio et explicatio.—Superior et inferior.—Instinctus et desiderium.—Primum momentum motûs appetitivi.—Spontaneitas.—Dico I. *Appetitus sive sensitivi, sive rationalis objectum est aliquod bonum apprehensum.*—Demonst. tum ex ejus natura, tum ex fine.—Solvitur difficultas.—Dico II. *Malum, quâ tale, seu sub ratione mali nulla natura appetere potest, bene tamen potest appeti indirecte sive per accidens.*—Demonst.—Natura fugit et aversatur malum tum *privative*, tum *contrarie*.—Objectum utriusque appetitûs, rationalis scil., et sensitivi.

110

De appetitu sensitivo, de ejus quasi partibus et actibus.

Quo stimulo appetitus sensitivus ad actum determinetur.—Definitio hujusce appetitûs.—Explicatur

definitio.—Ad plura se porrigit appetitus sensitivus in homine, quam in brutis.—Nomen passionis et perturbationis non idem significant.—Utrum et quo sensu passiones sint bonæ, imo necessariæ.—Pars concupiscibilis,—irascibilis,—harum actus, seu motus. 116

De passionibus partis concupiscibilis.

I. Amor.—Causæ amoris.—Effectus.—Remedia amoris inordinati.—II. Odium.—Causæ.—Effectus.—Remedia.—III. Desiderium.—Duplex desiderium.—Concupiscentia,—cupiditas.—Libido.—Causæ.—Effectus.—Remedia.—IV. Fuga.—V. Gaudium.—Voluptas.—Lætitia.—Exultatio.—Jocunditas.—Delectationis causæ.—Effectus.—Remedia.—VI. Tristitia seu Dolor.—Causæ.—Effectus.—Remedia. 119

De passionibus partis irascibilis.

I. Spes, prout est passio.—Causæ.—Effectus.—II. Desperatio.—Causæ.—Effectus.—III. De Audacia seu audentia etc.—IV. De timore etc.—V. De ira etc.—De Dejectione. 125

APPENDIX.

De temperamentis.—Quid sit temperamentum.—Divisiones. 132

I. De temperamento bilioso seu Cholera.—Characteres physici.—Characteres intellectuales,—et morales.—Usus. 133

II. De temperamento limphatico seu phlegmatico.—Characteres etc. 134

III. De temperamento sanguineo etc. 135

IV. De temperamento melancholico etc. 136

V. De temperamento nerveo etc.—Animadversio. 138

DISPUTATIO 12.—*De appetitu rationali seu de voluntate.*—Activitas animæ humanæ sub triplici forma se prodit ac evolvit.—Activitas necessaria,—spontanea,—libera —Voluntas est animæ essentialis potentia ac ratio et terminus cæterarum.—Ss. Patres sæpissime sumunt voluntatem et libertatem ut voces

synonymas.—Exponitur eorum sensus.—Libertas est essentialis proprietas voluntatis.—Definitur voluntas.—Increpandi sunt Loromiguière et alii.—Quod sit objectum voluntatis et quomodo.—De actibus voluntatis.—De involuntario et non-voluntario.—In voluntate reperiuntur omnes illi actus, qui reperiuntur in appetitu sensitivo, sed altiori modo.—De actibus circa finem et circa media.—Volitum principale et secundarium.—Finis ultimus est causa cur cætera omnia velle voluntas possit.—Electio et usus.—Actus elicitus et imperati.—Difficultati respondetur.—Dico I. *Voluntas in singulis suis actibus propriis seu elicitis nullam potest pati violentiam, seu coactionem.*—Nota.—Quid sit violentum,—quid coactum.—Demonst., ex ipsa horum actum natura et ex natura violenti.—Neque potest voluntas alios actus imperari invita.—Dico tamen II. *Actus, qui à voluntate imperari dicuntur, cogi possunt, non quatenus à voluntate procedunt, sed quoad exercitium.*—Demonst.—Respondetur difficultati.—Dico III. *Voluntas non semper est immunis à qualibet necessitate interna, sive ab omni invincibili determinatione ad unum.*—Demonst., ex ipsa natura rationalis creaturæ.—Non est confundendus actus liber cum voluntario. . . .

140

DISPUTATIO 13.^a—*De libertatis essentia, existentia ac objecto.*—Etsi incredibile, fuerunt nihilominus et sunt, qui libertatem animæ denegarent.—Panthæistæ.—Fatalistæ.—Genethliaci,—Priscilliani,—Manichæi etc.—Wicleffitæ,—Lutherus,—Calvinus,—Bajus,—Quesnellius,—Jansenius.—Materialistæ.—Callidior Jansenistarum hæresis ad liquidum exploratur.—PROPOSITIO. *Libertas proprie dicta, qualis requiritur ad rationem meriti vel demeriti, non consistit in solo voluntario, seu in immunitate à coactione, sed in indifferentia activa, ac proinde in immunitate à quacumque necessitate antecedenti.*—1.^o Quia ad meritum vel demeritum requiritur absolutum domium in proprios actus.—Apponuntur ad calcem auctoritates Ss. Scripturæ et Ss. PP., præsertim S. P. Augustini et S. Thomæ.—2.^o Ex consensu omnium philosophorum.—3.^o Ex comparatione voluntarii amoris Dei erga se ipsum et

Beatorum erga Deum.—4.º Ad absurdum.—Solvuntur difficultates.

153

Afferuntur aliquæ libertatis definitiones.—Explicantur, speciatim illa S. Thomæ: *vix electiva mediorum servato ordine finis.*—Potentia peccandi, seu á recto fine deflectendi non est de essentia libertatis,—sed potius est ejus defectus.—Determinantur variæ libertatis species.—Libertas electionis seu indifferentiæ—et libertas exercitii.—Quid his opponatur.—Libertas contradictionis,—contrarietatis,—specificationis seu disparitatis,—Libertas contrarietatis non competit Deo,—neque Beatis.—Libertas á peccato,—á miseria et pœna.—PROP. *Anima humana etiam in præsentí statu naturæ lapsæ vera et proprie dicta libertate gaudet.*—Demonst. 1.º ex relatione ipsius voluntatis ad intellectum:—2.º ex sensu intimo.—Animadversio ad objectiones præcavendas.—3.º ex consensu generis humani:—4.º ex legibus ac pœnis:—5.º ex absurdis.—Solvuntur difficultates.

164

De *indifferentismo* et *determinismo*.—Indifferentismus exponitur ac breviter refutatur.

177

Determinismi defensores.—Expositio.—Dico. *Positio defensorum determinismi falsissima est.*—1. Procedunt ex falso supposito.—Causa determinans et ratio sufficiens actuum voluntatis distinguendæ sunt.—2.º Nullum bonum in hac vita cognitum est, quod sub aliquo respectu non possit apprehendi ut malum.—3.º Contradictiones in quas incidunt determinismi defensores.—Ad hunc errorem accedunt illi philosophi qui ajunt, ad actum voluntatis prærequiri *judicium practicum* intellectûs.

180

DISPUTATIO 14.ª — *De facultate motrice, seu locomotiva.*—Describuntur animalium motus.—Definitur hæc facultas.—Observationes physiologicæ et anatomicæ.—Assertiones.—I. *Virtus motiva potentia est animæ ab aliis distincta, in partibusque ipsius corporis subjectata, seu organica.*—Prob. singulæ tres partes.—II. *Subjectum, in quo residet facultas motrix, sunt musculi animati.*—III. *Non omnium musculorum facultas motrix appetitui subjicitur.*—Motus animales,—dynamici,—autonomici.—Motus organici,—plastici etc.—Conclusio Dynamilogiæ.

184

IDEALOGIA.

DISPUTATIO 15.^a—*Explicatur natura et origo idearum ad mentem Ss. Patrum et Scholasticorum.*—Summa gravitas et difficultas hujus quæstionis.—Præmittuntur quædam, quibus major difficultatum pars tollitur.—Mala fides nonnullorum.—Voces barbaræ et æquivocæ.—Aliæ magis propriæ commendantur.—Doctrina S. Patris.—S. Thomas á S. Patre conceptus accipit,—verba vero ab Aristotele.—Nostra theoria exponitur,—explicatur,—probatur. 192

Falsa pietas Cartesii et suorum.—Propositiones a Rosminio excerptæ et á S. Cong. damnatæ.—Dico. *Idea Dei est idea deducta ex rebus finitis, cujus elementa sunt ideæ perfectionum finitarum, adjecta notione excessûs, et negatione imperfectionum; seu Deum cognoscimus ut causam et per excessum et per remotionem.*—Demonst. et ad calcem apponuntur testimonia Ss. Patrum.—Solvitur difficultas. 204

DISPUTATIO 16.^a—*Exponuntur breviter ac refutantur falsa systemata circa originem cognitionum nostrarum.*

SYSTEMA EMPIRICUM.

I.

Empirismus materialista.

Perscrutatio historica.—Crisis.—PROP. I. *Fædus turpissimusque error est dicere, ideas intellectuales esse corporum effluxiones.*—PROP. II. *Impossibile est ideas intellectuales esse modificationes materiæ.* Perperam 229

II.

Empirismus sensualista.

Perscrutatio historica.—Crisis.—PROP. *Empirismus sensualista est systema, quod procedit ex falso*

supposito, est absurdum in se et ad absurda consecutaria ducit. Perperam. 232

SYSTEMA IDEARUM INNATARUM.

I.

Ideæ innatæ ad mentem Platonis.

Perscrutatio historica.. . . . 217

II.

Ideæ innatæ ad mentem cartesianorum.

Perscrutatio historica.. . . . 219

III.

Leibnitius et Wolfius.

Perscrutatio historica.. . . . 220

IV.

Systema Antonii Rosminii.

Perscrutatio historica.. . . .	221
Crisis universalis in prædicta systemata.. . . .	222
Refutantur singillatim.—PROP. I. <i>Platonis sententia de origine idearum manifeste absurda est.</i> . . .	224
Solvitur diffic.. . . .	225
PROP. II. <i>Nullæ sunt ideæ, quæ à sola facultate cogitandi immediate originem ducant.</i>	225
PROP. III. <i>Nullæ sunt ideæ nobiscum creatæ et animæ insitæ.</i>	226
PROP. IV. <i>Leibnitii et Wolfii systema circa originem idearum tanquam ridiculum paradoxon rejiciendum est.</i>	227
PROP. V. <i>Rosminii systema rejiciendum est.</i> . . .	228

SYSTEMA ONTOLOGICUM

seu *immediatæ intuitionis Divinæ Essentiæ.*

Perscrutatio historica.	231
PROP. <i>Ontologismi theoria est omnino falsa et periculosa.</i> —Solvitur difficultas.	234

SYSTEMA EXTERIORISTICUM

seu *traditæ revelationis.*

Perscrutatio historica.	241
PROP. I. <i>Primæ ideæ per verbum aut per quodcumque aliud signum arbitrarium recipi nequeunt.</i> —Apponitur ad calcem doctrina S. Patris.	244
PROP. II. <i>Fieri nequit, ut homo hominem veritatem aliquam doceat, nisi ratio discentis vi sibi propria veritatem cognoscere possit, atque adeo nisi aliquid sciat, antequam instruat.</i>	246
PROP. III. <i>Falsum omnino est asserere, mentem humanam, sine revelatione per traditionem communicata, nullam veritatem ordinis religiosi, moralis et metaphysici ex se assequi ac cognoscere posse.</i>	247
PROP. IV. <i>Vocabula quanquam ad intellectûs perfectionem promovendam sint summopere utilia, quod nemo negat, non sunt tamen ad cogitandum adminicula absolute necessaria.</i>	249
Solv. diffic.	251

SYSTEMA IDEALISMI TRANSCENDENTALIUM,

tam formalismi subjectivi, quam objectivi.

Historia.—Kantius.	253
<i>Formalismus subjectivus.</i> —Theophilus Fichte.	259
<i>Formalismus objectivus.</i> —Schellingius.—Hegelius	260
Adnotationes criticæ contra horum systemata.	261
COROLLARIUM ex tota Ideologia.	265

PSYCHOLOGIÆ SECTIO SECUNDA.

ANTHROPOLOGIA.

Introductio.	266
DISPUTATIO 17. ^a <i>De natura animæ humanæ, et in quo reponenda sit ejus essentia.</i> —Perscrutatio historica.	267
Quid intelligatur nomine <i>animæ humanæ</i> .—Quid nomine <i>materiæ</i> .—Quid nomine <i>simplicis</i> , et quam simplicitatem animæ tribuendam censemus.—Quid denique nomine substantiæ <i>spiritualis</i> intelligatur.	269
PROP. I. <i>Anima humana est substantia simplex</i>	
Demonst. utraque pars.	271
Corollarium, = confirmatio.	277
PROP. II. <i>Anima humana est substantia spiri- tualis.</i>	279
PROP. III. <i>Materia ne divinitus quidem cogitare potest.</i>	280

QUÆSITUM.

<i>In quo consistat essentia animæ humanæ.</i>	
Discussio historica.—Critica.	282
Essentia animæ humanæ in eo constituitur, quod scil., <i>Est vita in actu primo sui conscia.</i> —Explicatur et demonstratur nostra assertio.	283
Solvuntur difficultates contra statutas propositiones.	284
NOTA circa <i>cephalogiam physionomenicam.</i>	287
DISPUTATIO 18. ^a — <i>De origine animæ humanæ.</i>	294

§. I.

Perscrutatio historica de erroribus circa ipsam <i>exoriendi animæ rationem.</i>	295
PROP. <i>Repugnat animas humanas è Divina Substantia ullo modo emanasse.</i>	296

§. II.

Perscrutatio historica de erroribus circa <i>modum</i> exoriendi animæ humanæ.	299
NOTA. Immerito nonnulli attribuebant S. P. Au- gustino <i>traducianorum</i> opinionem.	297
PROP. <i>Traducianismi commentum quocumque</i> <i>sensu intelligatur est eminenter absurdum.</i>	299
Solvitur diff.	300

§. III.

<i>De contingentia animæ humane.</i>	301
PROP. <i>Anima humana produci aliter nequit,</i> <i>quam per creationem ex nihilo sui et subjecti.</i> . . .	ib.

§. IV.

Perscrutatio historica de erroribus circa <i>tempus</i> creationis animæ.	302
PROP. I. <i>Animæ humane non sunt creatæ á</i> <i>mundi exordiis, nec ante corpora, quæ ab eis in-</i> <i>formata sunt.</i>	303
PROP. II. <i>Ergo Metempsychosis doctrina ridicula</i> <i>est et impia.</i>	304

§. V.

Leibnitii et Wolfii error.	305
COROLLARIUM. <i>Anima humana tunc á Deo crea-</i> <i>tur cum corpori ab ipsa informando conjungitur.</i>	307
Probabilius est animam rationalem á Deo creari et corpori conjungi <i>in ipso conceptionis instanti.</i>	308
DISPUTATIO 19. ^a <i>Utrum principium omnium, quot-</i> <i>quot in homine sunt, operationum vitalium sit</i> <i>unicum.</i>	
<i>Monismus,—Dichotimia (bipartitio, seu dualismus.)</i> <i>—Trichotimia (tripartitio.)—PROP. Anima ratio-</i> <i>nalis est unicum ac sufficiens principium in homine</i> <i>omnium vitalium operationum.</i>	309
Solvuntur objectiones.	312
Animadversio contra G. Stahilium et alios:— <i>anima</i> <i>rationalis est principium operationum organicarum</i> <i>in homine, non per intellectum, sed per modum na-</i> <i>turæ.</i>	313

DISPUTATIO 20.^a—*Quenam sit unio animæ et corporis in homine inquiritur, et quam vel quas corporis partes ipsa immediate vivificet.*—Perscrutatio historica.—Plato,—Cartesius,—Mallebranchius,—Rosminius et alii,—Scholastici et Ss. Patres.—Natura unionis physicæ et substantialis investigatur,—determinatur. 313

PROP. *Animæ rationalis cum corpore conjunctio physica est et substantialis, ac proinde ipsa est forma corporis humani.*—Plurimis rationibus demonstratur. 315

Notandum: cur abstineamus à voce: *substantialis.*—Conciliorum et etiam Ss. D. N. Pii P. IX. decreta. 320

COROLLARIA. I. In substantiali unione animæ et corporis utrumque amittit rationem suppositi.—II. Hæc unio non est voluntaria, sed ex necessitate naturæ;—quapropter anima semper abhorret separationem à corpore, ut contrariam naturæ.—III. Persona humana, *ego*, neque est anima, neque corpus, sed quid distinctum et perfectius ex ipsis resultans.—IV. Quapropter hæc unio non est *hypostatica*, nec vocari potest.—V. Non ex his inferendum est, omnem vim animæ affixam esse corpori.—VI. Ex his iudicium fertur de systematibus variis excogitatis ad explicandam unionem animæ et corporis.—Omnia rejiciuntur quocumque sensu intelligantur. 321

Quas corporis partes anima immediate vivificet investigatur.—Quo sensu intelligenda est illa vox: *sedes animæ.*—Historia critica.—PROP. *Anima est tota in toto corpore humano, ac tota in singulis ejus partibus.*—Notanda.—Totalitas *essentiæ*, et totalitas *virtutis.* 322

Notanda.—1.^o Anima non est in corpore *circumscriptive*, sed *definitive*,—Explicatur.—2.^o Anima non est tota in singulis partibus *totalitate virtutis.*—Explicatur.—3.^o Cur necessaria sit communicatio naturalis nervorum sensiferorum cum cerebro ad varias animæ operationes. 325

Solv. diff. 327

DISPUTATIO 21.^a—*De fine morali animæ, sive de ejus immortalitate.*—Omnis generis argumentorum

utendum est in hac quæstione.—Immortale quid sit.
—Immortale *essentiâ suâ*.—Immortale *ex naturâ suâ*.

—Immortale *ex Conditoris gratia*.. . . . 327

PROP. I. *Anima humana est prorsus incorruptibilis, nec ab ulla vi creata spoliari potest suâ existentiâ*.—1.º quia simplex.—Tullius.—Obj. resp.—2.º sicut potestas creandi soli Deo competere potest, ita annihilandi, etc. 328

PROP. II. *Anima humana á nulla vi entis creati vitâ spoliari potest*.—1.º quia vita animæ nihil aliud est, quam ipsius essentialis activitas, á qua nulla vis creata spoliare eam potest.—Neque spoliari potest á vi cogitandi,—neque ab actuali cogitatione.—Obj. resp.—Coroll. 329

Solvuntur diff. 331

PROP. III. *Anima humana post dissolutionem corporis, superstes á Deo servatur alteraque admittenda est vita, in qua recipiet mercedem virtutum aut pœnam vitiorum*.—Demonst.: 1.º ex divinis Attributis:—2.º ex ipsa hominis natura, tum relate ad seipsum,—tum relate ad alios homines,—tum relate ad Deum:—3.º ex sensu naturæ communi. 332


Solvuntur diff. 339

PROP. IV. *Æternam fore justorum felicitatem, ac proinde vitam, ex innato et invincibili felicitatis appetitu deduci potest*. Demonst. ex intima conscientia et Dei attributis. 341

Solvuntur diff. 343.

PROP. V. *Repugnare pœnas æternas non modo demonstrare nequeunt increduli, verum etiam eas convenire potius quam repugnare ratio ipsa fortiter suadet*.—Etenim ut hoc demonstrarent increduli, deberent demonstrare, inter malitiam lethalis peccati et pœnam *extensive* infinitam non adesse justam proportionem, hoc autem demonstrare impossibile est.—Peccatum lethale tollit á Deo rationem ultimi finis, et destruit, quantum ex se est, omnes Dei perfectiones.—Affective igitur annihilat Deum.—Deus ratione suiipsius tenetur legem et regulam creaturis rationalibus imponere, ac media sufficientia ad harum observantiam.—Peccatum est æternum quoad affectum et voluntatem peccatoris.—Destruit essen-

tialer ordinem necessarium, ita ut á solo Deo reparari possit etc.	344
Adisson in Tragœdia: <i>Caton de Utica</i> .—Mr. De- lille.	347
Solvuntur difficultates,—et confirmatur propositio.	349
Verba S. Joan. Damasceni in totam Psychologiam.	352
—Conclusio.	354
Correctiones.	354




SL 1159 (Vol.3)

40213



40000126574





P. ALVAREZ
A. JESU



LECTIONES
PHILOSOPHIAE.



VOL. III. PART. I.



SL
1.159
(V.3-1)

